

V
B
J
C
14588

CODEX
CONSTITUTIONUM
ORDINIS S. BASILII M.

ex Sancitis antiquiorum Capitulorum Congregationis Ruthenorum

&

DECRETORUM SANCTÆ SEDIS

collectarum, ad textum Regulæ S. Patris nostri exactus

&

CONFORMATUS.



Typis S. Reg: M. Monasterii Poczajovien: O. S. B. M.

1791. Annô.



PROLEGOMENON.

De vitæ Monasticæ scopo, & mediis ad eundem conducentibus.

Doctrina S. Patris Nostri Basilii.

Unus est asceticæ vitæ scopus, ut consulat animæ saluti; & quidquid proposito huic conducere potest, id sicut Divinum mandatum cum timore observandum est. Neque enim ipsa Dei mandata ad quidquam aliud spectant, nisi ut salutem adipiscatur, qui eis auscultaverit. *Instit: Monast: C. 5.*

Legitimè juxta Apostolum, decertandum est; (a) Hoc est, nè minimum quidem punctum ex iis, quæ præscripta sunt negligendum est: imo singula perficienda sunt ita, ut nobis præceptum est. *Beatus enim*, inquit, *servus, quem, cum venerit Dominus invenerit*, non facientem utcunque, sed sic *Facientem* (b) . . . . *Euntes*, inquit Dominus, docete *Omnes gentes, docentes ipsos* non hæc quidem observare, illa verò negligere: sed servare *omnia, quæcunque mandavi vobis.* (c) Et Apostolus ratione non dissimili scribit: *nullam in ulla re dantes offensionem, ut ne vituperetur ministerium, sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros.* (d) Etenim, si non omnia essent necessaria ad salutis propositum, non utique omnia mandata fuissent conscripta, neque fuisset sancitum, ut necessariò servarentur omnia . . . .

Ergo, inquiet aliquis, Christiani permulti, qui omnia non servant præcepta, inutiliter, & sine fructu aliqua custodient? ad hoc juvat meminisse Beati Petri, qui postquàm tàm multa præclarè gesserat, taliterque Beatus fuerat prædicatus, ob unum duntaxat erratum audivit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* (e) Omitto autem dicere, nequè segnitiém, nequè contemptum ea re indicari, sed ostendi honorem, atque reverentiam in Dominum suum. Sed dicet aliquis: scriptum est: *Quis quis invocaverit nomen Domini, salvus erit*, (f) Sic ut ei, qui invocaverit, satis sit ipsa Nominis Domini invocatio ad salutem adipiscendam. Verum audiat & ille Apostolum dicentem: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* (g) Quodsi credis

(a) 2. Tim: C. 2. v. 5. (b) Luc: 12. 43. (c) Math: 28. 19. (d) 2. Cor: 6. 3.
(e) Joan: 13. 8. (f) Joel: 2. 32. (g) Rom. 10. 14.

credis, audi Dominum qui ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est:* (h) Nam certè, qui Domini voluntatem facit, non ita tamen, ut Deus vult, nequè hoc ex affectu amoris erga Deum peragit; is operi perficiendo frustra studium impertit, juxta vocem ipsius Domini Nostri Jesu Christi, qui dicit: *Faciunt, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam:* (i) unde Paulus Apostolus edoctus est dicere: *Etiamsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut comburar, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (k) In summa autem tria hæc ego video animi discrimina, quibus ex inevitabili quadam necessitate ad obediendum mandatis, compellimur, aut enim supplicii metu, à malo declinamus, versamurque in affectu servili; aut mercedis fructus requirentes, ob nostram ipsorum utilitatem mandata explemus, & hoc pacto mercenariis efficimur similes; aut ob ipsum honestum charitatemque erga Legislatorem nostrum, gaudentes, quod digni simus habiti, qui tam glorioso, ac bono Deo serviamus, & ita demum, ut filii efficimur. Neque igitur is, qui in timore perficit mandata, semperque desidiæ pænam suspectam habet, alia quidem, quæ sibi præcepta fuerint, exequetur, alia verò negliget: sed omnis inobedientiæ vindictam sibi exæquo metuendam suspicabitur. Et idcirco beatus prædicatur, qui veretur omnia ob metum: stat autem firmus in veritate, cum possit dicere: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear:* (l) Qui scilicet mihi eorum, quæ ad officium pertineant, prætermittere velit. Et, *beatus vir, qui timet Dominum.* Quam ob causam? quia *in mandatis ejus volet nimis.* (m) Itaque timentium non est aliquid ex iis, quæ præcepta fuerint, præterire, aut negligenter exequi; imo ne mercenarius quidem quidquam eorum, quæ præscripta sint, violare volet. Quomodo enim præmium feret ob vineæ culturam, si pacta omnia non servaverit? etenim si vel unum ex iis, quæ necessaria extiterint, defuerit, inutilem ipsam possessori reddidit. Ecquis præterea detrimenti mercedem persolvat injuriæ actori? Tertium ministerium erat ob charitatem præstitum. Quis igitur filius, cujus is scopus sit, ut complaceat Patri, ipsum in rebus majoribus exhilaratum, tristitiâ ob res minoris momenti afficere volet? quod etiam multo magis præstabit, si meminerit Apostoli, qui dicit: *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis.* (n)

Qui igitur maximam violant mandatorum partem, quo in numero collocari

(h) Marh: 7. 21. (i) Math: 6. 5. (k) 1. Corin: 13. 3. (l) Psal: 15. 8. (m) Psal: 111.
(n) Eph: 4. 30.

locari cupiunt? qui neque Deum ut Patrem, obsequiis colant, neque ei tanquam magna pollicenti habeant fidem, neque ut Domino serviant. *Si enim*, inquit, *Pater sum ego, ubi est gloria mea? & si Dominus sum ego, ubi est timor meus?* (o) qui enim timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.

Quoniam ergo nequè salvi esse possunt, qui opera ex Dei præcepto conficienda non egerint, nequè absque periculo quidquam eorum, quæ imperata fuerint, prætermittitur (ingens enim arrogantia est, constitui nos Legislatoris judices, & alias quidem leges comprobare, alias verò reicere,) agendum nos, qui in pietatis palestram venimus, quique vitam quietam, & a negotiis remotam, tanquam ad custodienda Evangelii dogmata adjutricem sumus amplexi, communem curam, consiliumve adhibeamus, ne quod præceptum nos effugiat. Etenim si Dei hominem oportet perfectum esse, sicut scriptum est, & uti doctrina superius tradita docuit, prorsus necesse est, eum in quovis mandato perfici, & absolvi ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, quando etiam ex Divina lege animal, quod mutilatum sit: etiamsi fuerit mundum, Deo ad Sacrificium acceptum non est.

Num ordo aliquis sit, & series in Dei mandatis, ita, ut aliud sit primum, aliud secundum, & sic deinceps? *Resp:* Vetus est quæstio vestra, & jam olim in Evangeliis proposita, cum Legisperitus, qui ad Dominum accesserat, dixit: *Magister quod est mandatum primum in Lege:* & Dominus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c: hoc est primum, & magnum mandatum. Secundum autem simile, illud est: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* (p) Ipse igitur Dominus in ordinem sua distribuit mandata: primum quidem, & maximum mandatum ad Dei dilectionem spectare pronunciavit: illud verò, quod pertinet ad proximi dilectionem, primo illi simile, seu potius quod expleat primum, & ab eo dependeat, secundum ordine posuit. *Reg: Fus:* 1.

Dei dilectio non in doctrinæ præceptis posita est. Nequè enim ab alio didicimus luce gaudere, & vitam desiderare; neque parentes diligere, aut nutritores. Sic igitur, aut etiam multo magis, non in externa disciplina situs est Dei amor; sed simul, atque constitit animal illud (hominem dico) vis quædam rationis in seminis modum insita nobis fuit, quæ intra se amandi facultatem, atque necessitudinem continet. Quam vim, ubi schola Divinorum præceptorum excepit, eam excolere diligenter, & scitè nutrire, atque Deo juvante ad perfectionem perducere consvevit.... Sciendum autem est hanc unam quidem virtutem esse, sed tamen ejus vi, & efficacia mandatum quodvis

(o) Malach: 1. 6. (p) Math: 22. 36.

perfici, ac comprehendi. *Qui enim diligit me*, inquit Domiuus, *mandata mea servabit*. (q) Et rursus: *In his duobus mandatis universa lex, & prophetæ*. (r) *Reg: Fus:* 2. Dei dilectio, quæ simul excitat ad conficienda Dei mandata, & ipsa ab ipsis viciſſim perpetuò & conſtanter servatur. Atque hoc Dominus oſtendit, qui nunc quidem ait: *Si diligitis me, mandata mea servate:* (s) Nunc verò: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*. (t) Et quod efficacius etiam poſſit commovere: *ſicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. (u) Reg: Fuſ: 5.

Martha Dominum excipit: Maria verò ad illius pedes aſſidet: bonum eſt in utraque sorore ſtudium: sed tamen diſtingue res ipſas. Nam Martha in miniſterio occupata apparabat, quæ hoſpitis corpori futura erant neceſſaria: Maria verò aſſidens ad illius pedes, sermones ipſius audiebat. Altera igitur reficiebat viſibile, inviſibili serviebat altera. Vere enim, qui aderat, is, & Homo erat, & Deus; idem Dominus utriuſque mulieris ſtudium approbabat. At Martha cum premeretur labore, internuntium fieri ſibi Dominum poſtulabat, ut se sua soror in miniſtrando juvaret. *Dic illi*, inquit, *ut surgens miniſtret mecum*. Cui *Dominus*; *Martha. Martha sollicita es, & turbaris circa multa: porro unum eſt neceſſarium: Maria enim bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea....* (w) Jllam quidem non avocavit a suſcepto opere; sed hanc laudavit ob illius attentionem. Videtur mihi igitur duos ſtatus per mulieres duas deſignare: alterum quidem inferiorem, cum miniſterium magis corporale amplectatur (quamquam & ipſum eſt utiliſſimum) alterum verò meliorem, cum ad myſteriorum contemplationem aſcendat, magiſque ſpiritualis ſit. Hæc tu, qui auditor es, ſpiritualiter accipe, & utrum vis, elige.... Quodſi potes utraque imitari; utrinque referes fructum salutis. *Conſt: Monaſt:* C. 5.

Vitam, quæ ſimul cum pluribus agitur, ad multa utiliorem eſſe scio. Ac primùm quidem, quod nemo noſtrum ſit, qui ſibi ipſi ſufficiat ad sublevandas corporis neceſſitates, sed in comparandis rebus neceſſariis alter alterius operâ indigeamus... Siquidem Opifex Deus nos alterum alterius ope egere decrevit, ſicut scriptum eſt; ut ſic inter nos conjungamur. Sed præterea diligendi Chriſti ratio, & modus unumquemque, quod proprium ſibi fuerit, spectare non ſinit. *Charitas enim* inquit, *non quærit, quæ sua sunt*. (x) Vita autem solitaria, & seorſim a cæteris omnibus acta, scopum unicum habet, ut suis quiſque utilitatibus inſerviat. Hoc autem aperte adverſatur charitatis legi, quam implevit Apoſtolus, qui non sua, sed multorum commoda, quærebat, ut salvi

(q) Joan: 14. 23. (r) Math: 22. 40. (s) Joan: 14. 15. (t) Joan: 15. 10. (u) Jbidem. (w) Luc: 10. 40. (x) 1. Corinth: 13. 5.

ut salvi fierent. *Reg: Fus: 7.*

DECLARATIO.

Luculenter patet, ultimum Monachorum, ac Sæcularium scopum ex mente S. Patris Nostri eundem esse. Utrisque enim animarum suarum saluti consultum ire, id est, ad vitam æternam tendere, æque propositum est. Peculiarem tamen, & non ultimum finem, quem alia quoque instituta Regularium communem sibi habent, esse Christianam perfectionem, idem S. Pater Noster clare docet, cum necesse, ait, nos, qui in pietatis palestram venimus, perfici in quovis mandato, & absolvi ad mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Perfectionem autem istam, ad quam eniti jubemur, sitam esse in plenitudine charitatis, non summa illa, quæ in statu glorioso possidetur, sed quæ in hac vita obtineri potest, & solet, sive, ut ait S. Pater Basilius, (y) quam schola Divinorum præceptorum, id est vita Monastica, excolere diligenter, & scitè enutrire, atque Deo adjuvante ad perfectionem perducere consvēvit. Discimus ex eodem S. Patre, qui loco proximè citato, ita de charitate ait; sciendum autem est, hanc unam quidem virtutem esse; sed tamen ejus vi, & efficacia mandatum quodvis perfici & comprehendi: *Qui enim diligit me*, inquit Dominus, *mandata mea servabit*. Et rursus: *In his duobus mandatis universa lex & Prophetæ pendent*.

Hinc scire tenentur Monachi nostri se eo ipso, quod Monasticæ vitæ genus amplexi sint, pro ratione status sui obligari, ut semper ad perfectionem charitatis tendant. Quod non est aliud, quam sedulò dare operam, ne minimum quidem punctum (prout in Proemio ad Reg: Fus: latè docet S. Pater Noster) ex iis, quæ mandata sunt, negligatur; utque singula perficiantur, ita quemadmodum nobis præcepta sunt, sive ut perficiantur, ut Deus vult, ex affectu amoris erga Deum. (z) Fit enim, ut idem tradit, ut si nobis in quovis opere Dei præcipientis voluntatem tanquam scopum proponimus, ad eumque studium nostrum dirigimus, Deo conjungamur.

Præter communes illos fines, de quibus diximus, habet institutum nostrum etiam alios peculiares ac immediatos suos fines, per quos tanquam media ad mediatum charitatis, & ultimum æternæ salutis finem, pervenire nos necesse est, scilicet contemplationem, & actionem: quod perinde est, ac si diceremus; Nobis Basilianum Institutum profitentibus propositum esse ad perfectionem charitatis per vitæ contemplativæ exercitia, & vitæ activæ studia contendere. Etenim certa, & explanata res est, teste S. Patre Nostro Gregorio Theologo

(y) Reg: 2. Fus: Disp. (z) Reg: Fus: 5.

Theologo Orat. 20. S. Basilium medium inter *Anathoretas*, qui contemplationi, & *Migadas*, qui actioni se totos dabant, Jnstitutum instituisse, & utrorumque officia in Cænobiis ita conjunxisse; ut nec Anachoretarum deesset solitudo, nec Migadarum officiosa charitas; primorum autem abesset factus, & posteriorum tumultus; quod uberius clariusque eodem loco edisserit Jdem S. Pater Noster Gregorius. Cum igitur solitaria vita, & ea, quæ societate gaudet, ut plurimum inter se diffiderent, ac pugnarent, ne utraque omnino commoda pura vel incommoda & mixta haberet, verum illa magis quidem tranquilla, & composita esset, ac Deo animos copularet, cæterum ob eam causam fastu non careret, quod virtus non exploraretur, nec in comparationem veniret. Hæc autem magis quidem actuosa, & utilis esset, verum a tumultibus minus libera: præclare eas inter se reconciliavit ac permiscuit, pietatis nimirum gymnasia, & Monasteria exstruens, non tamen longe discrepantia ab iis, qui societatem colunt, & permiscentur, nec velut muro quopiam interiecto hæc instituta distinguens, atque a se invicem separans ac dirimens, verum prope conjungens, ut nec contemplatio communicationis expers esset, nec actio contemplatione careret.

Jd etiam compertum est, quod tametsi Cænobitica vita Nostra Basiliana ex duplici parte mixta, contextaque sit; potior nihilominus contemplatio ejus finis habeatur, quam actio. Nihil enim in Regulis suis S. Pater Basilius nobis operosius commendat, quam studium orationis, & abnegationis suimet ipsorum, amorem silentii, & solitudinis, collectionem animi, & id genus alia, quæ aperte vitæ contemplativæ officia sunt, iisque, qui in solius Dei amplexus adspirant, via Regia, qua ad arctissimam unionem cum Deo perveniant. Jdeo omnes scire tenentur, primarium ac præcipuum studium nostrum esse dare operam exercitiis, quæ ad vacandum Deo, ejusque res contemplandas instituta sunt, serio intendere: aliud verò, quasi posterius, in ea diligenter adimplenda incumbere, quæ nobis ex obedientia ad proximorum nostrorum salutem, utilitatemve agenda præscribuntur, ut docere, prædicare, confessiones excipere, manibus laborare, &c.

Jnstitutum nostrum complectitur præterea Regulas, Constitutiones, & Ordinationes Superiorum, tamquam media, per quæ peculiares propriique Jnstituti nostri fines obtinentur. Hinc Monachi nostri ita ad fines suos collineent, ut alias eis vias, ac media, quibus ad eosdem pervenire possint, requirere necesse non sit, præter sola ea, quæ in nostris Regulis & Constitutionibus præscribuntur. Proinde fideliter prælaudatas Regulas, & sanctiones observare discant, persvasum habentes sic, & non alias se ad charitatis perfectionem pro

Basiliani

Basiliani sui instituti ratione perventuros.

Porro quod status nostri obligationem attinet, id hoc loci declarandum venit: Tria nimirum solemnia Vota, & quartum de non ambiendo. Jtem formalia expressaque Superiorum mandata, quæ & seriam mandantis Superioris voluntatem exprimant, & circa rem ex se gravem versentur, Monachos nostros Professos sub reatu letahlis peccati obligare. Regulas verò, Constitutiones, & Ordinationes, sive Decreta Reformationis, etsi ad nullum peccatum, tamen ad pænam sicubi, & quando imposita est, vel Superior imponere judicaverit obstringere. Sciant tamen Monachi nostri Religiosæ perfectionis studiosi, se non aliter Regulas, & Leges nostras, quæ ad nullum peccatum obligant, observare debere; quam si mortalem reatum incursuri essent. Omnia quippe ista, quæ nostrum Jnstitutum continent, convenientissima ad perfectionis acquisitionem auxilia sunt, quæ parvi pendentes, a culpa saltem levi, etiam citra contemptum, nunquam eximuntur.

PARS PRIMA.

Constitutiones Communes

CAPUT PRIMUM.

De Votis

Obedientia

Textus Regulæ S. Patris Basilii M.

Qui ad Monasticæ vitæ genus accedit, oportet imprimis eum stabilem, firmum, & immobilem animum habere, ac propositum ejusmodi, quod nequitiæ spiritus invadere, ac mutare non possint, itemque Martyrum constantiam firmitate animi usque ad mortem ostendere, sic, ut & Dei mandata amplectatur, & Magistris suis obtemperet. Hæc enim hujus Jnstituti summa est. *Const: Monast: Cap: 19.*

Ad Romanos scribens Apostolus Paulus, (a) subjici eos & Potestatibus cunctis supereminentibus jubet, mundanis, inquam, non Spiritualibus Potestatibus. Atque hoc ex his, quæ sequuntur, declaravit, ubi de tributis, ac vectigali loquitur, & ubi, qui vel minimum resistit potestati, (b) eum affirmat, Deo ipsi resistere. Jtaque si hujus mundi Principibus, qui ex humana Lege Principatum obtinuerunt, ita subjectos esse pietatis cultores voluit Divina Lex, idque tunc, cum in impietate degerent; quanta tandem ab Asceta præstanda obedientia est ei, qui à Deo Præses constitutus sit, ab ejusque Legibus potestatem acceperit? Quomodo igitur Dei ordinationi non restiterit, qui resistit Moderatori

(a) Rom: 13. 1. (b) Jbidem v. 7.

Moderatori ? Præſertim cum aperte Apoſtolus jubeat omni in re parendum eſſe Spiritualibus Præpoſitis : *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris , & subjecti eſtote , ipſi enim vigilant pro animabus veſtris , tanquam rationem reddituri , ut cum gaudio hoc faciant , & non gementes : Inutile hoc enim vobis eſt* . (c) Si igitur non perfecte obedire inutile eſt , operæ pretium eſt , perſequi nos , quod magis expedit . Nam mea quidem sententia , hoc quod dicitur inutile , magni cujuſdam detrimenti , reique pænitendæ ac corrigendæ ſignificationem habet .

Imitanda eſt autem maximè Sanctorum obedientia , quam Deo exhibuerunt . Si idoneo hoc exemplo ad exequendum noſtrum propoſitum utentes , obedientiam rite præſtare velimus . Neque verò exiſtimet quiſpiam me obedientiam Præfectis debitam ſtabilire volentem , exempla sublimiora proferre , aut debitæ Deo obedientiæ obedientiam hominibus reddendam arroganter comparare audere . Non enim proprio marte , sed ipſis Divinis scripturis inductus , hanc adhibui comparationem , Animadverte enim , quid dicat Dominus in Evangeliis , ubi de obedientia servis suis reddenda Legem ponit : *Qui recipit vos , me recipit* : & iterum alio in loco : *Qui vos audit , me audit , & qui vos spernit , me spernit* . Quod autem Apoſtolus dixit , id ab ipſo de omnibus poſt eos moderamen habituris ſtatutum fuiſſe ex multis , & indubitatis Sacræ Scripturæ teſtimoniis , evidentiſſimiſque argumentis probari poteſt . Quamobrem fuimus nos etiam convenienter Divinis oraculis loquuti , cum diximus , nos Sanctorum erga Deum obedientiam , noſtræ erga Præfectos obedientiæ exemplar nobis ipſis proponere . *Conſt: Monaſt:* C. 22.

Qui ad diſcendam pietatis , sanctitatiſque diſciplinam accedunt , ubi semel perſvaſerint ſibi , se ejuſmodi scientiam a Præfecto ediſcere poſſe , se his præſtabunt omnino dociles , ac prorſus morigeros omnibus in rebus , neque eorum , quæ imperata sunt , expoſcent rationem , sed injunctum opus perficient ; præterquam quod ſi eorum , quæ ad salutem attinent , quidpiam ignorent , licebit modeſtè , & cum decenti reverentia interrogare , ac doceri . *Ibidem* .

Vera autem , & perfecta subditorum erga Præfectum obedientia in eo declaratur , ſi non a flagitioſis modo abſtineant ex Præfecti conſilio , sed ſi ne ea quidem , quæ laudabilia sunt , citra illius arbitrium peragant . Nam abſtinentia & omnis corporalis afflictatio ad aliquid utilis eſt , sed ſi quis animi sui motum sequutus , quod ſibi placet , egerit , & Præpoſito conſilium ſibi danti , non obtemperaverit , peccatum futurum eſt magis , quam rectefactum . Qui enim reſiſtit poteſtati , Dei ordinationi reſiſtit ; atque obedientiæ major merces quam

(c) Hebr: 13. 17.

quam abstinentiæ virtuti tribuitur. *Instit: Monach: Cap: 5. N. 2.*

Cum obedientia juxta Apostolum, proposita nobis obedientia Domini, *qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (d) limites suos usque ad mortem extendat, delatum munus qui recusat, & requirit aliud; primùm violat obedientiam, & aperte declarat, se minime abnegasse semet ipsum. Deinde etiam aliorum plurium malorum tum sibi, tum cæteris auctor existit. *Reg: Brev: Inter: 116. & 119.*

Si quid, quod omnino cohæreat cum mandato Domini, aut ei conducat, nobis præcipiatur, id tanquam Dei voluntatem studiosius diligentiusque suscipere debemus, exequentes, quod dictum est: *Obedientes alter alteri in charitate Christi.* (e) Cum verò aliquid, quod contrarium sit mandato Domini, aut id corrumpat, aut inquinet, nobis ab aliquo præceptum fuerit; tunc opportune dicemus: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Regula: Brev: Inter: 113.*

Quodsi quis se dicat, propter corporis infirmitatem mandatis conficiendis imparem esse, infirmitatem suam Præfecto probandam permittet. Et alioquin, si meminerit Scripturæ, adhortabitur se ipsum ad imperàta implenda, quandoquidem audiet Scripturam dicentem: *Nondum usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Constit: Monast: Cap: 27.*

Qui contradixerit Præposito, velut contumax, aliosque ad id ipsum provocans; statuatur esse obnoxius judicio huic: *Contradictiones suscitat omnis malus; Dominus autem Angelum immisericordem immittet ipsi:* (f) Sit autem persvasissimum ei, se non homini contradicere, aut obedire, sed Domino ipsi, qui dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Reg: Brev: Inter: 38.*

Docet Apostolus dicens: *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus.* (g) Quis quis ergo murmurát, abalienatus sit a conjunctione Fratrum, & opus illius ab illorum usu. Palam est enim, eum tum incredulitate, tum spei ambiguitate laborare. *Reg: Brev: Inter: 39.*

Sive tenet quis artem a Communitate haud improbatam, eam deserere non debet. (est enim animi inconstantis, & mentis incertæ nihil facere præsentia) sive non habet, sibi ipsi non sumat, sed quod a Majoribus probatum est, suscipiat, ut in omnibus obedientia servetur. Quemadmodum autem sibi ipsi delectum permittere, indecorum esse monstratum est; ita quoque rem ab aliis probatam non suscipere, probro vertitur. Imo etiamsi quis habeat artem, non placeat autem ejus usus Fraternitati, abjciat ipsam prompto animo, seque

nullius

(d) Philip: 2. V. 8. (e) Eph: 4. V. 2. (f) Proverb: 17: V. 14.
(g) Philip: 2. V. 14.

nullius rei mundanæ studiosum esse ostendat. *Reg: Fus: Inter:* 41.

In universum propria voluntate uti, aut pro arbitrio agere, alienum sit a recta ratione: Itemque, quod plurium judicio non patere, est contumaciæ, & contentionis periculum adire. *Reg: Brev: Inter:* 123.

Dictum est, oportere, ut cui operum dispensatio delegata est, is prius habilitatis, & virium laborantis habita ratione mandata sua dirigat, ut, ne audiat illud. *Qui fugis laborem inpræceptum*. (k) Verum tamen refragari non debet, cui datum est mandatum. Quandoquidem obedientia ad mortem usque limites suos extendit. *Reg: Brev: Inter:* 152.

Ji, qui secundum Deum Ascetæ sunt, Præfectis obsequi debent, nequaquam curiosius perscrutantes eorum præcepta, quando libera sunt a peccato, sed omni alacritate atque studio imperata explentes. *Constit: Monast: Cap:* 22. *N.* 5.

Cum quis Præpositi statuta non admittit, debet apertè, vel privatim ei contradicere, si modo suppetat ipsi valida aliqua ratio, eaque Scripturis consentanea; vel silentio mandatum conficere. Quodsi eum pudeat; ad hoc adhibeat alios quosdam internuntios, ut si hoc mandatum Scripturæ adversetur, ipse & se ipsum, & suos Fratres a noxa eximat: sin autem liqueat illud a recta ratione alienum non esse, se à vana, ac periculosa inquisitione liberet. *Reg: Fus: Inter:* 47.

Non convenit affligi Fratres, aut indignari, quando Præfectus infirmioribus convenientia munia assignat, eosque indulgentia dignos censet, necessitate ita postulante. Imo verò qui robustiores sunt, eos cæteris, qui indulgentia indigent, tanquam debilioribus membris, par est parcere, & hoc pacto charitatem spiritualem complere. *Constit: Monast: Cap:* 32.

Jllud in universum inter Fratres observandum est, ut nullus investiget curiosè Præfecti agendi rationem, neque eorum, quæ fiunt, satagat, iis solum exceptis, qui tum gradu, tum prudentiá ipsi Præposito sunt proximi. *Reg: Fus: Inter:* 48.

Si verò detrahat Præfecto, judicium illud manifestum est ex ira Dei adversus Mariam, quando de Moyse oblocuta est, cujus peccatum Deus, ne ipso quidem Moyse precante, inultum reliquit. *Reg: Brev: Inter:* 27.

Quodsi quispiam existimat opus sibi esse asperitate majore, sive in jejuniis, sive in vigiliis, sive in quacunque alia re, patefaciat rei communis Præfectis hanc ipsam rationem, ob quam asperitate majori indigere se arbitratur. Quod autem ipsis probatum fuerit, observet. *Reg: Brev: Inter:* 138.

Quid

(k) Psal: 93. V. 20.

Quid quid enim ſine Præfecto efficitur, furtum eſt, & sacrilegium, quod mortem infert, non utilitatem, tametſi tibi videtur eſſe bonum. Etenim ſi bonum eſt, cur fiat clanculum, non in aperto? *Inſt: Monaſt: Cap: 2. N. 40.*

CONSTITUTIONES.

I. Nulla eſt virtus quam nobis commendet magis, ac inculcet S. Pater quam obedientiam; Qua propter, qui Jnſtitutum ejus profitentur, nihil antiquius habeant, quam ut omnia promptè, alacriter, cum debita humilitate, ſine excuſationibus, obmurmurationibusquè adimpleant. quæ ſibi a Superioribus, vicem Dei gerentibus, imperantur.

II. Si cui tamen suppetet valida, ut loquitur Jdem S. Legislator noſter, id èſt in noſtris Conſtitutionibus vel Sacris Canonibus fundata aliqua ratio Superioris mandatum detrectandi, èam per se, vel per alios, quemadmodum docemur *Reg: Fuſ:* 47. adhibitos internuntios. Superiori curet patefacere. Quo præſtito, ſi contigerit Superiorem perſtare in sententia, Monachus verò perrexerit, etiam datis ſibi induciis ad æſtum deponendum, credere, grave ſibi facèſſi negotium, integrum ipſi eſto, suſpenſa Præcepti exequutione ad Viſitatorem recurrere. Quodſi facilis ad Viſitatorem recurſus haberi nequiret, res verò urgeret, fas ſit eidem per Litteras convenire suæ viciniæ Seniorem; cujus partes erunt, Monaſterium expoſtulantis Manachi adirè, controverſiam diſcutere, diſcuſſa ex æquo decidere, totaque de re demum Viſitatorem certiorem facere; Sicuti etiam Superior opem Senioris poſtulare poteſt, quoties in officio continere Monachum sua authoritatè non valeret.

III. Pariter licebit Monacho non admiſſa pænitentia, apellationem ad Viſitatorem interponere, quoties pænitentia graviſſima, & irreparabilis, aut inflicta contra Sacros Canones, Legumque Monaſticarum Præſcriptum, gravibus, ac certis probaretur argumentis; ſi his tamen Superior nihil deferendum duceret. Quodſi pænitentia eſſet ad medicinam, & emendationem duntaxat impoſita, nemini licebit appellare, niſi ea admiſſa, & expleta, ac impenſo deliberationi triduo, ut nimirum animo a pèrturbatione expedito, rectius videri poſſit, num opere pretium ſit appellare.

IV. Cum perſuaſum noſtro cuique Monacho *juxta Reg: Brev:* 38. Eſſe debeat, se non homini contradicere, aut obedire, sed Domino ipſi, qui dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* nemo audeat cum Superiore protervè contendere, verbis eum lædere, nutibus, aut ſignis in contemptionem adducere. Quodſi quis tantùm ſibi sumeret, ut graviter contra debitam Superiori reverentiam delinquere non vereretur; intererit omnium de

D   cætu

cætu communitatis Monachorum dare operam, ne hujusmodi audax facinus inultum relinquatur. Atque ad id se omnes teneri intelligant sub pœna gravis culpæ. Imo illud etiam ad suam curam pertinere sciant, ne minoris etiam cujusvis irreverentiæ reus maneat, non ex æquo punitus.

V. Cum ad veram perfectamque obedientiam, juxta nostram Regulam pertineat, non tantum agere, quod præceptum est, sed nihil extra ordinem agere præter Superioris sententiam; Serio Monachis nostris prohibemus, ne ullum unquam opus suarum, quas callent, artium, aggredi, externos alloqui, aut ad cubicula invitare, litteras scribere, ac accipere inscio, & dissentiente Superiore audeant.

VI. Fas tamen Monachis esto, citrá facultatem Superioris localis ad mediatos Superiores, & ad quoscunque sive Consultores, sive Secretarios scribere, accipereque ab iisdem Litteras.

VII. Nemo nostrum audeat Litteras commendatitias à Sæcularibus emendicare, ut se obedientiæ subtrahat, vel illam impediat, vel remoretur: multo minus, ut pœnas effugiat debitas delicto, vel culpæ suæ.

VIII. Ad communes functiones chori, scilicet refectorii, scholæ, & alias, ad quas per signum campanulæ convocantur, tanquam ad vocem Domini vocantis, nulla interjecta mora, omnes, præter dispensatos, & legitime impeditos concurrere teneantur.

IX. Dent operam etiam Monachi nostri, ut non solum Superioribus, sed etiam eorum Ministris, ut Vicariis, Ecclesiarchis, aliisque Monasterii Officialibus, in iis, quæ vel ex commisso eorundem Superiorum, vel ex vi Regularum officiis suis præscriptarum ab aliis agenda requirent, humiliter morem gerant.

X. Superiores quoque ipsi intelligant se ab obedientiæ vinculo non esse exepmtos, proinde Plælati omnes tam temporales, quam advitales, quocunque titulo insigniti, curent singuli sancta hujusmodi virtute subditis suis prælucere, parendo exactè tam Superioribus suis respectivis, quam Regulæ & Constitutionibus Congregationis nostræ.

PAUPERTAS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii M.

Oportet Ascetam, qui eam, quam exposuimus, societatem amplexus sit, ab omni privata rerum terrenarum possessione liberum esse. *Const: Monast: Cap: 34.*

Apotheca communis omnium sit, nèc quidquam, ceu cujusvis proprium nominetur, non vestimentum, non calceamentum, non quidvis aliud, quod

ad necessa-

ad necessarium corporis usum pertineat. Sed usus sit penes Præfectum, ita, ut quidcuique convènit, id ex communibus tribuatur juxta moderatoris præceptum. *Instit: Monach: C. 4.*

Dare autem, aut accipere, etiam secundum mandatum, non est cujuslibet, sed ejus, cui post factum experimentum, delatum est munus dispensandi. Proinde sive vetus, sive novum fuerit, hic habita ratione temporis cujusque, & dabit, & recipiet. *Reg: Brev: Inter: 87.*

Judicio furis, aut cujusvis cum fure currentis, obnoxius esto uterque, tum qui dat, tum qui accipit, citra sententiam illius, cui demandata est harumce rerum cura. *Reg: Brev: Inter: 142.*

Qui abusus fuerit, veluti sacrilegus: qui verò perdiderit, tanquam sacrilegii auctor judicetur; cùm sint Domino dedicata omnia, & Deo consecrata. *Reg: Brev: Inter: 144.*

Quodsi suo jure commodaverit alicui, àut ab eo acceperit, veluti temerarius, & contumax judicetur. Hæc enim ejus, qui his curandis Præpositus est, ipsaque distribuit, propria sunt. *Reg: Brev: Inter: 145.*

Nihil nominatim, & peculiariter cuiquam tribuatur, neque vestimentum, neque vas, neque quidpiam aliud ex iis, quæ conducunt vitæ communi, ut singula usibus necessariis, non autem possessoribus destinentur. *Instit: Monach: Cap: 5.*

Certe necesse est, ut iis, qui ad Dominum accedunt, bona ad ipsos pertinentia reddant Cognati, nihilque subtrahant, ne subeant judicium sacrilegii. Attamen dum hæc consumuntur in oculis eorum, ad quos attinere visa sunt, id plerumque, & his ipsis causam dat se se efferendi, & pauperibus, ad idem vitæ genus accedentibus tristitiæ fit occasio. - - - Quare talia administrare non est omnium, sed eorum duntaxat, qui præmisso examine, huic rei præfecti sunt. *Reg: Brev: Inter: 187.*

Ab omni avaritia declina cor tuum, ut non condemneris, sicut adulter, & idolorum cultor. Noli amare mammonam, ne offendas ei, cui membra tua, & mentem pariter dedicasti. Ne petas eas, quæ te avocant, & separant a Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cælestes. Multi cupientes aliena, & à suis privati sunt. Alienatæ a nobis sunt sæculi hujus facultates: nostra autem possessio regnum cælorum est. Noli appetere aliena, ne a tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto. Quidquid superfluum est, proijce abs te, tanquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, & in laqueos diaboli. Caveto avaritiam; quia radix omnium malorum ab Apostolo nominata est. *Ad-*

monit:

monitt: ad Fil: Spiritt: Parag: 6.

CONSTITUTIONES.

I. Vitam perfectè communem, quam servandam S. Pater Noster præscribit, plurimi facientes, volumus, ut Capitula Provincialia, venientibus annis celebranda serio deliberent, qua ratione Monasteria, quæ sufficientium facultatum laborant inopia, rem familiarem suam facere possint auctiorem, quo scilicet tenendo, tuendoque vitæ usquequaque communis Jnstituto, idonea evadant singula, ita, ut præter victum, qui Divina liberalitate ex communi cella penaria ministrátur, etiam amictum quoad omnes necessarios vestiendi corporis usus, ex communi, quemadmodum vult S. Páter Apotheca, omnibus suppeditare valeant,

II. Interea autem dum in eum locum Dei ope res veniat, volumus, ut Monachis habita Personarum ratione (quæ qualiter ducenda sit, statuent proxime habenda Capitula Provincialia) certa pecuniæ merces, vestiarii nomine, quotannis in amictum pendatur; cujus tamen moderandæ quantitatis semper penes Capitula Provincialia potestas erit, ne illa scilicet aut veræ Personarum indigentiæ sublevandæ impar sit, aut eandem excedat.

III. Nolumus tamen istam de pensione vestiaria legem extendi ad Monachos, quos abuti pecunia compertum esset. Nam his omnia ad usum vestiendi corporis necessaria ab ipso Superiore curari, & præstari volumus, ducta utique ratione vestiarii, quod alias ab ipsis in pecunia percipiendum fuisset.

IV. Sancimus præterea, ut in Monasteriis, quibus res familiaris amplior est, ac majores suppetunt copiæ, Superiores sentiant se obligatos præter pensionem vestiariam, ad alia quoque Fratribus suis providenda, quibus eos curare incongruum molestumque esset.

V. Omnia tamen Monasteria, nulla excusante proventuum tenuitate, curabunt omnino, ut nullibi a Monachis nostris desideretur, aut ipsorummet mercede conducatur tam Chirurgorum, quam lotricum opera necessaria.

VI. Quia verò ob non satis sufficientes Monasteriorum facultates, omnibus Monachorum necessitatibus, etiamdum succurri commodè nequit; ideo tam pecuniæ, quam rerum aliarum usum, ipsis a Visitatore Provinciali sub tempus visitationis permittendum ducimus; ita tamen, ut pecunia, si qua cui facultas utendi concedenda sit, haudquaquam eam quantitatem excedat, quæ spectata Religiosæ paupertatis natura, permitti valeat, aut peculiares Personarum, temporum, aliarumque circumstantiarum rationes suaserint. Ideoque pro vario earundem statu, semper Capitulis Provincialibus determinandi talem quantitatem

majorem

majorem vel minorem potestas erit.

VII. Quare noverint Religiosi nostri ex voto paupertatis nullius rei Dominium posse sibi convenire. Hinc paratos se esse debere ad renuntiandum usui quarumcunque rerum, etiam alias sibi permissarum, cum Superior saluti suæ id magis expedire in Domino judicaverit.

VIII. Ut itaquè legitimè rerum sive necessariarum, sive convenientium statui suo, usu potiri valeant, obligantur in scripto Superiori Visitatori, vel hujus vices sustinenti, referre speciatim recensitas, & usûs earundem facultatem expetere, quoties ab eodem requisiti fuerint. Quam quidem expropriationis, ut nominare solemus, legem, singulos cujuscunque gradus & dignitatis, sive in Monasteriis particularibus, sive in Provincia quacunque, sive in ordine eminentes Religiosos complecti stringereque volumus. Consequenter, omnes & singulos hac teneri, quam primùm a suis respectivis Superioribus ad eandem implendam obligentur.

IX. Superiores verò, quibus expropriationis exigèndæ jus competit, a Religiosis sibi subditis, sciant se secreto naturali teneri, ita, ut absque necessitate, quæ aliter svaderet, haustam notitiam ex porrecto sibi elencho rerum, minimè communicare aliis audeant, vetitumque sibi putent ulla ratione subtrahere aliquid, sive in privatos, sive in communes usus illud convertere velint, ex rebus usui alicujus Religiosi concèssis, aut legitimè concedendis, nisi fortassis de abusu convinceretur, aut res appareret statum Religiosum offendens. Nec denique integrum Superioribus erit, è communibus Provinciæ vel Monasterii beneficiis quidquam detrahere motivo notitiæ habitæ ex revisa Religiosi expropriatione.

X. Quodsi verò contigerit quempiam Monachum, aut Parentum, aut aliorum Patronorum suorum beneficiô aliquid obtinuisse, quod usui suo superfuerit, integrum illi esto, alicui suæ Provinciæ Monasterio applicare, conditionibûs ipsi Monasterio a se delecto & Visitatori Provinciæ exponendis, atque a Proto-Archimandrita approbandis.

XI. Monachi nostri Archimandriis præficiendi volumus, ut rerum quarumcunque usum legitime sibi permissum habuerunt, denuo facultatem a Rmo Proto-Archimandrita iis utendi postulent; eamque ante sui benedictionem obtentam, & in Archivio Proto-Archimandritali reponant a se subscriptam, & aliam a Proto-Archimandrita subscriptam, in sui Monasterii Tabulario conservent, ut scilicet ex èjusmodi elenchis, facile discerni possint res, quæ illorum curâ accesserint Monasterio, cui eædem cedere debent, ab iis, quas in statu simplicis Religiosi acquisiverant, & permissas sibi habuerant.

XII. Ji, qui ad dignitatem Episcopalem provehuntur, Monasterium non

prius

prius deserant, quam juxta Elenchum ultimo recognitum renuntiaverint omnibus, quæ permissu Superiorum, ad usum suum habuerunt. Si quid tamen ipsis ad ulteriorem usum commodandum videretur, id Superiores non aliter faciant, quam accepta chirographi cautione, vel de restitutione rei commodatæ congruo tempore facienda, vel de dando quam primùm Ordini pro ipsa æquo pretio. V. *Benedicti* XIII. Decret: *Postul: sub Die* 7. *Martii*. 1725. *emanatum*.

XIII. Ut Monachi ad præscriptum Regulæ rerum omnium Monasterii, quæ ad usum conceduntur, veluti rerum Divinarum rationem habere consvescant, seriò præcipimus, ut si quis rem quampiam Monasterii perdiderit, fregerit, laceraverit, vel alia demum quacunque ratione abusus illa fuerit, Superiori supplex fiat, atque ab eo culpæ pænam poscat.

XIV. Quid quid Monachis singillatim ab externis mittitur, & offertur, id, si res majoris momenti est, mox Superiori indicetur, & patefiat.

XV. Ut Monachi nostri omnem avaritiæ speciem etiam deinceps studiosè devitent, & a negotiationibus diligenter abstineant, serio præcipimus. Nolumus tamen negotiationis nomine accipi venditionem, ac commutationem frumentorum, annonæque, si qua à necessario victu superest; dummodo venditio, aut commutatio, nomine, & in rem fiat Monasterii.

CASTITAS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii M.

Ante vitæ Religiosæ Professionem, quilibet potest juxta id, quod concessum, ac legitimum est, vitæ commoda amplecti, ac nuptiarum societati se dedere: Sed ubi jam Professus est, se ipsum Deo custodire debet, veluti Sacrum quoddam donum: nè sacrilegii damnationem subeat, si corpus per professionem Deo dicatum, rursus communi vitæ ministerio contaminet. Atque hoc dico, non unum tantummodo vitii genus spectans, quemadmodum opinantur quidam, qui in sola corporis custodia, virginitatis virtutem constituunt: sed respicio ad omnem vitiosæ affectionis speciem, sic, ùt nullo mundano vitio inquinetur, qui se ipsum Deo custodire studet. Jra, invidia, injuriarum illatarum memoria, mendacium, superbia, mentis evagatio, intempestiva garrulitas, segnities in orando, eorum, quæ non sunt cupiditas, in mandatis perficiendis negligentia, vestimentorum ornamentum, faciei cultus, congressiones, colloquia præter decorum, & sine necessitate habita, hæc omnia quam diligentissime sunt cavenda ab eo, qui per virginitatem Deo se ipsum consecravit: Siquidem propemodum æquale est periculum in unum aliquod horum dilabi, & in vetito peccato versari. *Instit: Monach: C.* 4. *N.* 2.

Non

Non enim in sola à procreandis liberis abstinentia constituitur virginitatis donum, sed vita omnis, vitæque ratio, ac mores virginitatem excolere debent, sic, ut cælibis integritas in omni studio appareat. *Ibidem N.* 1.

Par est, non solum cogitationes moderari, sed etiam, quoad ejus fieri potest, à rerum consvetudine recedere: maximè earum, quæ suo ad nos accessu libidinem nobis in memoriam revocantes, turbant, ac confundunt mentem, bellaque & pugnas omnino faciunt. Bellum enim, quod invitis nobis accidit, sufferre planè necesse fuerit: sed spontaneum bellum sibi ciere, est absurdissimum. In priore enim, etiamsi quis superetur, fortè veniam consequetur (absit tamen hoc à Christi athletis) at verò in altero, si quis vincatur; præterquam quod, id admodum ridiculum est, præterea venia caret. Itaque opere pretium est, & mulierum colloquia; & consvetudines quam maximè fugere, nisi inevitabilis quædam necessitas adigat ad collocutionem. Quodsi devenerimus ad hoc necessitatis, ab his, tanquam ab igne cavendum est, & ab ipsis ocyssimè & celerrimè secedendum. Considera autem, quid ea de re Sapientia ipsa dicat: *Alligabit quis ignem in sinu, vestes autem non comburet? aut ambulabit quis super carbones ignis, & pedes non comburet?* (d)

Quodsi quis dicat, se ex frequenti mulierum colloquio atque consvetudine nequaquam lædi, is, aut particeps non est masculæ naturæ, & est res quædam portentissima, in utriusque sexus confinio posita, quales dicunt, qui Eunuchi nati sunt, si tamen hoc illis etiam demus, quod nullomodo fæminæ libidine afficiantur, aut commoveantur. *Concupiscentia enim spadonis devirginabit juvenculam*, inquit sapiens: (e) Aut si expers non est, cum totus libidinibus immersus sit, insciens ebrios & phreneticos imitatur, qui gravissimis morbis affecti, existimant se esse a morbo immunes. Agedum, quod rationi haud consentaneum est, id inter disceptandum concedamus, esse quempiam, qui nullo masculo affectu exstimuletur. Verum tametsi nihil sentit, tamen se nihil sentire vix cæteris etiam persvadere poterit. Porro, quod quis nulla sibi proposita virtute, multis offensioni est, hoc ei periculosum esse arbitror. Deinde verò aliud etiam considerandum est, quod etiamsi nullam viro perniciem afferant cogitationes; at non item de muliere quoque nobiscum contendet, quasi ea etiam corporearum libidinum expers sit. Quin potius ipsa, cum sæpe debili ratione prædita sit, irrepatque facile in eam libido, ex eo, qui in ipsius collocutionem incautè venit, detrimenti aliquid accipit. Et ipse quidem non sauciatur: sed non raro, licet nesciens, sauciavit. Et muliercula, quæ spiritualis scilicet charitatis simulatione, atque nomine ad Ascetam frequenter accedit; incipit per oculos peccato impleri, obtutibusque

(d) Proverb: Cap: 6. V. 27. & 28. (e) Eccl: 20. 2.

obtutibusque lascivis depasci speciem proximi, & internam virginem, quam maxime sponsus amát, cogitationibus impuris corrumpere. Proinde nè eorum, quæ diximus, quidquam eveniat, omnia prorsus (si id fieri poterit) sin minus, crebra saltem, & longa mulierum colloquia consortiaque vitanda sunt: neque id ex odio sexûs; appage: neque quasi abnegamus illarum cognationem, sed ut earum patrocinium suscipiamus, atque pro virili singulis, quæ naturæ humanæ consortes sunt, suppetias feramus, iis maximè, quæ pro castitate in certamen descenderunt, velut quæ communia nobiscum certamina subeant. Caveamus autem congressum ac consvetudinem, ut ne libidinem, cui valediximus, cuique nuntium remisimus, in memoriam revocemus. *Constit: Monast: Cap: 3.*

Juvenis es sive corpore, sive animo; æqualium tuorum consvetudinem declina; ab iisque velut à flamma aufuge; in sedili à coevo procul sede. Cum recubas ad somnum capiendum, indumenta tua non sint vicina indumentis illius. Imo potius senem intermedium adhibe.

Quando verò tecum loquitur, aut ex adverso psallit, responde ei vultu humi defixo, ne forte oculîs in vultus conjectis, a satore inimico libidinis semen suscipias, ac corruptionis, & interitûs manipulos metas. In domo, aut in loco, ubi nemo est, qui videat opera vestra, ne meditandorum Divinorum eloquiorum, aut alterius cujuscunque rei, vel maxime necessariæ obtentu, cum ipsa inveniare. Nihil enim magis necessarium est, quam anima, pro qua Christus mortuus est. *Instit: Monach: Cap: 2.*

Si quis igitur, quantum ad corporis florem, juvenis est, occultet, & abscondat hujusmodi elegantiam, & venustatem, donec apparens ille decor ad debitum statum pervenerit. *Instit: Monast: Cap: 4.*

Ante omnia oportet Monachum abstinere a congressu mulierum, & a vini potu: quoniam vinum, & mulieres ad apostasiam perducunt sapientes. *Instit: Monach: Cap: 3.*

CONSTITUTIONES.

I. Ad conservandam conformem Angelico Instituto puritatem, singuli in oculis suis ferant semper, quæ magnus Parens Noster, ac Legislator de castitate præscripta reliquit, eaque diligentissimè exequantur.

II. Mulierum consvetudinem, juxta sanctissimum S. Patris Nostri monitum, velut ignem refugiant, nec ad collocutionem accedant, nisi necessitate adacti, cum socio, & de expressa Superioris facultate. Paucis autem & civilissimè, quæ necessitatis, vel salutis animarum causa loqui oportuerit, cum modestia, & gravitate in loco patenti absolvant; Porro Socius a Superiore designatus eo

tunc

tunc in loco consistat, ubi videre eos; sed non, si quæ secreta esse oportet, audire possit.

VOTUM NON AMBIENDI DIGNITATES.

Textus Regulæ S. Patris Basilii M.

Nequaquam convenit, ut Asceta cupiat unquam ingredi in Clerum, aut Fratribus præfici. Nam diabolica ista pestis est, labesque libidinis dominandi; quæ res summæ diaboli nequitiæ insigne est. Nam & ille ab hoc vitio præceps actus est in superbiæ lapsum: qui autem hoc morbo corripitur, perinde atque ille ægrotat. Deinde verò, quos occupat morbus ille, eos invidos, contentiosos, accusatores, imprudentes, calumniatores, assentatores, molitores, & præter decorum humiles, illiberales, arrogantes, ac innumeris turbis refertos efficit. Jnvidet enim, qui ejusmodi est, viris claris, eosque calumniatur: imo plerumquê eorum mortem exoptabit, ut hominibus, qui ad opus idonei sunt, defficientibus, suffragia ad se devolvantur. Itidem penes quos est sortitio, electioque, iis adulabitur, ob idque habebit animum servilem; at verò adversus inferiores, si adversentur, superbè, ac insolenter invehitur. Dolos igitur consuet, turbis ac suspicionibus innumeris futurus est obnoxius, animique dissolvet tranquilitatem; propterea que Deus pacis fugabitur, utpote cui locus non sit quiescendi. Cognito itaque detrimento, hanc absurdam cupiditatem fugiamus. Quodsi Deus aliquando eligat quêmpiam ad ejusmodi munera, novit, cum sit industrius, ac sagax, quemadmodum ipsum etiam præstiturus sit dignum: nos autem conscii esse debemus nobismet ipsis, nunquam nos aliquid tale appetivisse, neque ullo modo èjusmodi desiderium in animo habuisse. Nam & hic, animæ morbus gravissimus est, & facit, ut a bonis èxcidamus. *Constit: Monast: Cap: 9.*

Quo autem pacto agnoscitur, & quomodo curatur? ℟. Cognoscitur quidem ex eo, quod ea, quæ ad principatum pertinent, requirit: curatur verò, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit: *Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (f) Jllud autem sciendum est, ut quis superbiæ judicium timuerit, non posset tamen ab eo vitio sanari, nisi omne dominandi studium reliquerit: quemadmodum lingvam, aut qualemcunque artem dediscere non potest, qui non omnino supersederit non solum facere, aut loqui aliquid, quod pertineat ad hanc artem, sêd etiam de ea loquentes, audire, & eam factitantes videre: quod in quovis etiam vitio observandum est. *Reg: Brev: 35.*

CONSTITUTIONES.

I. Cum prolapsam his in oris Basilianam disciplinam Sanctæ atque immortalis memoriæ

(f) Jac: 4. 6.

memoriæ, Josephus Welamin Rutski Metropolita Russiæ ad vetera Instituta revocaret, & in primo Congregationis nostræ Novogrodcensi Capitulo videret, ex una parte vacantibus Cathedralibus Ecclesiis, & Archimandriis, aliisque dignitatibus juxta Legum Ecclesiæ suæ Præscriptum, receptamque ab ipso lucis Evangelicæ in Russia ortu consvetudinem, solos Monachos nostros præfici solêre; ex altera verò parte vereretur, ne hac via honorum cupiditas, quám S. Pater Noster *diabolicam pestem* appellat, in Religiosas Monachorum voluntates irreperet; tametsi magnam aliunde voto obedientiæ ad efficiendum, ne Monachi, nisi jussi, & vocati a Deo, sicut Aaron, oblatas sibi capesserent dignitates, vim inesse intelligeret, nihilominus, quo fortius pronos suopte ingenio hominum in superbiam animos, injecto ipsis novo quasi freno, coerceret; necessarium arbitratus est, tribus solemnibus Monasticis votis, quartum de non ambiendis honoribus addi, illudque cum aliis tribus circa solemnem Professionem apertè emitti. Atque ita votum istud Regulæ conveniens, & Instituti disciplinæ, quam instaurabat consentaneum esse noster hic alter Basilius judicavit, ut nemini fores ad Congregationem nostram patere voluerit, qui solemni hujus voti sponsione adversus dignitatum tam Ecclesiasticarum, quam Monasticarum ambitum, & desiderium, veluti animæ (secundum mentem Regulæ) *morbum gravissimum* se detrectaret, præmunire.

II. Quia itaque quartum votum istud nostrum in nostra Congregatione esse necessarium, magnus sanctitate, & judicio Josephus noster judicavit, & utilissimum illud esse longissimi temporis experientia docuit, summus verò Christi in terris Vicarius Benedictus XIV. ut inviolabiliter observaretur, semperque in posterum ab admittendis ad Professionem. cum aliis tribus emitteretur, per Literas Sacræ Congregationis sub Die 25. Augusti 1753. datas, commendavit, idcirco volumus, & mandamus, ut quemadmodum ab initio Congregationis nostræ semper in solemni Professione ab omnibus nuncupatum fuit, ita etiam deinceps semper & ab omnibus nuncupetur.

III. Declaramus autem vi hujus quarti voti nostri nulli e nostris, sive illi præfinitum Constitutionibus nostris laborum curriculum confecerint, sive non, licere, quascunque dignitates Ecclesiæ, & Ordinis procurare per se, sive per alios, clam vel palam, imo etiam nefas esse dicimus acceptare nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles a Proto-Archimandrita, Ejusque Consultorio judicatos, & Excellentissimo Metropolitæ nostro, dato Autentico de hujusmodi habilitate testimonio, nominatim commendatos, ipse idem Metropolita a respectivis Patronis, qui ad promotionem præficiendorum Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, & Archimandriis operam suam præstant, nominari, atque præsentari curaverint.

Secus

Secus omnes, & singulos, qui alia via, modo, atque ratione eniti ad quascunque dignitates, tam intra, quam extra Ordinem, præsumpserint; statutis per Sacros Canones, inflictisque contra ambitiosos pænis, teneri volumus, edicimusque. *Vide Decret: Inclytum quidem. Constit: Benedict: XIII. Post: Item Can: : – Nullus. Quæst: 1. Cap: 8. Cum concessa. Tit: de electione – cap: 27. Si Religiosus: Ibidem. Triden: Sess: 24. de Reformatione Cap: 1.*

RENOVATIO VOTORUM.

Textus Regulæ S. Patris Basilii M.

Revocat ibi in memoriam præclaram Professionem, quam professus est coram Deo, Angelisque, & hominibus. *Epistola Select: 9.*

Et vide, ne forte, dum servare vis, quæ cum nonnullis pactus es, inita cum Deo pacta, quæ coram multis testibus professus es, transgrediare. *Epistola Select: 7.*

Attendamus nobismet ipsis, nè forte quidpiam (promissione nostra) indignum perpetrantes, prolato adversum Ananiam judicio, efficiamur obnoxii. *Instit. Monach: C. 4. N. 2.*

CONSTITUTIONES.

I. Cum ad excitandum Spiritûs fervorem, plurimùm juvet diligens officiorum, quæ a nobis nostra postulant Vota, recordatio; hinc, quo eadem melius memoriæ insigantur, omnes Congregationis nostræ Professi solemnia Vota sua quotannis, die Sancto Parenti Nostro Sacra, conceptis ex præscripta formula verbis, renovabunt.

II. Ut verò hoc spiritus sui Sacrificium acceptius Deo faciant, bonorum operum exercitio se se pridie comparare non omittant.

III. Volumus præterea, ut triduo hujusmodi renovationem præcedente, ad mensam in communi Refectorio, aliquis legatur Asceticorum S. P. N. Liber, idque ab uno ex gravioribus.

CAPUT SECUNDUM.

De iis, quæ velut, ad interiorem Spiritus profectum pertinentia, a Magno Legislatore nostro Sancto Basilio in Asceticis tradita, additis alicubi peculiaribus nostris Constitutionibus, ab omnibus servanda sunt.

STUDIUM PERFECTIONIS.

Doctrina S. Patris Basilii Magni.

Solitariam quidem vitam incipere multi forrasse ausi sunt: sed rem ut par est,

est, absolvere pauci profectò elaboraverunt. Ac omnino non in proposito solum consistit exitus: sed in exitu laborum fructus. Nulla ergo utilitas, non properantibus ad propositi finem, sed initio solo Monachorum vitam circumscribentibus: quin etiam ad deridendum relinquunt suum ipsorum propositum, in ignaviæ, & levitatis crimen apud exteros incurrentes. Nam & de talibus Dominus dicit: *Quis volens domum ædificare, non prius sedens computat sumptum, an habeat, quibus opus sit ad absolvendum? Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, incipiant illudere ei prætereuntes, dicentes: hic homo fundamentum posuit, & non potuit consumare.* (g) Jnitium igitur alacrem, ac promptum in virtute progressum habeat. Etenim generosissimus Athleta Paulus nolens nos de vita bene anteacta securos otiari, sed quotidie ultra progredi, ait: *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, juxta scopum persequor ad bravium supernæ vocationis.* (h) Nam talis est tota hominum vita non contenta iis, quæ præcesserunt, sed nutrita non magis præteritis, quam futuris. Quid enim prodest homini hesterna ventris sacietas, hodie insita fame conveniens cibi solatium non inveniente? Sic igitur neque animæ lucrum ullum ex rectefacto hesterno, quod ab hodierno opere justo deseritur. *Qualem enim* inquit, *reperio te, talem te judico.* Epistola ad Chil: Parag: 1.

Perspectum tibi sit Frater, non eum, qui bene incipit, perfectum esse, sed qui bene desinit, eum esse Deo probatum. Ne igitur dederis Frater, somnum oculis, neque palpebris tuis dormitationem, ut salvus fias, velut dama ex cassibus, & velut avis ex laqueis. Considera per medios te laqueos transire. & supra excelsum murum ambulare, ex quo periculosus cadendi lapsus. Quapropter ne statim ad vitæ Asceticæ apicem temet ipsum intendas, maxime verò, ne tibi ipse confidas, ut ne ob imperitiam ex summo Ascetici Jnstituti labaris. Nam satius fuerit paulatim proficere. Jtaque voluptates vitæ paulatim ac sensim subtrahe, tuam omnem consvetudinem delens; ne forte si subito omnes simul voluptates irriteris, tibi ipse turbam tentationum accersas. Cum autem unum voluptatis morbum vi superaveris, accinge te ad voluptatem aliam debellandam, & ita demum voluptates omnes tempestive domabis. Nam voluptatis quidem nomen unum, sed res diversæ. Sis itaque primùm Frater in tentatione omni patiens. Qualibus autem tentationibus, fidelis probatur, damnis mundanis, criminationibus, mendaciis, contumacia, obtrectationibus, persequutionibus & his & similibus probatur fidelis. Deinde sis etiam quietus, non præceps verbis, non litigiosus, non in contentionem pronus, non cupidus gloriæ vanæ, non effutiens

(g) Luc. 13. V. 28. (h) Phil: 3. V. 13.

effutiens arcana, sed fide dignus, non in sermone multus, sed esto semper non ad docendum, sed ad discendum paratus. Ne curiose de vita mundana inquiras, unde nihil tibi accessurum sit emolumenti. Ait enim: *Ut ne loquatur os meum opera hominum*. Qui ènim ea, quæ peccatorum sunt, lubens loquitur, cito in se exsuscitat voluptates. *Ibidem Parag: 2.*

Turrim excelsam construere cogitas, præpara ergo tibi sumptus ad structuram, ut cæptum ædificium ad perfectum deducas, ne quando prætereuntibus venias in risum, & gratulentur de te inimici tui. Hæc turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus animæ: nec auri, nec argenti indiget sumptibus, sed conversatione fideli; nam terrenæ opes plurimùm ad ædificandum impediunt. Unus profectus sit tibi Fili, si Domino uni servire desideras, ne alicui in vita tua placere coneris, nisi illi soli: Nec occupes in diversis rebus, (occasionibus) animum tuum, sed abscinde à te carnalem amorem, ne a te Dei timorem excludat. Omne vitium expelle ab anima tua, ut virtutes animæ conquirere possis. Audi igitur, quæ sit virtus animæ, & quam maximum rei conferat lucrum. Virtus animæ est, diligere Dominum, & odisse illa, quæ non diligit Dominus. Virtus animæ est, patientiam sectari, & ab impatientia declinare. Virtus animæ est; castitatem tam corporis, quam animæ custodire. Virtus animæ est, vanam gloriam contemnere, & omnia caduca calcare. Virtus animæ est, humilitati studere, & tumorem superbiæ abominari. Virtus animæ est, veritatem amplecti, & omne mendacium fugere. Virtus animæ est, iram cohibere, & furorem reprimere. Virtus animæ est, pacem diligere, & invidiam execrari. Virtus animæ est, ab omni stultitia declinare, & sapientiam Divinam amplecti. Virtus animæ est, omnem voluptatem carnis subiicere menti. Virtus animæ est, avaritiam spernere, & voluntariam assumere paupertatem. Has igitur virtutes &c: *Admonit: ad Fil: Spirit: Parag: 2.*

CHARITAS erga DEUM.
Doctrina S. Patris Basilij Magni.

Cum de diligendo Deo mandatum acceperimus, statim à prima nostra constitutione insitam possedimus diligendi vim ac facultatem: neque ejus rei demonstratio ab externis argumentis petitur, sed quivis ipse a se ipso, & in se ipso illud ediscere potest. Quippe bonas res, ac pulchras naturaliter appetimus, quamquam, ut plurimùm, aliud alii videtur pulchrum & bonum. Itemque necessitudine & propinquitate conjunctum amamus licet indocti: & nostra sponte beneficos omni benevolentia complectimur. Ecquid quæso Divina pulchritudine admirabilius? quæ cogitatio magnificentiâ Dei gratior est, & svavior? quale animi desiderium tam vehemens est, & violentum, quam illud, quod a Deo

ingeneratur animæ vitio omni purgatæ, & dicenti ex vero affectu. *Vulnerata à charitate ego sum?* (i) Ineffabiles omnino sunt, & inenarrabiles Divinæ pulchritudinis fulgores, non eas detegit oratio, non excipit auris.... Pulchritudo hæc carneis quidem oculis conspici non potest, sed a sola anima ac mente apprehenditur. Ea, si quando, quempiam Sanctorum illustravit, statim intolerandum in ipsis reliquit stimulum. Quippe, qui præsentis vitæ pertesi dicebant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est:* (k) *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* (l) Jtem illud: *Dissolvi, & esse cum Christo;* (m) multo longèque melius--- Quod autem propriè pulchrum ēst & amabile, bonum est; jam verò bonus est Deus: bonum autem appetunt omnia: Deum igitur omnia appetunt.

Quodsi liberi amant naturalitēr Parentēs, declarat autem hoc & brutorum animalium habitus, & hominum in prima ætate ergà matres affectus, non videamur rationis magis expertes, quam parvuli, neque bestiis agrestiores, quasi sine ullo amore erga Conditorem nostrum, & ab ipso abalienati: Quem etiamsi ex ejus bonitate non nosceremus, qualis sit, tamen ob id solum, quod ab eo conditi sumus, diligere & amare quam maxime deberemus; perpetuoque de Ejus memoria non aliter pendere, quam de Matrum suarum ulnis pueruli soleant. Inter eos autem, qui naturæ ductu diliguntur, primas tenet, qui bene de nobis meritus est. Atque hæc affectio non hominum modo propria est, sed eis etiam cum omnibūs fere animantibus communis ēst, ut videlicet boni cujusvis accepti, auctores benevolentia prosequantur, *Cognovit,* inquit, *bos Possessorem, & asinus præsepe Domini sui.* (n) Absit autem ut de nobis dicantur, quæ sequuntur: nimirum: *Jsrael autem me non cognovit, & populus me non intellexit.*

Quodsi erga eos, qui de nobis bene meriti sunt, benevolentiam, amoremque naturalem habemus, quis nam sērmo Dei dona pro merito explicare possit? tanta quidem est horum multitudo, ut etiam numerum effugiunt: Jtem magnitudine tanta sunt, & talia; ut vel unicum satis ad id sit, ut omnimodam Largitori gratiam rependere debeamus... alia igitur omittam... sed ne volentes quidem illud præterire possumus.... Quod cum hominem condidisset ad imaginem, & similitudinem suam, eumque cohonestasset sui ipsius cognitione .... Deinde a serpente deceptum, & collapsum in peccatum, & per peccatum in mortem, & in ærumnas ea dignas, non propterēa tamen eum neglexit ... Non enim nos deseruit bonitas Domini, neque per stupiditatem, qua delatos ab ipso honores habebamus despicatui, abolevimus ejus in nos amorem, ētiamsi

(i) Cant: 2. V. 5. Psal: 119. V. 5. (l) Psal: 41. V. 3. (m) Phil: 1. V. 23. (n) Jsaiæ, 1.

etiamsi in benefacientem contumeliosi essemus. Imo verò revocati sumus a morte, & vitæ rursus ab ipso Domino Nostro Jesu Christo restituti. Qua in re etiam beneficentiæ ratio majorem movet admirationem: *Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens:* (o) Atque etiam infirmitates nostras suscepit, portavit langvores, pro nobis vulneratus est, ut nos livore ejus sanaremur. Item redemit a maledicto, factus pro nobis maledictum, mortemque pertulit ignonimiosissimam, ut nos ad gloriosam vitam reduceret. Nec satis habuit mortuos duntaxat ad vitam revocare, verum etiam largitus est Divinitatis suæ dignitatem, atque æternam requiem, humanum omnem cogitatum, lætitiæ magnitudine superantem, præparavit. Quid igitur retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Est autem adeo bonus, ut neque remunerationem exigat, sed sat habet, si solum pro iis, quæ tribuit, diligatur. *Reg: Fus:* 2. Præterea videatur. *Reg: Brev:* 157. 211. & 113.

Mentis ad Deum attentio, sive collectio animi, & recta Intentio.

Illud certe sciendum est, nos non posse aliud quodvis mandatum servare, neque Deum, aut proximum diligere, si huc & illuc mente divagemur. Neque enim artem, aut scientiam probè callere potest, qui ab alia ad aliam transit: neque unam etiam comparare, qui ea, quæ propria finis sunt, ignorat. Par namque est, actiones ad scopum, & finem quadrare: siquidem nihil, quod rectum sit, via inepta, & incongruenti peragitur... Quare exercitatio etiam, quæ fit, juxta Christi Evangelium, ad placendum Deo, in eo posita est, si curis mundi amandatis, omnem mentis avocationem propellamus. Quamobrem Apostolus, & si alioquin permissæ sint nuptiæ fuerintque habitæ benedictione dignæ; tamen eas, quæ ex his nascuntur, occupationes curis pro Deo gerendis opposuit, perinde, quási hæc inter se cohærere non possent, his verbis: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placiturus sit Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori.* (p)

Quisquis igitur vere Deum sequi vult, vinculis affectionum vitæ hujus solvatur, necesse est... His peractis, cor nostrum omni custodia servandum est, ne unquam amittatur Dei cogitatio, nevè rerum mirabilium ab eo gestarum memoria vanis phantasmatibus coinquinetur: sed circumferenda est sancta Dei cogitatio, sic, ut quasi sigillum indelebile ex perpetua, & pura recordatione in animis nostris imprimatur.

Jta enim

(o) Philip: 2. 6. (p) 1. Corin 7. V. 32.

Jta enim a nobis comparatur Dei dilectio, quæ ſimul excitat ad conficienda Dei mandata, & ipſa ab ipſis viciſſim, & conſtanter servatur: atque hoc Dominus oſtendit, qui nunc quidem ait: *Si diligitis me, mandata mea servate:* (q) Nunc verò; *Si Præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* (r) Et quod efficacius etiam poſſit commovere: *Sicut & ego Patris mei Præcepta servavi. & maneo in ejus dilectione.* (s)

Quibus illud nos docet, semper in opere, quod faciendum conſtituerimus, præcipientis voluntatem, tanquam scopum nobis proponere debere, ad eumque ſtudium noſtrum dirigere, uti etiam alio loco dicit: *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui miſit me, Patris.* (t) Ut enim artes, quæ ad parandum victum excogitatæ sunt, ubi propoſuerint ſibi scopos quoſdam peculiares, congruenter illis convenienterque ſingula opera sua accomodant: ita etiam cum opera noſtra finem unum, ac regulam habent, nimirum, ut mandata modis Deo acceptis exequamur, opus accuratè peragi aliter non poteſt, niſi ad jubentis voluntatem efficiatur. Futurum eſt autem, ut ſi in quovis opere diligens ſtudium ad voluntatem Dei faciendam conferamus, Deo per hanc recordationem conjungamur. Quemadmodum enim faber ferrarius, cum securim E. c. cudit, ejus, qui id ſibi operis locavit, memor eſt, ipſumque fert in animo, ac formam hanc, quæ ſibi ab eo præſcripta eſt, & magnitudinem attendit, atque suum opus ad voluntátem ejus, qui illud injunxit, dirigit, (ſi enim hunc cæperit oblivio, aut quidpiam aliud, aut longe diſſimile efficiet ejus, quod facere inſtituerat:) Jta & Chriſtianus omni actione tum parva, tum magna ad Dei voluntatem directa, ſimul & opus suum diligenter conficit, & memoriam præcipientis servat, ac implet, quod dictum eſt: *Providebam Dominum in conſpectu meo semper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear.* (u) Quin & perficit Præceptum illud: *Sive manducatis, Sive bibitis, ſi quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (w) Si quis autem agendo, depravat Præcepti integritatem, eum langvidè Dei meminiſſe planum eſt. Memores igitur vocis illius, qui dixit: *Nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* (x) &, - *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe:* (y) &, - *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* (z) Omnia facere debemus, ut fieri decet, quæ in oculis Domini efficiuntur, & omnia cogitare, ut cogitari decet, quæ ab ipſo cernuntur. Sic enim & perpetuus futurus eſt timor, odio habens iniquitatem, ſicut scriptum eſt, - *& contumeliam*, & superbiam, & vias malorum; atque charitas perficitur, impletque

(q) Joan: 14. V. 15. (r) Joan: 15. V. 10. (s) Jbidem. (t) Joan: 6. V. 58.
(u) Pſal: 15. V. 8. (w) 2. Coriu: 10. V. 31. (x) Jerem: 13. V. 24. (y) Jbidem. V. 23,
(z) Math: 18. V. 20.

impletque, quod dictum fuit a Domino: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* (a) Patris cùm anima continuò sibi planè persvadeat, & bonas actiones judici, & vitæ nostræ Arbitro acceptas esse, & malas ab eo condemnari. Puto autem una cum hoc etiam illud contingere, ut ne ipsa quidem Domini mandata conficiantur ad capiendam hominum benevolentiam. Nemo est enim, qui se ad inferiorem convertat, si persvasum habeat, adesse præstantiorem. Quis potius si contigerit, ut quæ fiunt, cuipiam homini clariori, & illustriori grata sint & accepta, alteri verò viliori invisa, & reprehensione digna videantur; contempta hac inferioris reprehensione, pluris facit præstantioris approbationem. Quodsi inter homines res ita se habeant, quænam, quæso, anima vere prudens, & sana, quæ Deum præsentem esse sibi penitus persvaserit, iis omissis, quibus Deo placere possit, modo se ad aucupandam humanam gloriam conversura est, modo verò neglectis Dei mandatis inserviet humanæ consvetudini, aut a communi, & anticipata opinione vincetur, aut flectetur a dignitatibus? sic erat animatus, qui dixit: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut Lex tua Domine* (b) Et rursus: *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* (c) Reg: Fus: 5. Videsis Reg: Brev: 33. 34. 202. 36. Constit: Monast: cap: 10. Epist: Ascet: ex Solectioribus Numerum 1.

Jmitatio Christi.

Omnis actio, charissime, omnisque sermo Servatoris nostri Jesu Christi, pietatis ac virtutis Regula est: Quapropter, pietate, ac virtute nobis veluti in quadam imagine depictis, etiam naturam humanam assumpsit, ut unusquisque, & unaquæque ad id respicientes, pro viribus Archetypum, ac exemplar imitaremur. Nam eam 'ob causam corpus nostrum gerit, ut & nos illius vivendi rationem, quoad ejus fieri potest, exprimamus. *Constit: Monast: C.* 1.

Quod Servator suam ipsius vitam, omnibus ipsi obtemperare volentibus, proposuit imaginem vitæ optimæ, audi ipsum aperte hoc docentem: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* (d) Haud indicans corpoream sequendi rationem (erat enim omnibus impervia, cum Dominum nunc secundum corpus in cælis esse notum sit) sed vitæ, quantum fieri potest, accuratam imitationem. *Constit: Monast: Cap:* 4. Conferatur reliquum hujus capitis. Jtem *Instit: Ascet:* 1.

Abnegatio sui, & perfecta renuntiatio.

Cum Dominus noster Jesus Christus post documenta multa, eaque ex multis operibus valide comprobata, dicat omnibus: *Si quis venit ad me,*

H

(a) Joan: 5. V. 30. (b) Psal: 118. V. 85. (c) Jbidem. V. 46. (d) Joan: 12. V. 26.

me, *abneget semetipsum*, *& tollat Crucem suam*, *& sequatur me* : (e) & iterum : - *Sic ergo omnis ex vobis*, *qui non renuntiat*, *omnibus*, *quæ possidet*, *non potest meus esse discipulus*, (f) arbitramur hoc præceptum ad plura, a quibus abalienare oportet, pertinere. Nam & diabolo ante omnia, & carnis affectibus renuntiamus, qui nuntium remisimus occultis turpitudinibus, cognationibus, corporeis, hominum amicitiis, & vitæ consvetudini, quæ integritati Evangelii salutis adversetur. Et quod his magis necessarium est, sibi ipse renuntiat, qui exuit veterem hominem cum actibus ipsius, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Ac etiam renuntiat omnibus mundanis affectibus, qui pietatis scopo impedimento esse possunt. Itaque, qui ejusmodi est, veros parentes eos esse existimabit, qui ipsum in Christo Jesu per Evangelium genuerint: Fratres vero eos, qui acceperint eundem adoptionis Spiritum. *Reg: Fus:* 8. Convenit utique tam disjunctos esse affectu a cognatis, amicisque, & Parentibus, quam separari videmus mortuos a viventibus. Qui enim se vere ad subeunda virtutis certamina exuit, mundoque universo, ac rebus omnibus mundanis nuntium remisit, & ut amplius aliquid dicam, qui mundo crucifixit se ipsum, mundo, & omnibus, qui in mundo sunt, mortuus est, sive Parentes fuerint, sive Fratres, sive tertium, aut quartum, aut remotissimum cognationis gradum obtineant.

Precemur itaque optima cognatis nostris, justitiam, inquam, & pietatem, & quæ nos magni facimus. Decet enim, nos hæc precari. Illis verò conducit, ut opera nostra, hæc ipsa consequantur. Quare nos neque simus de illis soliciti, neque anxii. Nam & Dominus ipse ejusmodi affectum, ac consvetudinem vetat, qui uni ex Discipulis id non permisit, ut diceret, vale, propinquis: Nec alteri, ut vel cadaver mortui Patris humo superinjecta contegeret. Ei enim, qui vale propinquis suis dicere volebat, dixit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.* (g) Alteri verò, qui sepelire patrem postulabat: *Sequere me*, inquit, *& sine, ut mortui sepeliant mortuos suos*. (h) Et quidem videbatur uterque rem æquissimam, justissimamque rogare: sed Servator non probavit, & ne minimo quidem temporis momento permisit, a se disjungi alumnos regni cælorum, ne alta & cælesti meditatione humilius aliquid ex quadam ad terrenos, & carnales affectus propensione, aut facerent, aut cogitarent; cum non liceat cælestia curantibus, aliquam habere rerum terrenarum rationem, velut iam translatis, & animo supra mundum evectis. Quodsi dixerit quispiam: Quomodo igitur jubet Lex curam suscipere cognatorum, his verbis: *Et propinquos seminis tui ne despicias.* (i) Et

(e) Math: 16. V. 24. (f) Luc: 14. V. 33. (g) Luc: 9. V. 62. (h) Jbidem. V. 59. (i) Jsaiæ 58. V. 7.

Et Apostolus similiter: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* (k) Ei paucis respondebimus, hoc a Divino Apostolo ad homines sæculo addictos, ad homines, qui terrenas opes possidebant, poterantque cognatorum inopiam levare, dictum fuisse. Similiter lex etiam hæc dicit, atque, ut dicam brevius, sermo est de viventibus, non de mortuis: Quandoquidem hi ab omni hujusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus. *Const: Monast: cap:* 20.

Abnegare semetipsum, est præteritorum prorsus oblivisci, atque a voluntatibus suis secedere ... Præparare se ad mortem pro Christo perferendam, mortificare membra, quæ sunt super terram, aceingi quasi in instructa acie ad periculum omne subeundum, quod nobis pro Christi nomine impendeat, vitaque præsenti non affici, hoc est crucem suam tollere. *Reg: Fus.* 6. *Vide Reg: Brev:* 4. 199. *& reliqua Reg: Fus.* 8.

Dilectio Proximi.

Nihil tam proprium est nostræ naturæ, quam ut mutuo consociemur, & alii aliorum indigeamus, eosque, qui ejusdem sunt generis, diligamus. Quorum igitur semina Dominus ipse prius nobis contulit, eorum etiam fructus postea reposcit dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* (l) Cum autem ad exequendum illud mandatum animum nostrum excitare vellet, Discipulorum suorum characterem, & notam non in prodigiis, & miraculis inauditis constituit, quamquam horum patrandorum, eis vim, & potestatem per Spiritum S. largitus fuisset: sed quid dicit? *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (m) Et sic ubique connectit hæc Præcepta, ut beneficia in proximum collata in se ipsum transferat. *Esurivi enim,* inquit, *& dedistis mihi manducare.* (n) Deinde subjungit: *Quatenus fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis* (o) *Reg: Fus.* 3.

Qualem alter erga alterum debeat habere charitatem? ℟. Qualem Dominus ostendit, & docuit, cum dixit: *Diligite invicem, sicut ego dilexi vos: majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (p) Quodsi ipsam quoque animam ponere oportet, quanto magis necesse fuerit, in rebus minoribus studium, animique promptitudinem ostendere? non quod humanis officiis satisfacere quæramus, sed eo consilio, ut Deo placeamus, ad uniuscujusque utilitatem. *Reg: Brev:* 162.

Quomodo peterit quis dilectionem erga Proximum consequi? ℟. Primum quidem, si timeat judicium transgredientium mandatum Domini, qui dixit

(k) 1. Timoth: 5. V. 8. (l) Joan: 13. V. 34. (m) Joan: 13. V. 35. (n) Math: 25. V: 35. (o) Jbidem V. 40. (p) Joan: 15. V. 13

dixit : *Qui incredulus est filio , non videbit vitam , sed ira Dei manebit super eum :* (q) Deinde si requirat vitam æternam ; nam mandatum ejus vita æterna est. *Primum autem & magnum mandatum est:* (r) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota mente tua , & ex totis viribus tuis : Secundum vero est simile huic : Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum .* (s) Tum etiam si studeat Domino similis fieri , qui dixit : *Mandatum novum do vobis , ut diligatis invicem , sicut ego dilexi vos .* (t) Denique , si secum ita cogitet : Si de nobis bene meritus est Frater , debemus ei , vel ipso humano more charitatem , quam etiam servant gentiles , ut in Evangelio Dominus declarat his verbis : *Et si diligitis eos , qui vos diligunt, quæ vobis est gratia ? nam & peccatores diligentes se diligunt .* (u) Sin autem male meritus est , etiam sic eum non modo propter mandatum , sed etiam tanquam majorum beneficiorum largitorem debemus diligere ; si modo Domino credamus , qui dixit : *Beati estis , cum vos affecerint probris , & persequuti vos fuerint , & dixerint omne malum verbum adversum vos , mentientes propter me : Gaudete & exultate , quoniam merces vestra , copiosa est in cælis .* (w) *Reg: Brev.* 163. & 190.

Charitas Fraterna .

Communem , & æqualem omnibus inter se charitatem esse convenit, qua homo naturaliter erga singula sua membra affectus est , qui totum suum corpus pariter salvum vult , quando , & uniuscujusque membri dolor æqualem corpori molestiam exhibet . At quemadmodum in nobismet ipsis dolor uniuscujusque ægrotantis membri similiter totum corpus attingit , & tamen sunt membra alia aliis præstantiora (non enim pariter de oculo , atque de pedis digito afficimur , etiamsi dolor æqualis sit) ita unumquemque in omnes , qui in conventu vixerint , commiserationem quidem , atque amorem parem ostendere operæ pretium est , sed tamen , ut decet , iis qui utiliores sunt , major deferatur amor . Quoniam autem omnino æquali amoris mensura se se invicem diligere debent ; injuria est , privatas quasdam sodalitates , ac contubernia in conventu reperiri . Qui enim unum præ aliis diligit , is , quod non perfectè cæteros diligat , se ipse arguit ; Quare ex Conventu contentio indecora , & singularis amor sunt æqualiter amandandi . Oritur enim ex contentione inimicitia : ab amicitia vero particulari , & sodalitate suspiciones , & invidiæ nascuntur . Cum enim æqualitas aufertur , id ubi eis , qui ea spoliantur , invidiæ & odii origo , & causa est . Quapropter jussit etiam Dominus nos bonitatem illius , qui solem similiter super justos , ac injustos exoriri curat. Quemadmodum igitur Deus

(q) Joan: 3. V. 36. (r) Joan: 12. V. 50. (s) Math: 22. V. 37.
(t) Joan: 13. V. 34. (u) Lucæ 6. V. 32. (w) Math: 5. V. 11.

Deus ex æquo impertit omnibus lucem: ita & Dei imitatores communem & parem charitatis radium in omnes effundant. Ubi enim deficit charitas, illic utique ejus loco succedit odium. Quodsi, ut Joannes ait: *Deus charitas est, prorsus necesse est, diabolum odium esse.* (x) Sicut ergo qui habet charitatem, Deum habet, sic qui odium habet, is diabolum in se ipso nutrit.

In iis autem, qui sic conjuncti sunt, & copulati, non futura est major dilectio ob corporalem consanguinitatem: Neque si quis quidem germanus alicujus Frater sit, filiusve, aut filia, is licet cognatione conjunctus, magis quam cæteri amabitur ob sanguinis communionem. Qui enim in his naturam sequitur, is nondum a natura perfecte recessisse convincitur, sed etiamnum a carne gubernari. *Inst: Monach: Cap: 5.*

In hoc communi contubernio dilectionis lex non permittit particulares amicitias, ac sodalitates. Nam necesse est omnino, affectus particulares plurimum communi concordiæ nocere. Quamobrem respicere se mutuo debent omnes cum æquali amoris mensura, unusque, & idem in toto cætu tenendus est dilectionis modus. Quodsi quis ob quamcunque causam Monachum Fratrem, aut propinquum majori studio, quam alium quemvis prosequi comperiatur, is tanquam in totam societatem contumeliosus castigetur. Nimius namque erga unum aliquem amor, magnum in cæteros defectum arguit.

Nihil in eis iram indicet, aut injuriarum acceptarum memoriam, aut invidiam, aut contentionem, neque gestus, neque motus, non verbum, non acris oculorum obtutus, neque faciei conformatio, aut si quid aliud Convictorem nostrum ad iram provocare soleat. Quodsi quispiam in aliquod horum inciderit, etiamsi prior molestia aliqua affectus sit: id tamen satis non est ad peccatum, cui obnoxius fit, excusandum. Malum enim quoquo tempore admissum, exæquo malum est. *Inst: Monach: Cap: 4. Vide Cap: 18. & 29. Item Reg: Bre: 41. 42. & 183.*

CONSTITUTIONES.

I. Volumus ut æqualis charitas imperturbataque concordia ubique sollicita Superiorum cura foveatur.

II. Nemo nostrum aliquem ex nostris, sive extraneis probro, vel nomenclatura afficiat, quæ contemptui vel derisui eum exponere nata sit; nemo mordacibus, scurrilibus, superbis verbis, aut pungentibus jocis perstringat: Nemo immodeste cum scandalo contendat vel rixetur: Nemo alicui detrahat, infamet, præteritas, aut iam emendatas culpas exprobret; Et si quis in eo deliquerit, pœna

(x) 1. Joan: 4. V. 16.

pæna pro ratione culpæ corripiatur.

III. Si Monachus Monachum molestia affecerit, studeat reconciliari, deprecarique eum, quem offendit. Quodsi is, qui contristatus est, nolit cum eo in gratiam redire, offendens communitatis intercessionem adhibeat, quæ si non profuerit, læsus multo magis corripiatur, quam qui læsit.

Mansvetudo.

Oportet Ascetam, quam maximè plenum esse mansvetudine, quandoquidem spiritus mansvetudinis vel particeps iam factus est, vel fieri se participem cupit. Convenit autem hospitem hujus, ei, qui hospitio excipitur, similem esse. Quodsi opus etiam aliquando fuerit indignatione adversus socordem, qui scilicet sit nobis subditus, ratione temperetur indignatio. Etenim, ut homicidæ gladiis utuntur, ita utuntur & Medici. Verum illi, quod ex ira & crudelitate ensem in manus sumunt, patrant facinora omnium scelestissima, cum eos, qui ejusdem generis sunt, interimant: Hi vero, quod ratione gladium adhibent, maximam hinc adferunt utilitatem.... Quare potest etiam mansvetus cum ratione excandescere, nec tamen mansvetudinis dignitatem corrumpere... Cæterum in iis, qui vere mansveti sunt, nec habent mores severitate attritos, ac vitiatos, permixta est etiam benignitas. Etenim mansvetudinis materia, benignitas est. Hæc autem inter permixta, ac conjuncta, præstantissimam virtutum charitatem efficiunt. *Const: Monast: Cap: 13. Vide admon: ad Fil: Spirit: Nro 4.*

Patientia.

Fili, patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ nè quæras ab homine, ut in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Patientia, grandis est medela animæ: impatientia autem, est pernicies cordis. Per patientiam enim expectatur futurorum bonorum spes, & quod non videtur, quasi quod videtur, amplectitur. *Admon: ad Fil: Spirit: Parag: 4.*

Fiet, ut in metu, ac constanti proposito bona prosequamur omnia, cum id semel, firmiter ante omnia in animum induxerimus, Deum bonum esse, bonorumque omnium auctorem, non autem ullius cujuscunque mali, licet nos remedium amarius quidem, sed ad emendationem necessarium, degustemus. Nam cum Medicus sit humanarum animarum Deus, pro morborum natura, vim medicamentorum idoneam temperat, ut expurget, cum opus fuerit, intimum vitium. Cum igitur hæc ita se habere plane intelligamus, gratias agamus semper, etiamsi dum purgamur a negligentiis, medelam experiamur acriorem. At per

tentationes

tentationes probationem etiam sufferre, paucorum admodum hominum est, & Abrahæ similium. *Const: Monast: Cap: 34.*

Humilitas.

Fili, præ omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere. Cunctæ Institutiones, non aliter, nisi per humilitatem implentur, & multorum temporum labores per superbiam in nihilum deputantur. Vir humilis, Deo est similis, & in templo pectoris sui gestat Eum: superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis, licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus: superbus autem homo, etsi decorus videatur aspectu, & clarus, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, & per incessus & motus dignoscitur ejus superbia; & ex verbis ejus publicabitur levitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutes, a quibus alienus est, de se prædicari gestit. Non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper primatum cupit, & ad majorem gradum se conatur emergere: & quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat. Ambulat semper tumens, ut uter vacuus, & inanis; & sicut navis absque gubernatore, cum jactatur a fluctibus, ita & is circumfertur inter omnes actus suos. Humilis è contrario respuit omnem honorem terrenum, & ultimum se esse judicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur. Cum consumaverit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, & omnes virtutes animæ suæ cælare festinat. Sed divulgat Dominus omnia opera ipsius, & profert in medium, & mirificat gesta ipsius, & exaltabit, & clarum faciet eum, & in tempore precum suarum, quid postulat, impetrabit. *Admonit: ad Fil: Spirit: Parag: 7.*

Nè innitare carnis nobilitati, neque honorem exquiras: - *Qui enim carnalis est, non capit ea, quæ sunt Spiritûs....* (y) Nam nisi celeriter diabolicas insidias noveris, easque excideris ex corde tuo, te ab ea vivendi ratione, quæ in Christo instituta est, deturbabunt. Verum ubi in animum tuum induxeris te esse omnium hominum ignominiosissimum, peccatoremque maximum, ac peregrinum, & erronem; Teque ex misericordia ab iis, qui ante te nuntium sæculo remisêre, receptum esse, stude omnium esse ultimus, & omnium servus. Hæc enim tibi afferent honorem, & gloriam veram; non illa. *Inst: Monach: Cap: 2.*

Ne tibi temporis progressu persvadeat superba aliqua cogitatio, ut de laboribus remittas, ne forte si ad exitus fores, nudus virtutibus deprehensus fueris, extra regni portas inveniare. Ne efferat te Cleri gradus, sed potius

humiliet

(y) 1. Corinth: 2. V. 14.

humiliet. Nam animæ profectus, humilitatis profectus est: Defectus verò, & ignominia ex animi elatione gignitur. Quanto ad majores Sacerdotii gradus appropinquare te contigerit, tantum humilia te ipsum, filiorum Aaron veritus exemplum. Cognitio pietatis, cognitio est humilitatis, atque mansvetudinis. Humilitas, æmulatio est Christi, elatio autem, & audacia, atque impudentia, æmulatio est diaboli. Christum æmulare, non AntiChristum: Deum, non Dei adversarium... Ne ambias Fratribus imperari, nè alienorum peccatorum onera collo tuo imponas. *Ibidem*.

Quid sit humilitas, & quomodo eam assequemur? ℞. Omnes se ipso præstantiores existimare, humilitas quidem est ex præscripto Apostoli. (z) Ea autem comparabitur primum-quidem, si quis meminerit mandati Domini, qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*. (a) Quod locis multis, variisque modis, & ostendit, & docuit. Ibidem, si fidem ei adhibuerit, qui hoc promissum fecit: - *Qui humiliat se, exaltabitur*. (b) Deinde, si exæquo & indesinenter in omni negotio vacaverit humilitatis studiis, seque in ipsis exercuerit. Vix enim hoc modo per assiduam meditationem humilitatis habitum poterit adipisci, ut in artibus etiam fieri consvevit. Atque etiam in qualibet virtute, quæ secundùm mandatum Domini nostri Jesu Christi possidenda fuerit, idem est modus comparandi. *Reg: Brev:* 198.

Compendiaria huc pertinens S. Patris Basilii de Ascesi Doctrina.

Oportet Monachum imprimis nihil in vita possidere. Rursus eum oportet corporis solitudinem, habitus modestiam, vocem moderatam, sermonem ordinatum habere, de cibo, & potu tranquillum esse, & quietum, silentio comedere, coram senioribus tacere, audire coram sapientioribus, æquales amare, consilium charitate conditum inferioribus dare, a malis, carnalibusque, ac negotiorum amatoribus secedere, plura cogitare, & pauca loqui, temerarium non esse in sermone, neque plus æquo colloqui, non facilem esse ad risum, verecundia cohonestari, oculos deorsum, animam sursum habere, non contradicere contradictionibus, obedientem esse, manibus laborare, novissimorum assidue meminisse, spe gaudere, afflictionem sufferre, indesinenter orare, in omnibus gratias agere, humilem esse erga omnes, odisse arrogantiam, sobrium esse, corque a pravis cogitationibus purum servare, mandatis exequendis thesauros in cælo recondere, suas ipsius quotidianas cogitationes, actionesque examinare, vitæ negotiis, vanisque sermonibus non implicari, non curiosius inquirere in socordium vitam, sed vitam Sanctorum Patrum imitari, cum

(z) Philip: 2. V. 3. (a) Math: 10. V. 29. (b) Lucæ 14: V. 11.

cum his, qui excolunt virtutem, gaudere, non ipsis invidere, eos, qui patiuntur, commiserari, atque una cum ipsis lachrymari, hos valde lugere, neque tamen eos condemnare, a peccato resipiscentem probris non insectari, se ipsum nunquam justificare, ante omnia coram Deo, & hominibus se sè peccatorem confiteri, inordinatos admonere, eos, qui sunt pusilli animi, consolari, famulari infirmis, pedes Sanctorum lavare, hospitalitati, & fraterno amori diligenter vacare, in pace esse cum domesticis, videatur in fonte fidei auersari hominem hæreticum, genuinos, & veraces libros legere, apocryphos nè attingere quidem, omnino, de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non disceptare, sed Trinitatem increatam, & consubstantialem libere profiteri, & sentire, atque percontatoribus dicere: Oporter baptizari nos ita, ut traditum accepimus; credere autem sicut baptizati sumus, glorificare verò, quemadmodum credidimus: in operibus & sermonibus bonis occupari, omnino non jurare, non dare fænori pecuniam, non frumentum, non vinum, non oleum, ad quæstum majorem faciendum, a crapula, & ebrietate, ac sæculi curis abstinere, dolose & fraudulenter cum aliquo non agere, neque omnino adversum quemque loqui, non detrahere, neque ullo modo obtrectationes libenter auscultare, nihil statim contra quemque credere, non iræ tyrannide opprimi, non vinci a cupiditatibus, non temerè irasci proximo, iram non tenere contra quemquam, malum pro malo non reddere, maledictis potius vexari, quam vexare, percuti, quam percutere, injuriam pati, quam facere, spoliari, quam spoliare.

Et certè, ante omnia oportet Monachum abstinere a congressu mulierum, & a vini potu: *Quoniam vinum & mulieres ad apostasiam perducunt sapientes:* (c) Atque in Domini Præceptis pro virili exequendis animum non despondere, sed mercedem laudemque ab ipso expectare, & æternæ vitæ possessionem desiderare, illud Davidis ob oculos jugiter habere, ac dicere: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* (d) Et ut filius quidem debet, ex toto corde, & tota fortitudine, & tota mente, ac viribus Deum diligere, ut servus vero, eum revereri ac metuere, ipsi obedire, cum timore & tremore salutem suam operari, fervere spiritu, indutum esse universam Spiritus Sancti armaturam, non currere in incertum, pugnare non tanquam, qui aerem verberet, superare adversarium in corporis infirmitate, & in paupertate animi, omnia imperata facere, seque inutilem fateri, Sancto gloriosoque, & metuendo Deo gratias agere, nihil per contentionem, ac vanam gloriam efficere, sed propter Deum, & ad placendum ei; *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent:* (e) Omnino

(c) Eccles: 19. V. 2. (d) Psal: 15. V. 8. (e) Psal: 52. V. 6.

nô non gloriari, neque suimet ipsius laudes prædicare, neque prædicanti alteri aures libenter præbere, latenter in omnibus servire, nihil ad humanam ostentationem patrare, sed solam, quæ a Deo datur, laudem quærere, versare animo formidandum, & gloriosum ejus adventum, & eum, qui hinc fieri debet, transitum, recondita justis bona, ignem paratum diabolo, & angelis ejus, sed ante hæc omnia Apostolici dicti meminisse :- *condignas non esse passiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis* :- (f) Atque in antecessum cum Davide dicere: Custodientibus Ejus mandata, retributio multa, merces ingens, corona justitiæ, æterna tabernacula, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile, perpetua & inconcussa mansio apud Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui est verus Deus in Cœlo, faciei ad faciem patefactio, choreæ cum Angelis, cum Patribus, cum Patriarchis, cum Prophetis, cum Apostolis, cum Martyribus, & Confessoribus, cum iis denique, qui Deo ab æterno placuerunt, quibuscum inveniri conemur, gratia Domini Nostri Jesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen. *Instit: Monach: Cap: 3.*

CONSTITUTIO.

Omnes in id sedulo incumbant, ut quæ hoc codicis nostri Capite, ex Asceseos Basilianæ præscriptis, tradita sunt, diligenter exequantur; nec quid perfectionis, quod Divina gratia consequi possint, in Præceptis S. Patris Nostri adimplendis, prætermittant.

CAPUT TERTIUM.

De iis, quæ conferunt, ad interiorem Spiritus profectum.

Oratio præsertim Mentalis.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Duplex est charissimè orandi modus. Alter quidem situs est in glorificatione cum humilitate: Alter vero, qui huic inferior est, in petitione: Cum ergo oras, nolito confestim ad petitionem accedere; sin aliter, in tuam voluntatem id criminis infers, quod necessitate adactus preces Deo adhibeas. Cum igitur ingrederis precari, relinque te ipsum.... desere terram, transcende cœlum... et incipe a glorificatione Conditoris universorum, & ubi ipsi dederis gloriam, carpe de Sanctis Scripturis, & dic: Domine benedico tibi clementi, & toleranti malorum, qui me quotidie precantem, fers patienter... idcirco enim taces, ac nos sustines Domine, ut tibi generis nostri salutem moderanti

(f) Rom. 8. V. 18.

deranti, tribuamus gloriam ... Cum autem pro viribus ex Scripturis glorificaveris, laudaverisque Deum; tum ordire humiliter, ac dic: Ecquidem non sum dignus Domine, qui loquar coram te, quoniam valde peccator sum .... Ubi ergo protuleris humilitatis verba, dixerisque: Gratias ago tibi Domine, quod patienter pertulisti peccata mea, & usque ad hoc tempus me reliquisti inultum. Equidem iam pridem eram dignus, qui innumera supplicia paterer, expellererque è conspectu tuo.... Et ubi duas glorificationis, & humilitatis partes absolveris, tum demum quod debes petere, pete, non divitias, ... non gloriam terrenam, non corporis sanitatem: ipse enim finxit te, ipsique curæ est salus tua, nec ignorat, qua ratione prosit unicuique sive bona, sive mala valetudo: sed quemadmodum jussus es, pete regnum Dei, pete digna Rege Deo. Cum autem exposcis digna Deo, ne destiteris, donec accipias. *Const: Monast; C. I.*

Orandum autem est, non segniter, neque mente huc & illuc divagante: siquidem quisquis est ejusmodi, non solum, non consequuturus est, quæ petet, imo vero Dominum magis exasperabit. Si enim cum aliquis coram Principe stat, ac loquitur, stat cum multo timore .... quanto magis coram Deo cum timore, ac tremore standum est, qui non externum hominem modo videt, velut homines, sed internum etiam intuetur ... Quodsi a peccato debilitatus, non potes citra mentis aberrationem precari, quantum potes, vim tibi ipsi inferas, ac constanter ita coram Deo, mente in illum defixa, eaque ad se ipsam advocata; sicque ignoscet Deus, quoniam non ex contemptu, sed ex infirmitate, ut convenit, stare coram Deo non potes. *Ibidem. Confer: reliqua hujus Capitis. Item Reg: Brev: 80. 201. 261. 277. Item Epist: ad Fil: Spirit: Parag: 7. & 8.*

CONSTITUTIONES.

I. Ad spiritus conservationem, ejusque majorem profectum, omnes quotidie ante matutinas preces, dimidium horæ in rerum Cœlestium meditatione attentaque precatione mentali ponant; a qua ne laicos quidem ipsos abesse volumus.

II. Orationi mentali præmittatur brevis sectio ex aliquo meditationum libro. Interim verò, dum corde oratur, nemo horas Canonicas, vel alias preces recitet: nemo obstrepat, nemo colloquatur, sed in quiete, & silentio, devotè operi huic Divino intentus, quisque maneat.

III. Omnes nostri, ne Superioribus quidem exceptis, satagant semel in anno, a curarum suarum, negotiorumque strepitu semoti, in sacram se se abdere solitudinem, ut in ea per octiduum spiritualium consvetorum ope exerci-

tiorum profectui suo, & saluti consultum eant. Cui legi, si qui non satisfecisse deprehensi fuerint, bino octiduo Recollectionibus impendendo per Superiores mulctentur.

LECTIO SPIRITUALIS

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Non negligas lectiones Testamenti Novi maximè; propterea, quod ex Veteri Testamento oritur detrimentum: non quid scriptæ sint res noxiæ, sed quod eorum, qui læduntur, mens infirma. Omnis enim panis ad alendum idoneus, sed nocet infirmis. *Epla ad Phil: Nro 3.*

In scripturis, & rerum agendarum Præcepta reperiuntur, & Beatorum hominum res gestæ litteris traditæ, veluti animata quædam vitæ secundum Deum instituta simulacra, ad bonorum operum imitationem proponuntur. Ac proinde quacunque in re quisque mendosè ipse se sè habere senserit; in illam imitationem assiduè iucumbens, tanquam ex communi quadam medicinæ officina, appositum suæ infirmitati medicamentum invenit. Ac castitatis quidem amator, historiam Josephi assidua lectione evolvit, atque ab eo actiones temperantiæ plenas ediscit... Fortitudinem verò discit a Jobo... Ac omnino, ut pictores cum imagines ex imaginibus pingunt, crebro ad exempla respicientes, inde formam in suum opus transferre conantur: sic etiam, qui sese omnibus virtutum partibus absolutum perficere studet, ad Sanctorum vitas, velut ad simulacra quædam viva, & actuosa, respicere debet, & quod illis inest boni, suum imitando facere. Preces rursus lectionibus succedentes vegetiorem, ac fortiorem animam amore in Deum concitatam excipiunt. *Epla ad Gregor: Nro 3. & 4.*

CONSTITUTIO.

In studio perfectionis virtutum solidarum omnia sita esse sciant: Quare, ut eum in finem salutaribus se muniant documentis, lectioni sacræ quotidie, quartam, ut minimum partem horæ impendant: præsertim quæ Sanctissimus Legislator noster in Regulis, Constitutionibus, & Institutionibus Monasticis documenta solide, atque sapienter ex oraculorum Divinorum fide tradit, & diligenter ad mensam, dum leguntur, auscultent, & ipsi sæpius privatim pervolutare non omittant.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Completo die, omnique opere tum corporali tum spirituali absoluto, par est unumquemque in corde suo ante quietem, suam ipsius conscientiam exa-

examinare. Et si quid contigit præter decorum, sive cogitatio interdicta, aut colloquium præter officium, aut in orando segnities, aut in psallendo negligentia, aut communis vitæ desiderium, nequaquam occultet peccatum, sed cætui confiteatur, ut morbus illius, qui in ejusmodi malum incidit, per communem precationem sanetur. *Inst: Monach: Cap:* 4.

Expende cujusque diei opus, id cum opere diei præteriti confer, & ita demum melior fieri stude. *Ibidem Cap:* 2.

Quotidie actus tuos discute curiosius, & si te peccatis obnoxium senseris, ad pænitentiam cito confuge. Nolo, ut protrahas peccatum tuum de die in diem; sed si quid cogitaveris male, in Deo pænitentiam age, & velociter de corde tuo seca illud. Ne velis dicere: non est grande hoc facinus, quod cogitavi tantummodo, quia in conspectu Domini manifesta, & aperta sunt omnia. *Admonit: ad Fil: Spirit: Parag:* 8.

CONSTITUTIO.

Vesperi quotidie, quadrante ante signum nocturni silentii, in unum locum congregati (puta in Ecclesiam, Oratorium aut Refectorium, prout locorum fert consvetudo) conscientiam discutient suam, & quomodo diem transegerint, perquirent. Finem autem discussioni huic facient, Psalmum: *De profundis*, dicendo, ad solatium ex indulgentia Clementis XIV. dandum animabus mortuorum Congregationis nostræ Professorum.

PÆNITENTIA SACRAMENTALIS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio, coram iis, qui curare hæc possint, prout scriptum est: *Vos qui fortes estis, infirmitates debilium portate:* (g) Hoc est cura, ac diligentia vestra, tollite. *Reg: Brev: Inter:* 229.

Anima, quæ in multis peccatis misere versata fuerit, quo timore, & quibus lachrymis recedere debeat a peccatis, & qua spe, quavè affectione ad Deum accedere? ℞. Primum quidem odisse debet reprobam suam vitam anteactam, & ipsam ejus memoriam execrari detestarique. Scriptum est enim: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi:* (h) Deinde vero timoris magistram assumere, æterni judicii, ac supplicii commina-

L tionem

(g) Rom: 15. V. 1. (h) Psal: 118, V. 163.

tionem, itemque cognoscere tempus lachrymarum, tempus esse pænitentiæ, uti docuit David in sexto Psalmo. Quippe certissime credat, peccata purgari per sanguinem Christi in magnitudine misericordiæ, & multitudine miserationum Dei... Tum demum nacta facultatem, ac potestatem placendi Deo, dicit: *Ad vesperum demorabitur flectus, & ad matutinum lætitia*... (i) Atque ita accedens psallit Deo, ac dicit. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me*. (k) *Reg: Brev:* 10.

Quomodo oderit quis peccata? ℞. Eventus tristis, ac molestus, semper odium parit in eos, qui ejusmodi rerum auctores sunt. Si cui igitur persvasum sit, quot, & quantorum malorum causa peccata sint, ea sponte & ex animo prosequitur ejusmodi odio, quale ostendit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. *Reg: Brev:* 11.

Quomodo debeat quis pænitentiam agere de singulis peccatis, & cujusmodi fructus pænitentia dignos ostendere? ℞. Nimirum, si habeat animum illius, qui dixit: Iniquitatem odiò habui &c: item si præstiterit, quæ referuntur in sexto Psalmo, & in aliis multis; Et si fecerit, quæ ob peccatum ab alio admissum facta fuisse testatur Apostolus ab iis, qui secundum Deum contristati fuerant. 2. Corin: 7. V. 10. Ibidem si Zacchæi exemplo oppositam virtutem crebro excoluerit. *Reg: Brev:* 5.

Quem pænituit peccati, & rursus in idem peccatum labitur, quid faciet? ℞. Si quis acta semel pænitentia, rursus idem peccatum admittat, liquet, primam peccati illius causam non fuisse expurgatam, a qua, veluti a quadam radice similia necesse est nasci. Quemadmodum enim, si quis relicta radice, voluerit arboris ramos resecare, nihilominus, radix manens aliquid haud dissimile rursus producit: sic quoniam peccata aliqua non in se ipsis habent principium, sed ex aliis originem ducunt, necessarium omnino est, eum, qui ab ipsis purus esse vult, primas peccatorum illorum causas tollere. e. c. jurgium aut invidia, haud quaquam a se ipsis sumunt exordium, sed ex radice amoris gloriæ pullulant. Qui enim humanam gloriam aucupatur, huic jurgium est cum eo, qui bene audit, aut ei invidet, qui fuerit nominis splendore inferior. Si quis igitur, ubi se ipse semel condemnaverit, invidiæ, aut dissidii, in eadem rursus vitia incidat, noverit in intimis laborare se ex primaria illa invidiæ, aut altercationis causa, ipso videlicet gloriæ studio. Et quidem oportet eum ex diverso per humilitatis exercitia (exercitium autem humilitatis est in vilioribus negotiis occupari) id vitium amoris gloriæ curare, ut sic animo humili affectus, deinceps, in ea, quæ ante diximus, amoris gloriæ germina nequaquam incidat; & in singulis ejusmodi peccatis similiter. *Reg: Brev:* 279.

(i) Psal. 29. V. 6. (k) Ibidem V. 2.

Qui

Qui vobis confitetur se pænitere, peccatum verò non corrigit, quis est? ℟. Existimo de eo, qui hujusmodi est, id scriptum fuisse ... *Sicut canis cum redierit ad suum vomitum, & odibilis efficitur, sic homo malitia sua revertens ad peccatum suum.* (l) *Reg: Brev: 6.*

Nullum parvi pendas vitium, etsi id, quod patratur, minus sit, quam ut ullum scandalum pariat; imo vero citius emenda per pænitentiam, quamvis multi multa admittant delicta, & parva, & majora, nec tamen pænitentiam agant: *Inst. Monach: Cap: 2.* Vide *Reg: Brev: 8. 9, 12. 13. 15. 16. & 28. Et Epistolas ad Lapsos 7. 8. 9.*

CONSTITUTIONES.

I. Omnes summo studio adnitantur conscientiam ab omni, ut vult S. Pater Noster vitio puram servare; hinc omnes, qui Sacerdotes non sunt, singulis Festis, & Dominicis diebus Sacramento pænitentiæ maculas animarum suarum eluant: Sacerdotes autem toties, quoties vel necessitas, vel major conscientiæ nitor postulabit.

II. Nemo nostrum, sive is incola Monasterii sit, sive hospes confiteatur extraneis, præter Superiorum facultatem. Nec liceat ulli pro sacro Tribunali sistere se apud alium nostrum, præterquam apud Pænitentiarium Ordinarium a Visitatore Provinciali, aut Extra Ordinarium a Superiore Loci, approbatum, & designatum. Extra Monasterium tamen, ubicunque copiam nostrorum non habuerint, poterunt confiteri extraneis, modo ii sint à Superioribus comparate suis approbati.

COMMUNIO SACRAMENTALIS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Necessaria ad vitam æternam est participatio corporis, & sanguinis Christi .... sed qui accedit ad communionem non considerata hac ratione, secundum quam corporis, & sanguinis Christi participatio datur, is nullam ex ea utilitatem capit, & qui indigne assumit, condemnatus est. *Reg: Mor: 21.*

Quali cum timore, aut qua animi persvasione, aut quo affectu corpus, & sanguis Christi nobis accipienda sint? ℟. Timorem quidem docet nos Apostolus, cum ait: *Qui manducat & bibit indigne judicium sibi manducat & bibit:* (m) Persvasio verò integra habetur ex fide verborum Domini, qui dixit; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem.* (n) Item ex fide testimonii Joannis, qui memorata prius Verbi gloria, posthac Incarnationis modum induxit, his verbis: - *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* plenum

(l) Proveb. 26. V. 11. (m) 1. Corint: 11. V. 29. (n) Ibidem V. 24.

plenum gratiæ & veritatis. (o) Itidem, quoniam Apostolus scripsit: - *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (p) Cum igitur animus his & talibus verbis fidem adhibens, gloriæ majestatem didicerit, humilitatisque, & obedientiæ magnitudinem admiratus fuerit, quod talis, ac tantus ad mortem usque Patri obtemperarit, vitæ nostræ causa, eum arbitror ita affici, ut simul Deum & Patrem diligat, *qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (q) Simul Unigenitum ejus Filium, qui obedivit usque ad mortem pro nostra redemptione, ac salute. Et ita demum obsequi potest Apostolo, qui bonam in his conscientiam, iis, qui sani sunt, proponit, ceu regulam quandam, ubi ait: - *charitas enim Christi urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* (r) Quisquis panis, & poculi fit particeps, sic affici, & præparari debet. *Reg: Brev:* 172.

Quid proprium Christiani? ℟. Purum esse ab omni inquinamento carnis & spiritus in sanguine Christi, ac perficere sanctimoniam in timore Dei & dilectione Christi: nequaquam habere maculam, aut rugam, aut quidpiam hujusmodi, sed esse Sanctum, & incontaminatum, & sic edere corpus Christi, & bibere sanguinem. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* (s)

Quid est proprium illorum, qui edunt panem, & bibunt Poculum Domini? ℟. Perpetuam servare memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Quid est proprium eorum, qui servant ejus memoriam? ℟. Ut iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. *Reg: Mor:* 19. C. 22.

CONSTITUTIONES.

I. Omnes, qui Sacerdotes non sunt, singulis saltem solemnibus Festis, & Dominicis ad Divinam mensam accedant.

II. Accedant vero Clerici mandias induti, Laici palendránas.

III. Simul quoad fieri poterit, accedant omnes, idque sub tempus Sacræ, quæ vulgo Conventualis audit, Lyturgiæ, nisi interdum aliter Superiori visum fuerit.

IV. Commu-

(o) Joan. 1. V. 6. (p) Philip: 2. V. 6. (q) Rom: 8. 32. (r) 2. Corin: 5. V. 14. (s) 1. Corint. 11. V. 29.

IV. Communicabunt maxima cum religione, modestia, reverentia, & manibus decenter ante pectus decussatis.

CORDIS REVELATIO.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Unusquisque eorum, qui subditi sunt, si modo profectum eximium velit facere, & in ejus vitæ, quæ ex Domini Nostri Jesu Christi præceptis transigitur, firmo, & stabili statu versari, debet, neque motum ullum animæ occultum apud se ipsum servare, neque verbum ullum in considerate proferre, sed hisce Fratribus, qui infirmis benignè, & humanè curandis præfecti sunt, cordis arcana aperire. Ita enim, quod laudabile est, stabilitur, quod vero reprobum, congruenti remedio sanabitur. Atque per mutuum hujusmodi exercitium perfectio a nobis comparabitur, facta paulatim accessione. *Reg: Fus: 26.*

Utrum oporteat unumquemque, ea, quæ sentit, aliis patefacere: an cum sibi persvasum fuerit, rem, quæ geritur, Deo esse gratam, eam debeat apud se ipsum continere? ℟. Memor es sententiæ Dei, qui dixit per Prophetam, *Væ vobis, qui prudentes estis in vobis ipsis, & coram vobis ipsis scientes.* (t) Itemque horumce verborum Apostoli: *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, idest, simul consolari in vobis, per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam.* (u) Communicare nos, res nostras cum iis, qui nobis conjunctissimi sunt, quique tum fidei, tum prudentiæ specimen dederunt, necesse esse arbitramur: ut quod erroneum est, corrigatur, áut quod rectefactum est, stabiliatur, sicque effugiamus nos memoratum jam judicium, quod adversum eos, qui in se ipsis prudentes sunt, prolatum est. *Reg: Brev: 227.*

CONSTITUTIO.

Ad Spiritus profectum, medium imprimis necessarium est, revelatio hominis interioris Superiori, vel cui conscientiarum cura demandata est, juxta Regulam S. Patris facienda; Quare consultissimum esse censemus, ut a nostris ejus ratio habeatur. Iis vero, quibus pia humilitate extra confessionem, consilii vel solatii gratia, arcana cordis patefient, in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut ea arctissimo secreto teneant.

EXHORTATIONES DOMESTICÆ.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Duo cum sint magis generales ordines, & eorum, qui aliis præficiuntur, & eorum, quorum partes sunt, morem gerere, & obedire, secun-

(t) Jsaiæ 5. V. 21. (u) Rom: 1. V. 11.

secundum diversa dona; arbitror, cui Præfectura, & cura plurium concredita est, eum, quæ omnibus congruunt, scire, ac ediscere debere, ut cunctos doceat, voluntates Dei, singulisque ea, quæ ad ipsorum officium spectant, ostendat. *Reg: Brev:* 235.

Quemadmodum mihi necessitas incumbit, & væ mihi est, si non evangelizavero: ita & vobis æquale impendet periculum, si segniter inquisiveritis, aut ad ea, quæ tradita sunt, observanda, & re ipsa conficienda languidius, ac remissius affecti fueritis. Quapropter Dominus dicit: - *Sermo, quem loquutus sum, ille judicabit eum novissimo die.* (w) Item: - *Servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: Qui vero novit, & non fecit, neque paravit se ad voluntatem ejus, vapulabit multis.* (x) Precemur igitur, ut ego inculpate dispensem sermonem, vos vero utiliter doctrinam excipiatis. Tamquam ergo, qui sciamus Divinæ Scripturæ verba, in nostro conspectu ante Christi Tribunal sistenda esse - (*Arguam enim te*, inquit, *& statuam contra faciem tuam peccata tua.*) (y) Ita & iis, quæ dicuntur, attendamus diligenter, & sedulam Divinis monitis exequendis operam demus, quandoquidem ignoramus, qua die aut hora Dominus noster venturus est. *Proem: Reg: Brev: Nro* 4.

CONSTITUTIONES.

I. Abbatibus, & omnibus Superioribus nostris commendamus, ut majoris profectus spiritualis causa, bis saltem in annum per se ipsos, per alios vero quot mensibus orationem ad Monachos suos habeant, Monasticæ vitæ ipsis officia exponendo, ac ad ea, quæ ad studium virtutum, regularem observantiam, & omnimodam perfectionem attinent cohortando.

II. Exhortationes istæ non producantur ultra duos horæ quadrantes: habeantur autem in loco, ubi pro more Monasterii vespertina solet peragi discussio conscientiæ, idque statim discussione ista absoluta.

III. Nemo ab Exhortationibus hujusmodi absit, nisi quem gravis, ac legitima causa excusaverit.

IV. In Monasteriis minoribus, ubi cohortatorii sermones commode instititui nequeunt, suppleat eorum vicem Lectio Compendiariæ Sancti Patris de Ascetica Exercitatione Doctrinæ, quæ Capiti 3tio Constitutionum nostrarum inserta legitur.

MORTIFICATIO & TEMPERANTIA.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Opta

(w) Joan. 12. V. 48. (x) Luc. 12. V. 47. (y) Psal. 49. V. 21.

Opta esse ex paucorum numero. Nam rarum est bonum, ob idque pauci sunt, qui ingrediuntur in Regnum Cælorum. Cave, putes eos omnes fieri salvos, qui in cella degunt, tum malos, tum bonos. Non enim res ita se habet. Multi quidem accedunt ad Sanctum, ac pium vitæ genus; sed pauci ejus jugum subeunt. Violentorum enim est regnum Cælorum, & violenti rapiunt illud. Verba hæc Evangelii sunt .... Violentiam appellavit corporis afflictionem, quam suapte sponte sustinent Discipuli Christi, dum suam ipsorum voluntatem, corporisque quietem reiciunt, ac omnia Christi Præcepta servant. Igitur si vis rapere Regnum Dei efficiare violentus, cervicem tuam jugo servitutis Christi submitte. Jugum ejus constringe circa collum tuum, id tuam cervicem premat, fac idem reddas tenue ac leve per laborem virtutis, in jejuniis, in vigiliis, in obedientia, in silentio, in psalmodiis, in precationibus, in lachrimis, in manum opere, in toleranda afflictione omni, quæ tibi tum ex dæmonibus, tum ex hominibus accedit. *Inst: Monast: Cap:* 2.

Ei, qui pie vivere vult, necessaria est temperantia. Primum quidem, quoniam temperantia ab Apostolo inter fructus Spiritus recensetur: (z) Deinde vero, quoniam dicit nostrum Ministerium, etiam per illam inculpatum fieri, his verbis utens: - *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate:* (a) Et alibi: *In labore, & ærumna, in vigiliis sæpe, in fame & siti, in jejuniis sæpe.* (b) Et rursus: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* (c) Nulla autem res alia tam corpus castigat, quam temperantia, aut illud æque in servitutem redigit. Nam juventutis fervor, & libidinum reprimendarum difficultas temperantia quasi fræno quodam cohibetur .... Temperantiam autem dicimus non universam prorsus ciborum abstinentiam (hoc enim violenta quædam vitæ dissolutio est) sed eam, qua a rebus jucundis abstinemus, quæ ad pertinaciam carnis frangendam, & ad attingendum pietatis scopum instituta sit. *Reg: Fus:* 16.

Fili vigiliis copula jejunium, ut cunctis animæ virtutibus florere possis, & caro tua subjecta sit animæ tuæ, & ancilla tua famuletur dominæ suæ, ne præbeas vires corpori tuo, ne bellum adversus spiritum exerceat, sed semper subjecta sit caro spiritui, & obtemperet jussis spiritus. Noli incrassare ancillam tuam, nè contemptui habeat dominam suam; sed & in omnibus ejus obsequiis mancipetur. Sicut enim equis sunt frena imposita, ita jejuniorum frena imponamus corpori nostro. Nam quemadmodum auriga, si equorum frena laxaverit, rapidissimo cursu cum eo in præcipitia deferuntur; ita & anima, si cor-

(z) Galat: 5. V. 23. (a) 2. Corint: 6. V. 5. (b) Ibidem 11. V. 27.
(c) 1. Corint: 9. V. 25.

ſi corpori suo non impoſuerit frænum, uterque ad inferni præcipitia devolvuntur. Eſto peritiſſimus auriga corpori tuo, ut per tramitem rectam poſſis pergere viam. Eſcæ enim plurimæ non ſolum animam, sed & corpus noſtrum plurimum lædunt .... Quantum poſſumus, mundi delicias, & ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flamma, guttam aquæ quæramus, nec refrigerium conſequamur. Fugiamus ebrietatem, nè in retia luxuriæ incurramus. Vinum enim nobis Dominus ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem creavit; Non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas poſtulat: Et Apoſtolus Timotheo modico præcipit uti vino, & hoc propter dolorem ſtomachi, & propter ejus frequentiſſimas infirmitates. (d) Ne igitur nos, quod ad medelam corporis noſtri tributum eſt, ad perniciem deputemus. Plurimi namquè maximam per vinum debilitatem contraxerunt, nec potuerunt conſequi priſtinam dignitatem, qui primum gulæ non temperaverunt ardorem. *Admon: ad Fil: Spirit: Parag: 9.*

Quemadmodum aquæ ſcaturigo in multos ductus diviſa, facit, ut omnis locus his ductibus circumjacens vireſcat: ita & gulæ vitium ſi se in cor tuum effuderit, ipſum irrigatis omnibus tuis ſenſibus, qui sunt nequitiæ quaſi sylva in te conſita, animam tuam ferarum habitaculum efficiet. Ego enim vidi multos, qui vitiis mancipati, redierunt ad sanitatem: sed ex omnibus ne unum quidem, qui occulte manducaret, aut guloſus eſſet, emendatum vidi; Imo vero aut vitæ continentis inſtitutum deſerunt, atque in mundo corrumpuntur, aut inter continentes occultari conantur, & diaboli fiunt commilitones per voluptatem. Hi enim mendaces sunt, multis juramentis obnoxii, perjuri contentioſi, ad referiendum parati, clamoſi, & qui negent se comediſſe, illiberales, molles, queruli, scrutatores, & qui tenebris gaudeant, omneque vitæ piæ, ac sanctæ inſtitutum ultrò oppugnent. Etenim, ut gulæ vitium contegant, in malorum incidunt multitudinem: qui quidem ſpecietenus inter electos, at re ipſa inter reprobos numerantur.

Ingluvies morti tradidit Adamum, atque per ventris voluptatem mundo exitium intulit. Irridetur Noe, Cham diris devotus eſt; Primogeniti jura amittit Ezau, atque cum Chananeis affinitatem contrahit. Loth filiarum maritus fit, ipſe ſui ipſius gener, & ſocer, pater, vir, & avus, pater utrinque naturæ terminos afficiens contumelià. Hæc etiam Jsraelem impulit ad adorandum ſimulacrum, eorumque cadavera in deſerto proſtravit. Hæc & quendam Prophetam, qui a Deo ad objurgandum impium Regem fuerat miſſus, feræ beſtiæ pabulum effecit: & quem Jeroboam Rex cum omni regia poteſtate ulciſci

(d) 1. Timot: 5.

ulcisci non poterat, is ventris suadela captus, miserandam mortem r cip t. *Instt: monach: Cap: 2.* Quomodo jejunandum est: cum opus fuerit jejunio propter aliquid eorum, quæ ad pietatem excolendam requiruntur: Utrum tanquam coacte, an cum animi promptitudine? ℟. Cum Dominus dicat: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam* (e) quidquid ad pietatem conducit, id nisi libenter, ac studiosè fiat, periculosum est. Quare qui jejunat quidem, sed id animo alacri non facit, vocatur in periculum. Cæterum in tempore necessitatis ejusmodi necesse est jejunare, quandoquidem Apostolus inter sua alia rectefacta, illud etiam ad docendos nos enumerat: *In jejuniis sæpe* (f) *Reg. Brev: 130. vide: Epistolam: 2. ascett: atque Reg. Brev. 69. 128. 129. 137 & 138*

CONSTITUTIONES.

I. Salutare esse dicimus; ut nostri omnibus totius anni feriis sextis extra Sacrum Pœnitentiæ Tribunal, Superiorem, aut ipso impedito, Pœnitentium ordinarium adeant, & pœnitentiam, sive corporis voluntariam afflictionem, quam ad sui spiritus profectum sibi ipsi magis convenire judicaverint, humiliter injungi petant. Quod quidem ipse etiam Superior servare teneatur, rem cum eodem agendo Pœnitentiario. Si qua tamen sponte delectat corporis castigatio, modum excedere, nocumetum adferre, aut majus bonum posse impedire ei, a quo facultas expetetur, visa fuerit, intererit ejusdem prudenter in Domino moderari.

II. Temperantiam tantopere a Sancto Patre Nostro commendatam, utī, quæ carnem, motusque ejus turbulentos refrænat, colant nostri diligenter. Hinc jejunia multorum dierum; quæ in nostra Ecclesia quater in Annum sustinenda occurrunt, stricte ab omnibus observentur, & quidem, Vernum, quadragenûm dierum, omni necessaria severitate. Cætera vero cum stata a carnibus, & lacticiniis abstinentia.

III. Eadem abstinentia colantur dies, qui festi, & esuriales simul habentur: Exaltationis nimirum Sanctæ crucis, & decollationis Sancti Joannis Baptistæ. Pervigilium autem tam augustissimi festi, quo ortus Natalis Christi Dei Nostri recolitur, quam alterius, quo Ejusdem Domini Nostri in Jordane Baptizati memoria agitur, ad Legem quadragesimalis Jejunij nunquam non exigatur.

IV. Extra hæc jejunia liceat nobis, veteri suffragante consvetudine, vesci carnibus, at diebus tantum Dominicis, nec non feriis secundis, tertiis, & quintis. Sabbatha solorum lacticiniorum usu obeantur. Feriæ autem quarta

N

(e) Math: 5. v. 6. (f) 2. Corint: 11. v. 27.

quarta, & sexta, cum omnimoda, etiam a lacticiniis abſtinentia: Niſi in hos dies inciderit feſtum, vel Nativitatis Domini, vel Theophaniæ, quibus solvendi penitus jejunij morem a majoribus accepimus, uti & feriis sabathinis.

V. Legibus jejuniorum, & abſtinentiarum noſtrarum nulli Superiorum noſtrorum liceat totum monaſterii cætum, seu Communitatem solvere citra legitimam dispensationem, sub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ ipso facto incurrenda, juxta Epiſtolam decretalem Benedicti XIV. *Demans Cælitus: & inter: Plures.*

CELLÆ CUSTODIA, & SILENTIUM

Textus Regulæ S. Patris Baſilii Magni.

O Cella spiritualis, exercitii mirabilis officina, in qua certè humana anima Creatoris sui imaginem in se reſtaurat, & ad suæ redit originis puritatem! ... Tu das, ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum & se ipsum prius ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, & de exilii dejectione, ad antiquæ dignitatis revocas celſitudinem .... Tu campus Divini prælii, spiritualis arx certaminis, Angelorum spectaculum, Palæſtra fortiter dimicantium luctatorum: ubi spiritus cum carne congreditur, & fortis ab infirmo superatur ... Nam qui in te sunt lorica fidei præmuniti, sub Jmperatoris sui invicta protectione tripudiant, & de hoſtium suorum certa jam dejectione triumphant. Quibus nimirum dicitur: - *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis* - ... (g) Quam pulchra rerum species, cum Frater in Cella conſtitutus, nocturnas peragit Psalmodias, & quaſi pro divinis caſtris militares cuſtodit excubias. Cella ſiquidem teſtis eſt, quanto Divini amoris ignè cor ferveat, & utrum perfectæ devotionis inſtantia, quis Dei faciem quærat ... O cella! te Hieremias aspexerat, cum dicebat - *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio salutare Dei. Bonum eſt viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit: elevabit enim se supra se:* - (h) Habitator enim tuus se elevat supra se, quia Deum esuriens anima, a terrenarum rerum se obtutibus erigit, & in Divinæ contemplationis arce suspendit: a mundi se actionibus segregat, atque in altum contemplationis cæleſtibus deſideriis pennas librat: cumque illum, qui eſt super omnia, conspicere satagit, semet ipsum quoque homo cum reliquâ mundanæ vallis dejectione transcendit. O cella! spirituale prorsus habitaculum! ... Jlli te noverunt, qui te diligunt, illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus fideliter requiescunt ... Me tuæ laudis in parem fateor

(g) Exod: 14. (h) Tren 3.

fateor: sed unum procerto scio, quod & indubitanter affirmo: quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tui, sed ejus inhabitator est Deus. *Ex: Lib: de Laude Solitt. vitæ.*

An in universum bona sit exercitatio silentii? ℞. Silentii utilitas ex temporis oportunitate, exquè persona, probatur, ut ex Divina Scriptura edocemur. Ex temporis quidem oportunitate, veluti cum dicit: *Prudens in tempore illo tacebit quia tempus malum est.* (i) Et rursus: - *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me* - (k) Ex persona vero; ut cum Apostolus scribit: - *Quodsi alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* (l) Ac iterum: *Mulieres vestræ in Ecclesiis taceant*: (m) Aliquando etiam iis, qui linguam intemperatiorem habent, nec servare possunt illud: - *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed siquis bonus ad ædificationem fidei*: - (n) Necessarium est silentium integrum, donec in dicendo & a vitio petulantiæ per id curentur, & per otium discere potuerint, quando, & quid, & quomodo loqui oporteat, ut quemadmodum scriptum est - *det gratiam audientibus*: (o) *Reg. Brev.* 208.

Nisi aut peculiare aliquod negotium, & ad animæ suæ curam, & ad inevitabilem operis alicujus, quod in manibus sit, necessitatem pertinens, aut instituta aliqua quæstio urgeat, in silentio degendum est, excepta videlicet psalmorum modulatione. *Reg: Fus.* 13.

Tempore psalmodiæ, quæ in domo fit, colloquia aliqua seri non oportet! exceptis iis, quorum munus, & cura est disciplinæ & operum distributioni providere, idque aliqua re necessaria urgente: & neque tunc inconsiderate, sed habita ratione, & loci, & disciplinæ, & gravitatis, & scandali, quod vitari debet: reliquis omnibus necessarium est silentium. *Reg. Brev:* 13.

An conveniat, ut in officinis inveniantur aliqui de fratribus relicto loco suo? ℞. Eo excepto, qui operariis invisendis, & dispensandis operibus Præfectus est, quisquis hoc facere inventus fuerit, veluti, qui rectum ordinem harmoniæ membrorum dissolverit, licito etiam cellæ egressu prohibeatur: in loco autem qui castigationi idoneus judicatus fuerit, sedens attente, & solito laboriosius pensum reddat, quoad servare didicerit, quod dictum est ab Apostolo: - *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat.* (p) *Reg Brev.* 141.

CONSTITUTIONES.

I. In Monasteriis, quoad fieri poterit, singuli singulas, præsertim Presbyteri cellas habeant.

II. Omnes

(i) Amos. 5. v. 12. (k) Psal: 38 v. 2. (l) 1. Corin. 14. v. 30. (m) Jbidem: v. 34. (n) Ephs: 4. v. 29. (o) Jbidem. (p) 1. ad Corin. 7. 24.

II. Omnes se in Cellis suis contineant, dando alacrem operam exercitiis, quæ Asceticus ab illis requirit status, aut ratio inpositi sibi postulat ministerii.

III. Caveant circum- cursari, aut per claustra divigari, uti & adire officinas, si ad se id non attineat.

IV. Alienas cellas, præsertim silentii tempore, citra necessitatem non ingrediantur. Quodsi illas adire opus fuerit, non prius pedem intromittant, quam solitam preculam - *Domine Jesu Christe miserere nobis*. ex more Patrum nostrorum antiquissimo, ad fores præmiserint, benedictionemque impetrârint.

V. Jn quiete & silentio se contineant, nec extra tempus recreationi assignatum loquantur, nisi paucis, & de rebus necessariis, præsertim in Ecclesia, choro, sacristia, refectorio, ubi dum quid privatim dicedum occurret, submissa voce suggeratur.

CAPUT QUARTUM

De iis quæ ad cultum exteriorem divinum pertinent.

DIVINUM OFFICIUM.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Non oportet precationum tempora in fratrum Conventibus constituta negligere, quæ necessario delegimus, quod eorum quodlibet, accepta a Deo beneficia singulari quodam modo in memoriam revocet. *Reg. Fus.* 37.

Matutinum quidem, ut animi, ac mentis nostræ primi motus Deo consecrentur, & nihil aliud prius curandum suscipiamus, quam exhilarati fuerimus Dei cogitatione, sicut scriptum est: *memor fui Dei, & delectatus sum*: (q) neque corpus ante admoveatur operi, quam effecerimus, quod dictum est: *Ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam*. (r) *Mane adstabo Tibi, & videbo*. *Jbidem*.

Hora vero tertia surgatur ad precandum, fratresque convocentur, etiamsi divisi, aliis operibus fuerint occupati; & ita spiritus donum circa tertiam horam Apostolis collatum in memoriam redigentes omnes uno, eodemque animo illum venerentur, ut ipsi quoque fiant digni; quibus sactitas conferatur. *Jbidem*

Sexta quoque hora necessariam esse precationem Sanctorum exemplo judicavimus, qui dicunt: *Vespere & mane & meridie narrabo, & anuntiabo: & exaudiet vocem meam*: (s) Et ut liberemur ab incursu, & dæmonio meridiano, etiam eodem tempore recitetur nonagesimus Psalmus. *Jbidem*.

Nonam autem horam ad orandum necessariam esse, Apostoli nobis prodiderun

(q) Psal: 76. v. 4. (r) Psal: 5. v. 4. (s) Psal: 54.

diderunt, in Actis, in quibus narrantur Petrus & Joannes ascendisse in templum ad horam orationis nonam. *Ibidem*. (t)

Jam completa die, de iis, quæ in ipsa data sunt nobis, aut rectè a nobis gesta sunt, persolvantur gratiæ, itemque ea, quæ prætermissa sunt, confiteamur. *Ibidem*.

Ac rursus nocte incipiente petendum est, ut inoffensa & a visis libera requie fruamur, qua hora etiam Nonagesimus Psalmus necessario dicatur. *Ibidem*.

Mediam autem noctem nobis ad orandum necessariam esse tradiderunt Paulus, & Silas, quemadmodum Actorum historia declarat his verbis: *Media autem nocte Paulus & Silas laudabant Deum*. *Ibidem*. (u)

Et rursus antevertere diluculum par est, & ad precationem exsurgere, ne in somno, ac cubili a die deprehendamur, juxta eum qui dixit: *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua*. *Ibidem*. (w)

Ex quibus temporibus nullum est negligendum ab iis, qui diligenter ad Dei & Christi ipsius gloriam vivere instituerunt. *Ibidem*.

Quodsi forte aliqui propter operum, aut locorum naturam longius abfuerint, illic sine ulla hæsitatione singula, quæ communiter statuta sunt, exequi necessario debent. *Ibidem*.

Quoniam autem precum & Psalmorum obtentu nonnulli opera refugiunt, sciendum est, in aliis quidem quibusdam rebus proprium esse cujusque rei tempus, juxta Ecclesiasten, qui dixit: *Omni negotio tempus est*. Sed precationi & Psalmodiæ, sicut & pluribus aliis rebus nullum non tempus idoneum esse, ita ut interea, dum admovemus manus ad opera, modo quidem ipsa lingua (quando id fieri potest, aut conducit potius ad fidei ædificationem) sin minus, corde in Psalmis & Hymnis, & Canticis spiritualibus Deum collaudemus, uti scriptum est, & ita inter operandum præcationem expleamus. *Ibidem*.

Quotiescunque ad preces vocaris, succinat os tuum, operique Divino intersis ad extremam usque precationem, ratus te inde non sine magno detrimento recessurum. *Instit: Monach: Cap: 2.*

Quodsi corpore cum cæteris non possit accurrere, non sit sollicitus, perficiens quod dictum est: *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat*. (x) Cavendum autem est, ne quis forte, cum rem injunctam valeat conficere, opportuno & convenienti tempore, ita ut aliis etiam exemplum detur, nihilominus tamen ad reliquorum offendiculum muneris sui prætexat occupatio-

O nem

(t) Act: 3. C. 1. (u) Act: 16. V. 52. (w) Psal: 118. (x) 1. Corint: 7. V. 24.

nem, atque adeo in neglientium judicium incidat. *Reg: Brev: Inter:* 147.

Nisi alacriter accedat ad psallendum, & nisi ferat præ se affectum illius, qui dixit: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo:* (y) Et nisi putet magnum detrimentum desidiam esse; aut corrigatur, aut expellatur, *Ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Reg: Brev: Inter:* 281. (z)

Persvasum sit cuilibet, ne inter orandum mente distrahatur, Deum sibi ob oculos esse: si enim quis Principem aut Præpositum intuens, & cum eo loquens, oculos intentos habet, quanto magis, qui Deum precatur, intentam mentem habebit in eum, qui scrutatur corda & renes *Reg: Brev: Inter:* 201.

In tempore orationis, vel Psalmorum nè te opprimat somnus animæ tuæ, & nē dissonans sit sensus, & lingua, sed consonantia sint, & utraque proferant verba. *Admonit: ad Fil: Spirit: Parag:* 8.

Quare corporis necessitates, ad precum horas accommoda, sisque paratus non ei cogitationi obedire, quæ te ab opere Divino avellat. Is enim dæmonibus mos est, videlicet æquæ causæ nomine, atque simulatione, per precum horas nos ad recedendum instigare, ut specioso quodam obtentu a salutari precatione nos abducant. Ne dixeris, simulatione usus, heu caput meum! heu ventrem meum! obscuros commentitii doloris testes adhibens, atque quiescendi causa vigiliarum rigorem infringens. Imo potius vaca occultis precibus, quas in occulto videns Deus, te in aperto remunerabitur. *Instit: Monach: Cap:* 2.

CONSTITUTIONES.

I. Cum S. Pater Basilius neminem a precibus & Psalmodia exceptum velit, idcirco declaramus unumquemque ad Professionem Clericalem admissum, tametsi Sacris initiatus non sit, Divinum Officium recitare teneri.

II. In omnibus Monasteriis Divinum officium simul ab omnibus dicatur. Dicatur autem studiosè & devotè voce clara, articulata: ac nec acuta, nec depressa, sed mediocri.

III. Inter dicendum voces nec protrahantur nimis, nec corripiantur: voces quoque æqualiter inchoentur, & terminentur: deturque opera, quo solita in mediis ipsis servetur respiratio.

IV. Cantus chori nostri sit gravis, modestus, & ad numeros modulosque Ecclesiasticorum nostrorum tonorum exactus: vitandaque in eo inconcinnitas, & celeritas, ne Psalmodia quæ populi devotionem alere debet, offensionem ipsi ereet.

V. Ad

(y) Psal: 118. (z) Galat: 5. V. 9.

V. Ad conformitatem autem in exteriori precum dicendarum ritu, servandam statuimus: 1mo. Ut Monachi stent erecti, quoties recitatur Trisagion, cum Oratione Dominica, Symbolum Nycænum, Orationes horariæ, Dexologia, Cantica, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*: 2do. Ut stent inclinatis capitibus, cum dicitur, *Gloria Patri &c*: & Orationes, quæ facta exclamatione, - *Capita vestra inclinate*. secretò, & interdum clara voce recitandæ subjunguntur. 3tio: Ut stent capitibus apertis, dum canitur Evangelium, Doxologia, Hymnus vespertinus S. Anthynogenis. Et quoties Encomium Virginis Beatissimæ, quod incipit, - *Dignum est* - decantatur. 4to. Ut flectant genua, dum recitatur Oratio Completorii, quæ incipit - *Immaculata impolluta* - dum canitur - *Sanctus* - in Missiæ Sacrificio, & reliqua quæ sequuntur usque ad *dignum est*. - Jtem pariter genibus innixi maneant, a - *Sancta Sanctis* - usque ad *Recti qui accepimus*. - In capitis tamen apertione facile cum Monachis ob rationem frigoris, a Prima Octobris, usque ad Primam Maji dispensamus.

VI. Præterea Ritus, Ceremoniæ, & incensationes, quæ ex præscripto Typicorum Orientalis Ecclesiæ legitimè in Ecclesia nostra receptorum, & antiquo usu comprobatorum, inter Divinum Officium servari debent, exactè serventur.

VII. Vigiliæ Ecclesiasticæ, quæ solemnioribus festis haberi solent, fiant pro consvetudine locorum nulla excusatione admissa; nec usquam intermittantur, Festis Natalis Domini, Theophaniæ, Annuntiationis; Feria Magna Canonis, Dominica Palmarum, Feria Parasceves, Glorisissimo Festo Paschatis, ac Pentecostes.

VIII. Officium Lotionis pedum, quod Feria Quinta, Majoris Hebdomadæ peragendum præscribitur; in locis, ubi sufficiens numerus Monachorum habetur: ubi nimirum præter Monachos, quibus Lotio ministrari debeat, tot reperiuntur alii, quot officium hujusmodi persoluturo Superiori congruam assistentiam præstare possunt, quotannis, ad præscriptum Typicorum eodem die in memoriam exempli Domini peragatur.

IX. Diebus Festis, & Dominicis, Dies ejusmodi computando a Primis Vesperis usque ad secundas, omnes Monachi, pleno Monastico amictu induti, choro adsint, nec aliter Ecclesiam adeant, quoties iisdem Diebus devotionis causa fuerit adeunda.

X. Qui verò vices suas in opere Divini officii Hebdomadariorum nomine in choro exequuntur, ita, semper, nec aliter vestiti, suo fungantur ministerio.

XI. Nemo nostrum, dum Hebdomadarii, sive officiantis nomine, in

charo, Diviuo ministrat officio, audeat in publicis Ecclesiæ Litaniis, sive Precibus Sanctos commemorare Cælites, quorum cultui privatim deditus est, nomina tamen eorum, authoritate Ecclesiæ his inserta supplicationibus, non legit.

II. Ut fructus Monasticæ Psalmodiæ, quam Monachi Sacris initiati, & initiandi singulis diebus persolvunt, non sit alienus a Laicis, volumus, ut loco chori precum Laici, qui legere nesciunt, ter ac tricies in memoriam ætatis Redemptoris Nostri dicant quot diebus Orationem Dominicam, totiesque in honorem Sanctissimæ Dei Genitricis Dominæ nostræ Angelicam salutationem, cuivis precum suarum decadi Symbolum Fidei Apostolicum, vel Nycenum adiiciendo: legendi verò gnari, ut recitent, quoties operé impediti non fuerint, jam Paraclesim, jam Acathistum de Beatissima alternis diebus. Omnes verò iisdem diebus Festis, nisi quos obsequia Monasterii distinuerint, choro interesse, & assistere tenantur.

XIII. In singulis nostris Monasteriis unus constituatur, qui linguæ Slávicæ, ritus chori, & cantus Ecclesiastici nostri peritus, alios præsertim juniores, alternis diebus, quoties tali instructione indiguerint, in iis quæ ad chorum, & linguæ intelligentiam pertinent, per semihoram instituat.

XIV. Ne charitati Jnstituto nostro conformi desimus, volumus, ut dum intensiora frigora durant, hyberna Oratoria, ob commodum debiliorum, & senum Monachorum in Monasteriis nostris calefiant, in iisque Divinum persolvatur officium.

C U L T U S.
Sacrosanctorum Altaris Mysteriorum.
Doctrina S. Patris Basilii Magni.

Sacerdos Dominus, qui ab Angelis, & Archangelis extollitur, ac Seraphim Sanctus pronuntiatur, super Cherubim sedet, atque ab his simul omnibus, nullo interposito silentio vocibus Divino sermone informatis gloriosè laudatur, & a nobis etiam terræ incolis Sacerdotali functione coli vult, non quod nostro cultu, opus habeat; sed ut nos Sanctitatis suæ reddat participes. *Ex Anaphora Syronum.*

CONSTITUTIONES.

I. Jn Monasteriis Majoribus, ubi severiores disciplinæ non traduntur, una Sancta Lyturgia, nulla admissa excusatione, cum chori cantu quotidie celebretur. In quibus verò hujusmodi Litterarum studia tractantur, illis solum feriis, quibus a Scholæ laboribus quies fit, a Monachis decantetur: aliis autem

tem diebus, quibus schola non silet, tametsi Missam constanter cantandam volumus, id tamen per sæculares adolescentes, gratuitos Monasteriorum Alumnos, præstari posse edicimus.

II. In Monasteriis minoribus, ubi scilicet numero pauciores, iique cura animarum distineri soliti manent Monachi; detur opera, ut diebus saltem Dominicis, & aliis Festis Sacrum cantatum habeatur.

III. Omnes qui Sacerdotes non sunt, quotidié rei Divinæ intersint: Sacerdotes verò Sacrum facere non omittant, nisi justa causa excuset, quo in casu saltem adesse Sacrificio connitantur.

IV. In omnibus Ecclesiis nostris Augustissimum altaris Sacramentum in Tabernaculo decentissimo, quod in medio principis aræ situm esse debet, sub clavi asservetur, ac obseratum habeatur.

V. Ante religiosissimam hance Divinorum Mysteriorum sedem, lampas nunquam, & nusquam non ardeat noctu ac interdiu.

VI. Singulis hebdomadibus, idque Quinta earum Feria, in Sacro matutino idem Venerabile Sacramentum innovetur.

VII. Dum cultui publico exponitur, ea reverentia, quam poscunt præscripta Ritualium, exponatur, deturque opera, ut in tenuioribus Ecclesiis sex saltem cærei tunc ardeant, ac res Sacra continuo, attenta copia Sacerdotum coram exposito fiat.

VIII. Dum ad infirmos defertur, a Sacerdote mandia cum stola induto, deferatur, pertineatque ad Superiores tum videre, ne desint assectatores, qui hæc Sacrosancta Mysteria cum lumine devotè deducant.

IX. Quot diebus a prandio, juxta receptam consvetudinem omnes simul Venerabile Christi corpus visitent, cultumque ei, ac honorem debitum pro sua pietate impendant.

X. Omnes in transitu ante Aram majorem, si Sanctissimum publice expositum est, utroque genu in terris posito, illud adorent: unico verò, si reconditum.

CAPUT QUINTUM.

De iis, quæ exteriorem Monasticam disciplinam concernunt.

ORDO DIURNUS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Apostolus nobis Regulam præscribit, cum dicit: *omnia honeste & secundum ordinem fiant:* (a) Quamobrem oportet, tum pro tempore

P pore

(a) 1. Corin: 14. V. 40.

pore, tum pro loco, honestatis, ac recti ordinis curam habere. *Reg: Brev:* 238.

CONSTITUTIONES.

I. A dato excitationis à somno signo ad signum nocturnæ quietis, sexdecim horas interesse volumus. Hinc signum, quo dormientes expergefiunt, exeunte a media nocte hora quarta: Quo verò ad eundum cubitum vocantur, decursis a meridie octo choris, dandum sancimus.

II. Pro diversa tamen conditione locorum, & consvetudine, fas Superioribus esto, quemadmodum paulo tardius, aut habita Ecclesiasticarum vigiliarum ratione, longe citius ad expergiscendum campanulam pulsari jubere: ita etiam nocturni silentii signum illis mensibus, quibus dies productiores sunt, in horam nonam vespertinam protrahere.

III. Tempus Ecclesiasticarum precum servetur veteri præfinitum consvetudine, ita ut Mezonyctium cum matutino, hora quinta exeunte, hoc est statim ac orationi mentali finis imponitur, incipiat. Horæ dicantur circa decimam ante prandium: vesperæ autem cum completorio circa horam tertiam vel quartam pomeridianam, nisi temporis hujus rationem aliter interdum legitimæ oblatæ causæ suaserint immutandam.

IV. Volumus tamen, ut initium mezonyctii cum matutino nunquam ultra horam sextam matutinam protrahatur. Hinc signum excitationis de somno, sicubi hæc tardius fieri consvevit, vel quapiam poscente ratione, aliquando facienda est, nunquam longius producatur, quam ad Quintæ horæ matutinæ initium.

V. Tempus sumendi prandii, censeatur ubique hora antemeridianâ undecima. Cænæ verò, hora sextâ vespertina juxta diu receptam Congregationis nostræ consvetudinem. Quod tamen accipi volumus exceptis diebus Quadragesimæ, & Festis Solemnibus.

CLAUSURA.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Aditus ad Monasteria obstruatur mulieribus: imo non quivis Viri ingrediantur, sed quibus Præfectus ingressum permiserit: *Instit: Monach: Cap:* 4.

CONSTITUTIONES.

I. Intra Clausuram Monasterii nulla, quantumvis nobilissima fæmina admittatur, nisi Apostolico donata sit Privilegio, dummodo tamen, ut vult

Decretalis

Decretalis Benedicti XIV. edita 1742. *Regularis disciplinæ*, . hujusmodi Privilegium, sive Apostolica concessio expedita sit in forma Brevis, vel sub Plumbo, de qua documenta authentica exhibita sint Loci Ordinariis, Privilegiata verò fæmina iis facultatibus uti velit non ad evagandum per Monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de earum adventu & ingressu certiores antea fiant Superiores. Quod pariter intelligendum dicimus de Fundatricibus.

II. Imo nec promiscuè, quibuscunque Viris ad clausuram nostram pateat accessus, nisi quos Superior ipse, ut vult Regulæ nostræ præscriptum, intromitti posse judicaverit.

III. Nomine autem clausuræ intelligi volumus ædes ipsius Monasterii, cum interioribus cellis, ambitu, seu curitorio, cænaculo, valetudinario, omnibusque iis officinis, ad quas non nisi per januam Monasterii patet aditus.

VICTUS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

In cibis quemadmodum alii aliis sunt necessarii, suntque & pro ætate, & pro vitæ instituto, & pro corporis habitudine convenienter distincti: ita quoque illis utendi modus & ratio diversa sunt. Quo fit, ut regula una omnes pietatis exercitatores comprehendi non possint. Jis autem, qui rebus administrandis fuerint Præfecti, permittimus, ut habita ratione eorum, quæ cuique accidunt, mensuram pro ascetis sanis a nobis statutam prudenter immutent. Neque enim omnia sigillatim oratio complecti potest: sed ea solum, quæ a communi, & generali doctrina dependent. Præfecti enim danda ægrotis per cibos solatia, aut levamentum ejus, qui cæteroquin defatigatus fuerit propter operum assiduitatem, aut etiam levamen illius, qui E. g. ad itineris, aut arduæ cujusvis alterius rei laborem accingitur, pro necessitatis ratione semper præscribent, sequenturque eum, qui dixit: - *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* (b) Neque igitur idem sumendi cibi tempus, neque modus, neque mensura omnibus sanciri potest: sed sit id scopus communis, ut fiat satis necessitati... Neque etiam esûs jucunditas, finis loco habenda est; sed usus ad vitam necessarius, vitata voluptatis intemperantia, atque protervitate. Etenim servire voluptatibus nihil aliud est, quam ventrem deum suum efficere.

Omnia, quæ manifesto nocent, rejicienda sunt. Neque enim par est, escas corporis conservandi causa assumere, ac rursus per ipsas escas inferre bellum corpori, eique ad mandatum conficiendum impedimento esse. Atque hoc idem nobis exemplo est, ut ad ea, quæ nocent fugienda, licet grata sint, & jucunda

(b) Act. 4. V. 45.

& jucunda, animum nostrum asuefaciamus. Quod igitur facilius paratur, prorsus est anteponendum, ut ne continentiæ prætextu cariora, ac sumptuosiora anxie inquiramus, & magno partis condimentis edulio apparemus: sed quod in unaquaque regione, nullo negotio haberi potest, & vile est, & quo vulgus facile utitur, deligamus, ita, ut ex quæsitis alimentis utamur iis solis, quæ ad vitam sunt maxime necessaria. *Reg: Fus:* 19.

Etsi temperantia iis, qui proprietate certant, prorsus ad corpus macerandum necessaria sit. - *Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,* (c) tamen, ne una cum Dei inimicis corruamus, qui suam ipsorum conscientiam habent cauterio inustam, ob idque abstinent a cibis, quos Deus creavit, ut à fidelibus cum gratiarum actione sumantur omnia, si quando occasio se dederit, degustanda nobis sunt, ut videntibus compertum sit, & exploratum, cuncta mundis munda esse, omnemque Dei creaturam esse bonam, nec quidquam, quod cum gratiarum actione assumatur, rejiciendum esse. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Reg: Fus:* 18. (d)

Cura quidem, & mensæ quædam decentia necessaria est in omnibus, sed ita tamen, ut extra præscriptos nobis necessitatis terminos, nunquam egrediamur. *Reg: Fus:* 20.

Necesse est omnes ad horam prandii convenire, & qui aufuerit, veneritque post prandium, sic cum eo procedendum: si abfuerit quidem ob loci, aut operis necessitatem, tanquam qui servet præceptum illius qui dixit: *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat:* (e) Examine præmissio, ignoscet communis disciplinæ Inspector: sin cum simul potuisset accurrere, non festinavit, culpa hujusce negligentiæ cognita, usque ad constitutam horam sequentis diei maneat jejunus: *Reg: Brev:* 136.

Accubationis ordinem permittere debemus excipientis arbitrio, quemadmodum & Dominus submonuit cum dixit, pertinere ad Patrem familias harumce rerum dispositionem; altercari enim majus est superbiæ indicium, quam primam sedem inter accubandum tenere, cum jussi eam acceperimus. *Reg: Fus:* 21.

Sinistra tua in mensa non inordinate se gerat, neque adversus dextram sibi arroget authoritatem, imo potius iners sit, & otiosa: sin minus, dexteræ subserviat. *Instit: Monach:* C. 2.

Voluptate majore, quam qua edimus, & bibimus, audienda sunt, quæ nobis cibum sumentibus leguntur, ut mens videatur non distrahi ad corporis voluptates, sed potius delectari magis verbis Domini, quemadmodum affectus erat, qui

(c) 1. Corin: 9. V. 25. (d) 1. Tim: 4. V. 5. (e) 1. Corin: 7. V. 24.

qui dixit: *Et dulciora super mel & favum*. (f) *Reg. Brev.* 180.

Preces ante cibum fiant, quæ donis Dei dignæ ſint, tum, quæ nunc largitur, tum quæ in futurum recondidit: Preces etiam poſt cibum, quæ ad gratiarum actionem pro acceptis bonis, & promiſſorum petitionem habeant. *Epiſtola Ascetica* 1. *ad Gregorium*. *Videsis Reg. Brev.* 71. 72. 126. 132. 140. 196.

CONSTITUTIONES.

I. In iis, quæ ad rationem victus noſtri spectant, vetus Provinciarum consvetudo teneatur; ita, ut Monachis prandentibus non pauciora, quam quatuor, tria vero cænantibus obsonia apponantur.

II. Non ideo tamen interdictum volumus Superioribus, illa poteſtate, quam illis facit Regula S. Patris, præscribendi liberaliorem victus mensuram, ubi id prudentia, neceſſitas, charitas, aliarumque circumſtantiarum, poscit ratio.

III. Quamvis, secundum Regulæ noſtræ præscriptum, ſimplicitatis, & paupertatis habenda ſit in cibis apponendis ratio, curandum eſt tamen semper, ut decenter, diligenter, & cum charitate ſint curati: nec apponantur, niſi valetudini accomodati. Hinc rancidi, putidi, & qui manifeſto nocent, quamvis grati ſint, & jucundi, a mensa Monaſtica noſtra, ut vult S. Pater, omnino arceantur.

IV. Omnes in communi refectorio cibos sumant, nec ulli liceat a prima abeſſe mensa, niſi de speciali Superioris facultate.

V. Inter accubandum primam sedem teneant Monaſterii Officiales, reliqui servent ordinem vocationis: ita tamen ut qui Sacerdotes sunt, præcedant semper eos, qui Sacerdotes non sunt.

VI. Superiores quoque semper communi mensæ accumbant, quoties juſta impedimenta non occurrerint, atque eosdem cum ipsis Monachis cibos capiant, non peculiares & exquiſitos, niſi hospitum exceptio, vel alia rationabilis causa aliud poſtulaverit.

VII. Lectio spiritualis ad mensam habeatur, quid autem, legendum sit, Superior, aut consvetudo decernat.

VIII. In iis, quæ ad mensam legenda erunt suum omnino habeant locum Regulæ, & conſtitutiones quas quolibet semeſtri, legi volumus.

VESTITUS.

Textus Regulæ S. Patris Baſilii Magni.

Superius demonſtratum eſt, & humilitatem & ſimplicitatem & in omnibus vilitatem, & sumptus tenuitatem, neceſſarias eſſe, ut ſint nobis causa pau-

Q cæ

(f) Psal. 18. v. 11.

cæ, quibus ob corporeas necessitates distrahamur. Jtaque eo animo hæc etiam ratio circa vestitum observanda est: Etenim, si danda nobis est opera, ut omnium simus postremi, utique quod etiam in hoc genere infimum fuerit, summopere est præferendum. *Reg. Fus.* 22.

Quisnam sit amictus honestus ab Apostolo traditus? ℞. usus ad proprium scopum honeste, ac decenter accomodatus, habita ratione temporis, loci, personæ, atque necessitatis. Non enim eadem integumenta ratio comprobat tempore hyemis, ac æstatis, neque idem est habitus operarii, ac quiescentis, famuli, & ejus cui famulatur militis, & privati, aut viri, & fæminæ. *Reg. Brev.* 210.

Tunica cingulo ad corpus adstricta sit: cinctus neque ilia exsuperet, id enim muliebre: neque laxus ita, ut tunica diffluat: id enim molle... Unus vestimenti scopus, ut idoneum sit carnis ad hyemem, & æstatem operimentum. Neque enim in colore floridum exquiratur, neque in opere tenue ac molle: etenim in veste pigmentorum lautitias consectari non absimile est venustati studio, quo mulieres ducuntur, dum genas & crines alieno flore inficiunt. Sed & eousque crassa tunica sit, ut socia opus non habeat ad eum, qui induitur calefaciendum. Calcearium autem pretio quidem vili, sed cui nihil desit ad usum explendum: & ut simul omnia uno verbo complectar, in veste necessarium præcipue sectandum. *Epist: Ascet: ad Greg:* 1. *nro:* 6.

Quo animo vestimentum, aut calceamentum, qualecunque tandem fuerit, accipere oportet? ℞. Si minus, aut majus, quam pro statura est, indicet necessitatem suam cum debita modestia: sin autem diffidium fuerit de vilitate, vel propterea, quod non novum sit, recordetur Domini dicentis: *Dignus est* non simpliciter quivis, sed *operarius* cibo suo. Percontetur autem se ipse, an pro dignitate mandatorum Domini, aut promissionum effecerit quidquam, & tunc non requiret aliud, sed de eo, quod datum fuit, solicitus erit, velut qui ultra meritum acceperit. *Reg. Brev.* 168

CONSTITUTIONES.

I. Vestimentorum nostrorum, nominatim sotannæ, palendranæ, mandiæ, cingulorum, cucullorum, color sit omnino niger, materia vero lanea. Quare nulli fas esto, uti sericeis, nec etiam laneis pretio, splendore, textura, aliisque qualitatibus, studium vanitatis, aut luxus indicantibus, sed quæ cum humilitate, & modestia congruant, cujus, secundum Regulam Sancti Patris ratio, spectatis circumstantiis, loci, temporis, personæ, atque necessitatis duci debet.

II.

II. Tunica, quæ Habitus, seu Sotanna dicitur, talaris ſit, tribus globulis da collare colligandum inſtructa, fibulis cingulum versus connexa, ac a cingulo usque ad fimbriam clausa. Manicæ ejus ſtrictiores, & ad flexionem cubiti accomodatæ sunto. Extremæ earum patres tegantut, sed integumenta longitudine sua quartam partem ulnæ non excedunto; in latum vero non ultra clausuram fibularum protendutor, sed una cum ipsa, terminantor. Carpum autem manus ita arcte ambiant, ut nec interula, nec ejus circa manum colligacula hominibus conspicienda se præbeant.

III. Palendranæ pro more ſint latæ, & æque ac sotannæ ad talos demiſſæ. Jn ipsarum manicis idem observetur, quod dictum eſt de manicis sotannarum, præterquam quod, extremitatum ambitus laxior, non adſtrictus manui eſſe debeat.

IV. Mandiæ usque ad terram protensæ sunto, habeanturque communes in quovis monaſterio saltem aliquot, pro cujusque modo, & facultate.

V. Pileis utantur omnes laneis, nec unquam Domi, & foris adhibeant more, & modo sæculari factos.

VI. Cinguli latitudine sua spatium quatuor digitorum non exsuperanto. Sunto autêm lanei, non sericei. Redimicula tamen galerorum, & vittæ tam, quæ ad pendulas de collo geſtandas in itinere cruces adhibentur, quam quæ baculis accomodantur, sericeæ eſſe poſſunt, dummodo versicolores non ſint, sed nigræ, & nihil, auri, vel argenti texti habeant.

VII. Pro tempore hyberno permittimus Palendranas adſtrictiores, pellibus ad arcendum frigus subsutas, dummodo pelles exterius non promineant. Nec pallia, quibus iter facientes, commodo suo uti solent, improbamus, dummodo Religiosam modeſtiam non dedeceant, & coloris subobscuri ſint.

VIII. Lectulorum apparatus ad modeſtiam, eamque congruam paupertati Religiosæ decentiam appoſitus ſit, nec quid sericeum in eo appareat.

OPERA MANUALIA

Textus Regulæ S. Patris Baſilii Magni.

Diligenter (manibus) laborandum eſſe, re ipsa liquet. Neque enim pietatis scopum, ceu segnitiei prætextum, & laboris fugam ducere oportet, sed ceu certaminis majorisque laboris, ac noſtræ in afflictionibus tolerantiæ materiam, & occasionem, ut & nobis dicere liceat: *Jn labore & ærumna in vigiliis abundantius, in fame & ſiti &c.* (g) Quippe non ob corporis caſtigationem modo, sed etiam propter charitatem erga proximum utilis nobis eſt hujusmodi vitæ ratio. *Reg. Fus.* 37.

Speciatim

(g) 2. Corin: 11. v: 27.

Speciatim artes aliquas decernere facile non eſt, quod aliæ apud alios requirantur juxta locorum naturam, & negotiationum, quæ in ſingulis regionibus fiunt, commoditatem. Jn univerſum tamen, ita harum delectus deſignari poteſt, ut eæ exerceantur, quæcunque vitæ noſtræ ſervant quietem, atque tranquilitatem, & quæ neque indigent negotio multo, ad ſuam ipſarum materiam parandam, neque multa ſolicitudine ad ea, quæ facta ſunt divendenda, quæque neque virorum, neque mulierum, indecoros congreſſus nobis conciliant, aut noxios ... Architectura vero, ars lignaria, æraria, textoria, & agricultura, ipsæ quidem per ſe neceſſariæ ſunt, vitæ, multum afferunt utilitatis, nec ſpeciali ratione a nobis rejiciendæ ſunt, ſed tamen quandocunque aut nobis creant tumultum, aut conjunctionem vitæ fratrum diſtrahunt, illas tunc neceſſe eſt vitare ... Quare, ſi quando in eis nihil inſit, quod præcipuo vitæ noſtræ inſtituto noceat, hæ plurimis aliis anteponendæ ſunt, & maxime agricultura, cum per ſe comparet neceſſaria, liberetque a longiore vagatione, agricolas, impediatque, quominus diſcurrant huc & illuc, ſi modo, ut diximus, neque a vicinis, neque a contubernalibus tumultus nobis, & turbas excitet. *Reg. Fus. 38.*

Atque etiam oportet Aſcetam viliora opera ingenti alacritate ac ſtudio ſuscipere, ſcientem nihil omnino parvum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed magnum, & ſpirituale, & Cælo dignum, & ejusmodi, quod mercedem illinc acceſſuram nobis conciliet. Et ſi igitur oneraria jumenta, quæ communibus commodis inſerviunt, ſequi oportet, reluctandum non eſt, cum meminiſſe Apoſtolorum debeat, quam alacriter Domino pullum adducere jubenti obedierint, cogitareque eos etiam, quorum cauſa nos jumentorum curam ſuscipimus, Fratres ſervatores eſſe, benevolentiamque & ſtudium in ipſos collatum referri ad Dominum, qui dixit: *Quatenus feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* (h) Quodſi ea, quæ fiunt pro minimis, attribuit ſibimet ipſi, longe magis, quæ fiunt pro electis, ea ſibi vindibabit, modo ne ſuum miniſterium, teporis, ac deſidiæ cauſam putet, ſed communiat ſe ipſum in vigilantia omni, ut & ipſe, & qui ſecum ſunt, percipiant utilitatem. Si igitur facienda ſunt viliora quædam opera, ſcire convenit, ſervatorem quoque ipſum Diſcipulis ſervivifse, abjectaque opera agere, dedignatum non fuiſse, & magnum eſse homini, ſi Dei fiat imitator, atque per humilia hæc, in hujus imitationis altitudinem aſcendat. Quis autem jam quidquam eorum, quæ Deus fecit, humile & abjectum apellarit? *Conſt. monaſt. cap. 23.*

Et quidem quantum ſit otii malum, quid attinet memorare, cum Apoſtolus

(h) Math: 25. v. 40.

stolus aperte præcipiat : - *Ut qui non laborat, neque etiam manducet :* (i) Quemadmodum igitur necessarium est unicuique quotidianum alimentum, ita quoque labor pro viribus necessarius est. *Reg: Fus:* 37. *Nro:* 2.

Artifices vero ab aliquo accipere opus, citra sententiam illius, cui demandata est harumce rerum cura, nequaquam audeant, enimvero judicio furis obnoxius est uterque, tum qui dat, tum qui accipit. *Reg: Brev:* 142.

Operarii commissa sibi instrumenta debent accurare, primum tanquam dicata Deo, & consecrata, deinde tanquam qui sine ipsis studium impigrum, quod debetur, ostendere non queant. *Reg: Brev:* 143.

Quodsi urgente necessitate, Præpositus ipse ab operario petierit instrumentum, ille verò nega verit? ℟. Qui semetipsum suaque membra in Christi charitate tradidit usui aliorum, qua ratione de supellectili poterit cum Præposito litigare, ad quem etiam pertinet supellectilis cura? *Reg: Brev:* 146. *Vide Reg: Brev:* 6. 144. & 145.

CONSTITUTIONES.

I. Cum otium teste S. Patre, exitiosum sit, Monachi nostri studeant semper esse aliquo bono opere occupati.

II. Præcipue dent operam, ut in opere manuum, quod Sanctus Pater summopere commendat & præscribit, se exerceant, ejusquemodi labores spiritu veræ humilitatis, & mortificationis exerceant, rati illos adeo statui Monastico nostro esse proprios, ut tametsi piorum fidelium liberalitate ita prospectum nobis esset, ut unde sustentaremur, & egentibus pro modulo nostro ad præscriptum Regulæ largiremur, haberemus, tamen ob corporis castigationem ut loquitur S. Pater Noster, sive ob pœnitentiam, cujus statum profitemur, ab exercitio laborum immunes, aut dispensati esse censeri nequeamus.

III. Hinc qui studiis litterarum, Sacramentorum administrationi, fidelibus Christiana doctrina erudiendis, aliisque vitæ activæ operibus vacant, & si ita perficiendo vicem laborum manualium in Congregatione nostra explere dignoscantur; non ideo tamen artem, si quam norunt, abjiciant, sed in ea succisivo saltem tempore, ponere industriam suam adnitantur. Qui vero post Novitiatum ad Theologiam Moralem addiscendam mittentur, circa ejusdem studium, omnino aliquam utilem artem perdiscere debent, ut eandem etiam finito studio, sacris quoque initiati exerceant, si obsequiis Parochialibus aut aliis ad animarum curam vel illustrationem necessariis distenti non fuerint, quæ exercitium artium supplere possunt, idque ut valeant tempus cum merito tran-

(i) 2. Thess: 3. V. 10.

ſigere, tædium solitudinis levare, seque ex præſcripto Jnſtituti noſtri utiliter exercere.

IV. Qui Sacris initiati sunt, caveant medicinam facere, eſto ejus tractandæ facultatem in sæculo adepti eſſent.

V. Nemini etiam liceat earum artium opera exercere, quæ vel inutiles sunt, vel alia quapiam ratione legibus S. Patris expreſse improbantur: Cujuſmodi cenſendæ non sunt artes: eg. pingendi, sculpendi, catenulas, & flagella in uſum mortificationum conficiendi, libros compingendi, hortos excolendi, panes ad uſum Sacrificii coquendi, apum curandarum æconomiam tractandi, ideas ædificiorum delineandi, & id genus cætera.

RECREATIO.

Textus Regulæ S. Patris Baſilii Magni.

Conſiderandum eſt ut ne corporis viribus per immodicam abſtinentiam reſolutis, ipſum ad bona opera iners, & invalidum reddamus: Neque enim Deus, cum hominem conderet, eum inertem, & otioſum eſſe voluit, sed ad officia sua actuoſum promptumque. Convenit igitur nihil innovare, præter naturam, terminoſque, quos qui naturæ commodis conſulit, præſcribit, sed in his immorari, corpuſque ad agendum paratum, nuſquam vero per immoderationem reſolutum habere; hæc eſt enim, meo quidem judicio optima agendi ratio, ſtatutos limites servare. *Conſt: Monaſt: Cap: 4. Nro: 1.*

Præclare faciet, qui Domini illius Diſcipulorum, ac Apoſtolorum vitam tam per animi virtutes, quam per corporis exercitia imitando, corpus ſtrenuum & optimorum operum miniſtrum præſtabit. Animi enim eſt bona seligere, quæ poſt hac perficiuntur, corporis opera: corporis verò exequi, quæ animus selegit. Quodſi corpus invalidum eſt ad agendum, imperfectum remanet virtutis opus, cum occultetur in animi sententia, veluti germen quoddam, quod in terræ ſinibus emarceſcit, nec ad uſum eorum, propter quos productum eſt, pervenit. *Ibidem Nro: 6.*

Planum eſt, & exploratum ex naturæ legibus, ex Divinarum Scripturarum doctrina, ex omnium Sanctorum factis, ex vivendi ratione ipſius Servatoris noſtri, ex Regula vitæ Virorum pie degentium, melius eſſe, atque præſtabilius, ſi corpus firmum ſit, ac robuſtum, quam ſi exolutum ſit ac enervatum. Jtemque, ſi reddatur ad bonas actiones ſtrenuum, quam ſi voluntaria afflictatione iners fiat, ac deſes. *Ibidem Nro: 7.*

Quodſi opus aliquando fuerit oblectamento verborum, ut triſtitia paululum

remittatur

remittatur, *sit sermo vester refertus spirituali lepore, & Evangelico sale conditus, ut gratum interni cujusdam, ac sapientis consilii afferat odorem, dupliciterque auditorem exhilaret, & animi relaxatione, & prudentiæ gratia. *Constit: Monast: C. 12.*

Operæ pretium est autem abstinere a facetiis omnibus; contigit enim plerumque, ut qui talibus occupantur, a recta ratione aberrent, animo effundente se ad risum movendum, & prudentiæ cogitationem, ac vim destruente. *Ibidem.*

Risu quidem leni & hilari effusionem animi detegere indecorum non est, quantum scilicet necesse fuerit ut solum indicetur, quod scriptum est: *Cordis læti facies floret:* (k) sed cachinnis vocem sustollere, & corpore præter voluntatem concuti, non ejus est, qui mente quieta sit, aut probus, aut sui ipsius compos. *Reg. Fus. 17.*

CONSTITUTIONES.

I. Cum S. Pater Noster corpus actuosum, promptumque ad officia sua servari jubeat, & Sanctorum exempla probent, ad vitæ communis labores alacri animo ferendos, plurimum conferre animi remissionem, idcirco statuimus, ut liceat Monachis nostris singulis diebus a prandio, & a cæna, quando ministratur, integram horam, honestæ & cum corporis exercitatione conjunctæ, tribuere recreationi.

II. Fas etiam sit Monachis nostris, præsertim litterarum studiosis in singulas hebdomadas semel atque iterum pro ratione loci & temporis deambulatum, etiam in campos ire cum Superioris facultate, cujus tunc intererit, ætate, & moribus præstantem Patrem designare, qui ejusmodi deambulationi præsit, videatque, ne quid Religiosa modestia ac gravitas detrimenti capiat.

III. Integrum quoque sit Superioribus locorum animi remissionem, præsertim verno tempore in prædio, vel suburbana villa, si prope adsit, Monachis suis indulgere, ibidemque honesta corporis exercitia, quæ Monasticam gravitatem non dedeceant, per integrum diem exigenda permittere. Quod tamen sine præjudicio Ecclesiastici in Monasterio chori accipi volumus.

RATIO IN COLLOCUTIONIBUS SERVANDA.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Sermo inutilis, & inepta mentis avocatio ex mutuo colloquio orta, sint interdicta. Sed si quid animarum ædificationi conducit, de eo duntaxat instituendus est sermo: imo vero ea ipsa, quæ utilia fuerint, modeste, & tempore congruenti, ab iis, quibus sit loquendi facultas, dicenda sunt. Quodsi quispiam

(k) Prov: 15. v. 13.

piam ex inferiorum numero ſit, licentiam hanc, & facultatem a Superiore expectet. Murmurationes autem, & colloquutiones in aurem, & quæ per nutus fiunt ſignificationes, hæc omnia rejiciantur, cum murmuratio præseferat obtrectationis suspicionem, ſignificatio vero, quæ per nutum datur, rem aliquam latentem, & malignam Fratri indicet. Quæ autem sunt ejusmodi, odii initium sunt, atque suspicionis. Cum autem neceſſarium fuerit mutuum colloquium, vocis modum formet neceſſitas, ita, ut eum, qui propinquus eſt, remiſſiore voce compellemus, eum vero, qui procul diſsidet, contentius alloquamur. Sed ſi quis, dum cuipiam conſilium dat, aut eum exhortatur ad rem aliquam, altiorem minacioremque, adhibet vocem, is, ut contumeliosus in conventu non ſit. *Inſt. Monach. Cap: 5. Nro. 2.*

Interrogatus reſponde decenti, ac humili voce; ſi non interrogaris, tace. Dum alius interrogatur, cohibe os tuum, ne lingua tua excurrens, & a proaci corde impulsa quempiam vitam Asceticam accurate excolentem offendat, teque in criminum vincula conjiciat ... Sermo ad consolandum, & ad exhortandum aptus præeat reliquis tuis verbis, qui tuam in proximum charitatem confirmet. Ponatur, & medius, qui diſſimilis non ſit, nec ſit dispar quoque, qui in fine colloquii habetur, idque cum hilari vultu, ut ei, qui tecum colloquitur lætitiam impertiat. *Ibidem Cap: 2. Nro 8.*

Omne juramentum exterminetur e Monachorum cætu: habetur vero pro juramento nutus capitis, aut aſſensus per vocem datus, ſive quis loquatur, ſive audiat. Si quis autem fidem non habuerit nudæ affirmationi, is suam ipsius conscientiam arguit, proditque tanquam qui non dixerit verum inter loquendum, ob idque in delinquentium numerum referetur a Præpoſito, & pœna medicinali caſtigabitur. *Ibidem. Cap: 4. Nro 5.*

Atque illud quidem imprimis ſtudio eſſe debet, sermone non inscite uti, sed interrogare ſine litigandi ſtudio, respondere ſine ambitione, non interpellare diſſerentem, ſi quid dicat utile, neque cupidum eſſe proprii sermonis, oſtentationis causa interserendi; modum tenere loquendi, & audiendi: discere etiam ſine verecundia, docere liberaliter, nec occultare, ſi quid ab alio didiceris, velut improbæ mulieres facere solent, quæ ſpurios partus subjiciunt, sed grato animo parentem doctrinæ, prædicare. Vocis vero sonus mediocris præferendus eſt, ut nec exilior auditum præterfugiat, nec nimia contentione importunus ſit. Expendendum tecum prius, quid dicturus ſis, atque ita demum edendum & vulgandum. *Epiſt: Select. 1. Nro. 5.*

Omnem blasphemiam longe fac a te, nec superflui sermones procedant de ore tuo, quia & pro otioſis verbis in die judicii reddituri sumus rationem.

Nec

Nec ad maledicendum quempiam asuescas linguam tuam, quæ ad benedicendum, & ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus, in conventu noli proferre sermonem, sed oportuna verba procedant a te, cum oportunum tempus inveneris, ut te audientibus cunctis, gratiam præbeant. Ab omni vaniloquio tempera linguam tuam, ne quando, qui audiunt, horrescentes obturent aures suas, & sit tibi confusio coram omnibus. De quibus molestiam non pateris, noli contendere acriter, nec te consuescas consuetudine pessima, quia mos, qui longo usu fuerit confirmatus, non parvo labore vitatur. *Admonit: ad Fil: Spirit: Parag:* 10.

CONSTITUTIONES.

I. Nemo in Monasterio loquatur cum externis, nisi ex facultate generali, aut peculiari Superioris.

II. Omnes sedata, & submissa voce, ut Monachos decet, loquantur, serventque in colloquutionibus, eam gravitatem, & modestiam, quam Regula S. Patris poscit ab omnibus.

MUTUA OBSERVANTIA.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Ut æqualis similisque charitas quibusvis ab omnibus est exhibenda: ita honor, uti addecet, unicuique est tribuendus. *Instit: Monach: C.* 5.

Coram natu majore sedere, ne temere audeas. Quodsi id facere jubearis, eandem, atque ille sedem neque occupes, sed huc, atque illuc circumspiciens, sellam inferiorem invenire coneris, ut te Deus ob humilitatem gloria afficiat... Cum autem sedes, non superpones alteri cruri alterum crus tuum, siquidem istuc facere, animi parum attenti, atque aliud agentis indicium est. Si sermonem habes cum aliquo, qui te sit inferior, aut etiam ab eo aliquid interrogaris, segniter, negligenterque non respondebis, quasi Fratrem ad Dei contumeliam contemnas: Ait enim Scriptura: *Qui ignominia afficit pauperem, irritat eum, qui fecit ipsum.* *Ibidem Cap:* 2. *Nro:* 8.

CONSTITUTIONES.

I. Omnes sibi vicissim honorem habeant: dum se nominatim compellant, Nomina propria religiosa adhibeant, Superioribus vero, Officialibus, aliisque munere aliquo conspicuis, ex gradu ipsorum muneris appellationem tribuant.

II. Proto-Archimandritæ Capiti Congregationis nostræ Supremo, & Archimandritis titulum, *Reverendissimorum Patrum*: Provincialibus *Religiosissimorum ac admodum Reverendorum*: Consultoribus, & Secretariis: *Venerabilium ac*

 Admodum

Admodum Reverendorum : Superioribus, Magistris Novitiorum, Professoribus Theologiæ, & Patribus Benemeritis *Admodum Reverendorum* : Cæteris verò Monachis, *Religiosorum & Reverendorum* omnes dent.

III. Quemadmodum vero volumus, ut Exofficiales Congregationis & Provinciarum iisdem semper potiantur Titulis, quos semel perstantes in Officiis suis obtinebant; ita sancimus, ut Ex Superiores quoque in possessione Veteris Tituli semper maneant, dummodo Superioratu, interposita judicii sententia, moti non fuerint.

Egressus, & Missio extra Monasterium.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Peregrinandi detur facultas ei, qui citra animæ suæ detrimentum, & cum utilitate eorum, quibuscum graditur, iter perficere possit. Nam si nemo idoneus affuerit, præstat, in rerum necessariarum penuria afflictionem omnem, atque angustiam vel ad mortem usque perpeti, quàm corporalis levamenti causa, certissimum animæ detrimentum negligere: *Bonum est enim mihi*, inquit Apostolus, *magis mori, quam, ut gloriam meam quis evacuet*. (i) Et hoc in iis, quæ liberum est omittere: Quanto igitur magis in his, quæ præcepta sunt? Quamquam etiam huic in commodo medetur lex charitatis. Si enim contigerit, ut in uno Fratrum Conventu desit, qui commodè mitti possit, ii qui propinqui sunt, supplebunt, quod deerit: iter facientes simul, nec unquam a se invicem disjungentur, ut tam, qui infirmi sunt anima, quam qui corpore etiam debiles sunt, ii sint cum fortioribus conjuncti, incolumes serventur. Atque hoc longè antea a Præposito constitutum sit, ne postea in ipso necessitatis articulo remedium ullum, quod per temporis angustias adhibere liceat, nanciscatur. Cæterum Præfectus, post reditum, viatorem percontetur, quid egerit, in quorum hominum venerit congressum, quos cum eis sermones habuerit, quid versaverit animo, num diem totam, totamque noctem exegerit in timore Dei, an prævaricatus sit, & aliquid violaverit eorum, quæ statuta sunt, aut externis incommodis victus, aut sua ipsius segnitie dilapsus. Et quod quidem rectè gestum est, laudando confirmet: in quo vero deliquit, id corrigat diligenti ac perita adhortatione: ita enim & qui peregre proficiscentur, vigilantiores erunt, si itineris rationem reddere cogantur, & nos, ne in separationis quidem tempore vitam ipsorum negligere videbimur. *Reg: Fus:* 44.

Si necessitate quapiam urgente contigerit te è cella egredi, tunc Dei timore; ceu thorace circummunitus inserta in manum charitate Christi, oppugnatisque per omnem continentiam incursibus voluptatum, simul ut negotium absolveris

(i) Corin: 9. V. 15.

ſolveris, ſtatim revertere non immorans, ſed ad reditum velocibus alis uſus, & tanquam innocens quædam columba ad Arcam, unde emiſſus fuiſti, confugiens, ferens in ore miſericordiam Chriſti, ſicque internis cogitationibus perſuade, te requiem ſalutarem in nullo alio loco invenire poſſe. *Inſtit: Monach: Cap: 2. Nro: 5.*

Quodſi Aſceta dicat, detrimenti ſe aliquid pati, cum egreditur, aut peregrinatur ob neceſſaria Communitatis negotia, ob idqne exire recuſet, nondum novit obedientiæ integritatem, neque intellexit, hanc virtutem nequaquam comparari ejuſmodi inertia, atque pigritia. Reſpiciat igitur ad exempla Sanctorum, quomodo morem geſſerint, ne minimum quidem in quibuſvis mandatis, vel difficillimis contradicentes, aut reluctantes, & ita demum diſcat obedientiæ perfectionem. Si autem ſit aliquis, qui etiam revera damnum inde recipiat, is roget Fratres, ut pro ipſo Deum rogent, ſimiliterque & ipſe cum certiſſima ſpe a Deo petat, ut in omnibus ſpiritualibus rectefactis, & in corporis miniſteriis ad bona opera adtinentibus inſtrumentum fiat efficax & utile. *Conſtit: Monaſt: Cap. 26.*

CONSTITUTIONES.

I. Monachis noſtris nec frequenter, nec citra neceſſitatem, prout ſtatuit Regula S. Patris Noſtri longius extra Monaſteria exeundi facultas detur.

II. Cum qui ſibi aliquo eundi fieri a Superiore poteſtatem petit, ſimul eidem aperiat, quo, & qua de cauſa velit ire, neque unquam eat ſolus, ſed cum Socio, quantum fieri poteſt, quem deſignare ſolius Superioris jus eſto: non inconſulto tamen Profeſſore, ſi Scholaſtici ſunt, qui egredi volunt, aut a propinquis interdum ad hoſpitium invitantur. Quod etiam ſervetur, ſi ad portam Monaſterii, aut hoſpitibus excipiendis deſtinatum cubiculum exeundi opus fuerit; & ſi juniores fuerint Religioſi, Socii graves moribuſque honeſtis conſpicui, iiſdem aſſociandi deſignentur.

II. Parochi, Procuratores, Cellarii, aliique ſimilibus implicati miniſteriis, hac ſocii aſſumendi lege ſolvi poſſunt, quoties Superiori ſic rationem poſtulare viſum fuerit.

IV. Monaſterio egreſſuri ſua nomina in tabula prope januam deſcripta notent, egreſſi autem moras non trahant, ſed confecto negotio, recta domum quam primum remigrent.

V. Nemini egredi liceat, niſi per januam communem. Quodſi aliquis clam ſine Superioris benedictione per rimam, aut ſepimentum aliquo eredi depreherſus fuerit, pœnis gravioribus, aut levioribus a Superiore, ſpectato culpæ, & circumſtantiarum merito mulctetur.

VI. Egreſſe

VI. Egressi e Monasterio nunquam, ut monet S. Pater, a se invicem sejungantur, denique operam, ut semper, quantum fieri potest, sint simul ad eum interdum modum, qui superius Constit: 2. ad Votum castitatis præscriptus habetur.

VII. Ubivis vero locorum, in quibus unquam diversabuntur exemplo sobrietatis, & modestiæ in agendo, ac versando, cum aliis bonum ædificationis odorem omnibus non obliviscantur relinquere.

VIII. Regressi Superiorem conveniant, referantque eidem, quid egerint, sicut ipsum velle prudenter intelligent, & Regula postulat S. Patris Nostri Basilii.

IX. Non liceat Superiori loci Monachis ob privata negotia ultra quindecim milliaria profectionem permittere, aut illam sine Socio vitæ spectatæ suscipiendam concedere, quoties Socius commode dari potest.

X. Ob necessaria tamen Communitatis negotia fas Superiori esto, Monachos etiam ad remotissima loca mittere, dummodo intra antiquioris Regni fines ipsa sita sint, nec prospici aliter necessitati possit.

XI. Monachi profecturi peregrè, & diutius extra Monasterium acturi, habeant a Superiore loci Litteras patentes, quæ de præmisso ipsis discessu doceant, ac tempus, quo domum sit revertendum, præfiniant. Quodsi, qui longiorem moram, ultra scilicet, quam concessum sit, facere non dubitarent, bene tamen se gererent, Superior vicinioris Monasterii eos ad reditum cohortabitur: Comprehendendos vero, & de loco commorationis subducendos omnino curabit, quoties commoratio fines temporis constituti excederet, vel scandalosa, ac reprehensioni obnoxia aliunde haberetur.

XII. Cum vero non raro nostri expetantur, & a Parochis, ut adjutorum in ipsorum Ecclesiis partes agant, & a viris Jllustribus, ut vel filios eorum erudiant, vel domestici sacelli curam habeant, id quod, salvo officio, abnui plerumque nequit, idcirco statuimus, ut tam Provincialibus, quam Superioribus loci, liceat Monachis ad hæc munia obeunda foras mittere, at his omnibus legibus: *1mo* Ut mittendus vir sit probatus, & maturus. *2do.* Ut is, præter istud, ad quod mittitur, nulla alia foris curanda admittat negotia: *3tio.* Ut in aula habeat separatum cubiculum, ab arbitris liberum, ac a societate hominum, præsertim vero fæminarum, omnino sejunctum: *4to.* Ut non addicatur suo ministerio in integrum anni spatium, sed ad mensem unum duntaxat: *5to.* Ut exacto mensis spatio se in suum recipere Manasterium, tanquam amplius non rediturus teneatur. Quo præstito, ad prudentiam Superioris pertinebit, vel ipsum mutare, si aliqua inde nequit timeri offensio, vel denuo, post aliquot dierum in Monasterio moram, eundem

iisdem

iisdem legibus mittere. Jntegrum tamen esto Reverendissimo Proto-Archimandritæ nostro, ab hac quotmensibus ad Monasterium veniendi Lege Monachos hujusmodi dispensare. Verum ita dispensati, sciant se teneri ad bina sacra exercitia intra Annum obeunda, vacandumque alteris per octiduum, alteris per triduum. Tridui tamen istius, ut & aliarum hic præexpressarum Legum rigore solutos haberi volumus Monachos, qui in Aulis Jllustrissimorum Episcoporum nostrorum operam ipsis dicant suam.

HOSPITALITAS.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Vana gloria, studium placendi hominibus, & quælibet res ad ostentationem gesta, prorsus in omni negotio Christianis interdicta sunt, quandoquidem qui & ipsum mandatum ideo perficit, ut spectetur ab hominibus, & gloria afficiatur, mercedem ob ipsum sperandam amittit. Jtaque iis, qui omnem humilitatis speciem propter Domini Præceptum amplexi sunt, fugiendus admodum est omnis vanæ gloriæ modus. Quoniam autem videmus mundanos homines, qui cum pudore ferant paupertatis humilitatem, & ubi aliquis ipsis suscipiendus est hospes, omnem ciborum copiam, ac magnificentiam studiosius apparent, timeo ne nos quoque clanculum eidem vitio fiamus obnoxii, atque de paupertate, quæ a Christo beata prædicata est, erubescere deprehendamur. Quemadmodum igitur vasa argentea, aut vela purpurea, aut stratum molle, aut vestimenta pellucida extrinsecus comparare nobis non convenit: sic fuerit indecorum excogitare epulas a nostra vivendi ratione multum abhorrentes..... Etenim si malæ sunt delitiæ, & fugiendæ, nunquam eas amplecti debemus. Nihil enim eorum, quæ reprobata sunt, potest ullo tempore oportunum esse... Quid igitur nobis cum apparatibus sumptuosis? accessit hospes aliquis? si Frater sit, & idem vitæ institutum sequatur, suam ipsius mensam agnoscet. Quæ enim reliquit domi, ea inventurus est apud nos. At fatigatus est ex itinere? tantum afferimus levamenti, quantum requiritur ad lassitudinem sublevandam.

Advenit alius sæculo huic addictus? ex factis discat, quæ ei sermo non persuasit, & frugalitatis in escis servandæ formam, & exemplar accipiat. Maneant in ipso monumenta mensæ Christianorum, & ejus paupertatis, quæ Christi causa citra verecundiam perferenda est. *Reg. Fus.* 20. *Nro.* 1. & 2.

CONSTITUTIONES.

I. Hospites accipiantur mensa modesta, a qua absit & luxus & vanitas, non tamen Religiosa honestas juncta vasorum munditiæ & nitori, quæ tamen

etiam deinceps ad mensam Abbatum adhiberi nolumus exotica, aut pretiosa.

II. Hoſpites externi inſigniores poſſunt seorsum cum Superiore comedere, Familiares vero ad mensam invitantur Refectorii.

III. Cum mulieribus omnis in adita Monaſterii introitus ſit præclusus, idcirco, ne humanitatis, aut grati animi deſimus interdum officio, volumus, ut in ſingulis noſtris locis extra clausuram conjunctum aut ſitum prope Monaſterium habeatur hoſpitium, in quo, ſi quæ quando Jlluſtres, aut de Religione noſtra benemeritæ ad nos humani officii, aut neceſsitatis gratia accedunt fæminæ, congrua hoſpitalitate poſſint excipi. Ad hujusmodi autem hoſpitium, præsertim cum alteri sexui hoſpitalitatis exhibetur officium, quemadmodum etiam ad Superioris cellam, dum cum hospitibus in ea tractatatur, aditus Monachis, qui in socios aſſumpti non fuerint, prohibetur. Superiores autem, quo ad fieri poteſt, adsciscant tunc ſibi socios graves, moribusque religioſis conſpicuos.

IV. Ubi inſtituti noſtri exſtant Monaſteria, Monachi noſtri iter ea facientes, vel illo ad negotia tractanda miſſi, alio non divertant, sed recta suum petant Monaſterium: Superior autem loci amanter ipſos hoſpitio excipiat, nec alio hoſpitatum dimittat, niſi prorſus in Monaſterio collocari non poſſint.

V. Cum vero ad Monaſteria noſtra divertent, caveant, ne de rebus aut perſonis aliorum Monaſteriorum loquantur, niſi bene & ad ædificationem.

VI. Monachi hoſpites è Monaſterio, in quo diverſantur, negotiorum cauſa egreſſuri, faciant loci Superiorem de egreſſu suo certiorem toties, quoties egredi ipſis neceſſum fuerit.

VII. Qui recurſus cauſa Superiores locorum adeunt, vel hoſpites sunt, Superiori loci submiſſi maneant, quousque in Monaſterio commorati fuerint.

VIII. Pauperes quoque & peregrini cum ad nos accedunt, charitatis hoſpitalitatiſque noſtræ experiantur effectum, adhibeaturque cura, & solicitudo, prout monet S. Pater *Moralium C. 6.* circa eorum neceſsitatem, secundum Domini voluntatem, & modum facultatum noſtrarum.

RESPECTUS BENEMERITORUM.

Textus Regulæ S. Patris Baſilii Magni.

Quemadmodum æqualis, ſimiliſque charitas quibuſvis in omnibus eſt adhibenda, ita honor, uti addecet, unicuique eſt tribuendus: iis tamen, qui utiliores sunt, majorem deferre honorem neceſſe eſt: non enim pariter de oculo, atque de pedis digito afficimur, etiamſi dolor æqualis ſit. *Inſtit. Monach. C. 5.*

An convĕniat quempiam labore defatigatum, quidquam consuetis amplius exposcere? ℟: Si laborem suscipit ob retribuendam a Deo mercedem, hinc laboris sui quærere non debet levamentum, sed semetipsum ad Domini præmium apparare haud ignorans se, ut pro labore remunerationem, ita quoque pro angustia consolationem a Domino consequuturum: ille autem, cujus ea cura est, ut impleat illud: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat:* (k) Debet necessario laborantem quemque congoscere, & ut par est, curare. *Reg. Brev:* 135.

Si de nobis benemeritus est Frater, debemus ei vel ipso humano more charitatem, quam etiam servant gentiles, ut in Evangelio Dominus declarat Lucæ *6.* v. *32.* *Reg Brev.* 163

Quod de Presbyteris Apostolus constituit, cum dixit: *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo & doctrina:* (l) id erga omnes, qui ejusmodi sunt, servari debere arbitror. *Reg. Brev:* 170.

CONSTITUTIONES.

I. Cum regula nostra, æquitas ipsa, & rectus ordo postulet, ut Monachorum, qui sive in officiis congregationis, vel Provinciarum, sive in Ministerio Monasteriorum majorem cæteris gloriæ propagandæ Divinæ, bonoque communi promovendo operam dant, major ratio & respectus cum charitate habeatur; Jdcirco statuimus, ut qui Proto-Archimandritæ. Visitatorum Provincialium, & Consultorum sive Ordinis, sive Provinciarum officio functi sunt, & publico gesti cum laude muneris testimonio a Capitulo Generali, si Ex-Officiales Ordinis, a Provinciali vero, si Ex-Officiales Provinciarum sunt, honestati fuerunt, ipso facto in ordinem Benemeritorum adlecti, & ut tales renuntiati censeantur.

II. Pariter, qui Provinciæ in publicis Monasteriorum obsequiis, spatio 24. Annorum junctim cum solito Sexennio meritorum sumpto, industriam, studium, ac laborem suum probarunt, nec unquam in grave dedecus incurrerunt, ut Benemeritis adscripti habeantur, volumus, & sancimus.

III. Eos etiam, qui insigne aliquod beneficium in Provinciam, vel Monasterium opĕra sua, vel industria contulerunt, vel editis libris pro religione Orthodoxa cum laude decertarunt, aut alia quapiam præclara ratione Provinciis suis decus & gloriam pepererunt, Benemeritis adsciscendos edicimus.

IV. Etsi vero Patres Benemeriti Honorarii multi in Provinciis esse possint, numerus tamen eorundem participantium, sive commoda Benemeritis constituta percipientium, nolumus ut major sit duodenario: quare pertinebit ad Capitula Provinciarum Secundæ & Tertiæ Classis virorum merita discutere, obsequia

(k) Act. 4. V. 35. (l) 1. Tim. 5. V. 17.

sequia expendere, & videre, qui, & quando in numerum participantium admittendi sint: uti ad eadem pertinebit Capitula etiam circa ipsa commoda singillatim statuere, quod, spectata uniuscujusque ratione, æquius & magis expediens in Domino visum fuerit.

V. Supra ea, quæ favore Benemeritorum singillatim a Capitulis statui, & caveri possunt, universim decernimus, ut qui ad duodenarium participantium numerum relati sunt, nec regimen tamen Monasterii, nec Officium Congregationis, vel Provinciarum ullum obtinent, sed æquo cum cæteris jure vivunt, gaudeant jure deligendi, & exposcendi commodum sibi ad habitandum Monasterium: in Monasterio commodo cubiculo potiendi, illudque calefaciendum curandi, quoties opus duxerint: tum obsequio Laici sive Monachi, sive sæcularis, communi Monasterii mercede conducti, utendi: vestiariam pensionem proportione Superiorum percipiendi, & omnia, quæ ad vitam, & sanitatem ope medicinæ tuendam necessaria sunt, ex communi a Monasterio subministrata habendi.

VI. Præterea immunes haberi volumus eosdem Patres ab onere frequentandi solito more communem chorum, & ab obsequiis illis omnibus, quæ ardua ipsis sunt, & oneris ac negotii habent non parum. Non tamen Legis ejus facimus ipsis veniam, quæ de sacris ad intentionem Eleemosynas Ecclesiis nostris largientium ab unoquoque celebrandis lata est: Ea tamen sacra, tot numero fieri ab ipsis permittimus, quot a Professoribus Theologiæ in singulas septimanas facienda præscribuntur.

VII. Porro meminerint tam insignibus in Provincia ornati Privilegiis Patres se teneri ad præstanda Monasteriis, quæ incolunt, omnia illa obsequa, quæ sine gravi incommodo præstari possunt: Superiores suos revereri, obedientes se eis in cæteris exhibere, omnibus exemplo ad virtutem præire, & in iis semper, quoad vires dabunt, se honeste occupare, quæ Religioni decus, & utilitatem afferre, ipsos vero a pravitate otii alienos servare possunt.

VIII. Quæ autem a Benemeritis in unaquaque Provincia deligi, & expeti possint Monasteria, intererit Patrum ad Capitula suarum Provinciarum congregatorum, videre, quoties opus fuerit, & designare. Hic cautum solum volumus, ne plures, quam duo Patres Benemeriti in uno eodemque habeant sedem Monasterio.

IX. Ex-Protoarchimandritæ tamen, qui sub Superioris Ex-generalis Nomine principe inter Benemeritos loco est, fas esto, quod animo libuerit, regendum deligere Monasterium, at intra suam duntaxat Provinciam, & octennium tantum, quo quidem exacto, etiamsi integrum ipsi volumus denuo locum arbitratu suo capere, in eoque regimen habere, is tamen sit diversus ab eo, quem primum obtinebat

obtinebat.

X. Præterea volumus, ut Ex-Protoarchimandrita primum in omnibus acti- bus Monasticis post Proto-Archimandritam locum teneat, ac præcedat omnes Archimandritas, quamvis, si non Abbas, sed simplex Monachus fuit, qui u- universæ Congregationi præfuit; æquo jure cum cæteris Monachis subjectus esse debeat Provinciæ suæ Visitatori. Dicta autem de Ex-Protoarchimandrita, æquo jure suffragari debent Ex-Vicariis Generalibus.

CURA INFIRMORUM & MORIBUNDORUM.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

An medicinæ usus pietatis Instituto conveniat? ℟. Quemadmodum singulæ ar- tes subsidii loco ob naturæ debilitatem nobis à Deo concessæ sunt, velut agricultura, quod ea, quæ sua sponte è terra gignuntur, non essent satis ad necessitates sublevandas, textoria vero, quod necessarius esset indumentorum usus tum ad decorum, tum ad arcendas aeris injurias, pariterque ars domo- rum extruendarum: Ita & ars medica data est; cum enim corpus nostrum, utpote morbis obnoxium, variis incommodis tum extrinsecus advenientibus, tum intrinsecus ab alimentis proficiscentibus subjaceat, & modo redundantia, modo defectu affligetur, ars medica pro exemplo medelæ ejus, quæ animo curando adhibenda sit, nobis a totius vitæ nostræ Moderatore Deo concessa est, cujus ductu, quod superfluum est, rescinderetur, & quod deest, adjicere- tur. Ut enim, si essemus in Paradiso voluptatis, nihil industria, & labore indi- geremus: ita quoque, si a morbis essemus immunes, uti ante lapsum, cum primum res creatæ sunt, fuerat concessum, nullo medicinæ subsidio nobis ad levamen opus esset: sed quemadmodum posteaquam expulsi essemus in hunc lo- cum, & audivimus illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* (m) Tunc facta longa experientia, multoque insumpto labore in excolenda terra, ad lenienda ejus execrationis incommoda, artem agriculturæ effecimus, Deo nobis ejus artis intelligentiam atque cognitionem impertiente: Sic quoque ubi in ter- ram, unde fueramus assumpti, denuo reverti jussi sumus, & ad molestam carnem morti ob peccatum addictam, ob idque his morbis subjectam, juncti sumus, oblatum est nobis medicinæ etiam auxilium, quo saltem aliquantulum ægrotantes levaremur. Neque enim fortuito ex terra germinaverunt herbæ, quæ ad singulos morbos accomodatæ sunt: imo certe productæ sunt ex Conditoris voluntate commodis nostris inserviturae.

Quodsi defecerint nos medicinæ præsidia, nequaquam levandi mali omnem spem in hac arte reponamus: sed sciendum fore, ut aut non sinat tentari nos

U ultra

(m) Gen: 3. V. 19.

ultra quam possumus, aut quemadmodum olim Dominus modo lutum faciens illinebat, jubebatque lavari in Siloam, modo sola voluntate contentus erat, dicens, *volo, mundare*: (n) Quosdam vero in afflictationibus decertare permisit, probatiores ipsos per tentationem efficiens; ita nunc quoque peculiari aliqua ratione agere nobiscum velit, qui scilicet aliquando invisibiliter, latenterque medeatur, cum id animis nostris expedire judicaverit, aliquando vero statuat nos & ipsis corporeis auxiliis in nostris morbis uti, idque, ut hac curationis dilatione firmam & stabilem reddat accepti beneficii memoriam, aut etiam, quemadmodum dixi, ut aliquod exemplum, quod in curandis animis imitari possimus, nobis proponat.

In medicorum manibus sanitatis suæ spem collocare, belluinum est; quod tamen usuvenire nonnullis miseris videmus, qui etiam non verentur eos appellare Servatores: & commoda ex ea nascentia omnino aversari, animi est obstinati . . . Periculum autem est non mediocre, ne mens in errorem incidat, quasi omnis morbus subsidiis medicinæ indigeret. Non enim naturæ tribuendæ sunt ægritudines omnes, neque ex vitioso victu, aut aliis quibusdam corporalibus principiis nobis accedunt: Quibus quidem curandis utilem esse medicinam nonunquam videmus. Sæpe enim morbi sunt peccatorum mulctæ, ad convertendos nos irrogatæ. *Quem enim*, inquit, *diligit Dominus, castigat*. (o) Item. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Si enim nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. (p) Quamobrem, qui sunt hujusmodi (ubi nostra ipsorum delicta cognoverimus) usu medicinæ prætermisso, pœnas sibi illatas debent silentio perferre, juxta eum, qui dixit. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei*: - (q) Et ita emendare se, ut dignos pœnitentiæ fructus edant: Item meminisse Domini, qui dixit. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. (r) *Reg: Fus:* 55.

Qui in Fratrum Conventu vivit, sed incidit in morbum corporalem, num in hospitalem domum abducendus sit? ℞. Habenda est ratio loci cujusque & finis, qui accomodetur ad communem utilitatem, ad gloriam Dei. *Reg: Brev:* 296.

Præpositus velut Pater legitimorum Filiorum curam suscipiens, quid Fratri unicuique opus sit, attendet, curamque, ac medelam convenientem afferet: & quod membrum, sive animo, sive corpore re ipsa infirmum fuerit, id cum charitate, atque benevolentia Patre digna sustentabit. *Constit: Monast:*

(n) Math: 8. V. 3. (o) Proverb: 3. V. 12. (p) 1. Corin: 11. V. 30. (q) Mich: 7. V. 9. (r) Joan: 5. V. 14.

vaſ: Cap: 28.

CONSTITUTIONES.

I. Cunctis Superioribus diſtricte mandamus, ut quemadmodum S. Pater Noſter ſtatuit, infirmos paterna benevolentia complectantur: Medicum, quantumvis aliunde conducendum, ſi res, & locus permittat, ad ferendam ægris opem accerſiri curent, & quid quid ex medici præſcripto, aut ipſius infirmi indigentia ad corporis ſanitatem conferre dignoſcetur, pro fraterna charitate non difficulter præſtent, id quod ſub præcepto formali, id eſt ſub reatu peccati mortalis Superiores ſibi mandari intelligant. Si tamen infirmitas ex peccati mulcta, ut loquitur S. Pater, hoc eſt culpa Monachi cauſam morbi ſibi non obſcure præbentis acciderit, impenſam in eum juvandum factam ex penſione ejus veſtiaria, ducta proportione, reſarciendam decernimus.

II. Porro, qui infirmitate quacunque corripitur, ſtatum ſuum Superiori aperiat, nec ulli liceat ſine expreſſa ejus facultate medicum advocare, aut ſcripto eum conſulere.

III. Noſocomum, qui diligentem, & benignam infirmi curam gerat, deſignet Superior, eique Laicum, ſive Monachum, ſive ſæcularem promptioris obſequii cauſa adjungat.

IV. Quodſi Noſocomus haberi nequeat, Monachi ex ordine vocationis infirmo miniſtrare teneantur, & quidem ea diligentia, & charitate, qua ſibi ipſis adverſa valetudine miniſtratum vellent.

V. Infirmi ſtatim, ac morbus cœperit ingraveſcere, Sacramentis ſe communiant, quod quidem præſtent etiam ſingulis hebdomadis, ſi morbus fuerit diuturnus.

VI. Ad conſtantem dolorum tolerantiam, optimo ægris incitamento ſolent eſſe piæ Monachorum viſitationes: hinc Superioribus cunctis plurimum commendamus, ut infirmos ſæpius inviſent, atque id præſtandum ab aliis commendent.

VII. Qui autem infirmos viſitabunt, demiſſa voce, ea etiam moderatione loquantur, ut illis moleſti non ſint; atque de iis agant, quæ infirmos ſolari, & ad patientiam eos, nec non frequentem Sacramentorum uſum comparare poſſunt.

VIII. Cum infirmis nihil antiquius eſſe debeat, quam ſe ab animi anguſtiis omni meliori modo expedire, ideo ſimul, ac morbus cœperit invaleſcere, Confeſſarius continuo adſit, ut ſuccurrat in ſupremo certamine moribundo, ad quod bene conferet libellus in hujuſmodi uſum typis editus.

IX. Infirmo animam agente domeſtica pulſetur campanula, cujus ſigno audito ſinguli ad cubiculum morientis ſe conferant, devote officium pro moribundis

bundis persoluturi, donec animam, cui tunc impertienda est benedictio cum indulgentia plenaria, in manus Domini commendaverint.

X. Mortui cadaver spatio viginti quatuor horarum insepultum retineatur, & diutius interdum, si ita expedire visum fuerit.

XI. Res ab obitu Monachorum derelictas Superior loci cum duobus ex cætu Monasterii Sociis sibi adscitis recognoscat, ac in indicem referri curet, quem tam ipse, quam Socii subscribere teneantur.

XII. Res autem ipsius demortui Superioris recensebit Vicarius duobus pariter ad hunc actum adhibitis Sociis: Qui tamen nulla derelicta scripta, & Litteras, præsertim si Superior aliquo officio Ordinis, vel Provinciæ functus proxime, vel antea fuit, audebunt legere, sed collecta solum tenebuntur in arculam conjicere, ac obsignata servare, donec a Proto-Archimandrita, vel Provinciali deputabitur, qui ea recolat, & secernat.

XIII. Post decessum Abbatis, Vicarius loci per publicum, vel peculiarem Tabellarium quam primum de obitu Abbatis Reverendissimum Proto-Archimandritam faciat certiorem. Deinde assumptis secum duobus ex Communitate Patribus, supellectilem, & peculium, cujus usum Abbas obtinebat, exactè revideat, omniumque Religiosa fidelitate duplex conficiat Inventarium, alterum ad Archivium Reverendissimi Proto-Archimandritæ remittendum, alterum in loco pro novi sufficienti Abbatis notitia asservandum.

XIV. In quolibet Monasterio sit specialis liber, in quem quisque vita functus Monachus referatur, adnotato obitus anno, mense, die, illisque laudibus, quibus eminuit, & posteritati reddidit se se commendandum.

PARS SECUNDA.

CONSTITUTIONES PARTICULARES.

CAPUT PRIMUM.

De iis quæ ad rectam Congregationis Provinciarum & Monasteriorum Administrationem pertinent.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Quæ major est humilitatis significatio, quam si Fratrum Præfecti alii aliorum imperio subjiciantur? Si enim pares sunt in Spiritualibus donis, eos simul decertare satius est. Quemadmodum igitur ostendit nobis Dominus ipse, cum Discipulos binos & binos misit: ita ex ipsis alter alteri submitti prorsus cum gaudio volet, haud immemor Domini dicentis: *Qui se humiliat exaltabitur*. (s) Quodsi forte hic pauciora habuerit, ille plura, præstabilius est debiliorem

(s) Luc: 18. V. 14.

debiliorem a fortiori assumi. Atque etiam quomodo non manifeste violatur Apostolicum præceptum, quo dicitur: *Non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed etiam ea, quæ aliorum.* (t) Arbitror enim fieri non posse, ut hoc in divisis mansionibus recté perficiatur, cum quælibet turma, pro ijs, quibuscum versatur, curam singularem, & propriam gerat, cæteros vero non curet: quod, ut dixi, manifesté adversatur Apostoli præcepto. Et quoniam Sancti illi, quorum frequens est mentio in Actis, id ipsum plerumque testantur, quibus scriptum est, modo quidem: - *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*: - modo verò: - *Omnes credentes erant in eodem loco, & habebant omnia communia.* (w) Liquet nullam fuisse inter hos omnes divisionem, nec quemquam fuisse sui juris: sed omnes una & eadem cura gubernatos fuisse: Idque etiamsi horum omnium numerus esset quinque millium; in quibus fortasse non pauca erant, quæ hominum judicio viderentur conjunctionem, ac concordiam impedire. Cum autem, qui in singulis vicis reperiuntur, adeo illis numero inferiores sint, quæ ratio permittit ipsos a se invicem separatos esse; utinam autem fieri posset, ut non modo qui eodem pago simul sunt congregati, sic permanerent; sed plures etiam, qui diversis in locis constituti sunt Fratrum Conventus, ab una tantum cura eorum, qui æquo in omnes animo, sapienterque rebus omnium consulere possent, in spiritus consensione & pacis vinculo regerentur. *Reg: Fus: 35.*

Oportet ut is, qui Præfectus est, memor præcepti Apostoli, qui ait: *Exemplum esto fidelium*, (x) vitam suam efficiat cujuscunque præcepti Domini, evidens exemplum, ut videlicet iis, qui a se docendi sunt, causam nullam relinquat, cur Domini mandatum tale esse putent, quod aut fieri non possit, aut quod contemni debeat. Initio igitur primum hoc est, nimirum in charitate Christi ita excolenda est ab eo humilitas, ut vel ipso tacente, operum suorum exemplum ad docendum proponatur sermone quovis efficacius. Etenim, si hæc est Christianismi nota, imitatio Christi juxta humilitatis mensuram, prout convenit uniuscujusque vocationi, ii, quibus credita est plurium regendorum cura, infirmiores sua ipsorum cura atque opera ad imitandum Christum promovere debent; juxta Beatum Paulum, qui dicit: - *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* (y)

Proinde servando eo, qui a Domino nostró Jesu Christo traditus est, humilitatis modo, ipsos primos accuratum, & omnibus numeris absolutum exemplar fieri, operæ pretium est: - *Discite* enim *a me*, inquit *quia mitis sum, & humilis corde.* (z) Morum igitur mansuetudo, & humilitas cordis chara-

W cterem

(t) Philip: 2. V. 4. (u) Act: 4. V. 32. (w) Ibidem. (x) 1. Timot: 4. V. 12.
(y) 1. Corin: 11. V. 1. (z) Math: 11. V. 29.

ctorem Præpositi, atque insigne constituant. Si enim Dominus servis suis ministrare non erubuit, sed voluit servus esse terræ, & luti, quod finxit ipse, & in hominem conflavit: – *Ego* enim, inquit, *in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. (a) Quid æqualium nostrorum causa facere par est, ut existimare possimus assequutos nos illum imitatione fuisse? Hoc igitur unum est, quo maxime præditum esse Præfectum oportet. Tum misericordem esse, & eos, qui inexperti officiorum, aliquid omiserint, patienter sufferentem, non prætereuntem silentio peccata, sed rebelles tolerantem leniter, medelamque cum omni clementia, atque moderatione eis adhibentem. Jtem idoneum esse, qui remedii modum morbo convenientem excogitet, non autem aspere increpantem, sed cum mansuetudine commonefacientem, atque erudientem, uti scriptum est, pervigilem in administrandis rebus præsentibus, providum futurorum, peritum decertandi cum fortibus, & debilium infirmitates perferendi, talem, qui omnia, & facere & dicere possit ad eorum, qui secum degunt, perfectionem. Præfecturam non sibi sumentem, sed qui delectus sit ab iis, qui primas obtinent in aliis Fratrum Conventibus, & qui in vita anteacta morum suorum specimen sufficiens ediderint. *Et hi enim, inquit, probentur primum, deinde ministrent nullum crimen habentes*: (b) Sic, qui ejusmodi est, accipiat Præfecturam, instituatque inter Fratres disciplinam, & opera, prout unusquisque idoneus est, dispartiatur. *Reg: Fus:* 43.

Quemadmodum Lex spiritualis non vult pauciores esse, quam Decem, qui Mysticum Pascha comedant: ita hic eorum, qui simul vitam spiritualem excolunt, numerum denarium potius augeri oportet, quam minui. Hanc honestam vivendi rationem unus aliquis moderetur, qui ob vitæ morumque, ac omnis modestæ conversationis probationem reliquis Præpositus sit: Quin & ætatis, ac temporis habeatur ratio ad obtinendas priores partes. Nam, quod antiquius est in hominum natura, majorem quodammodo præfert venerationem. Hic autem Fratribus ultrò cum docilitate solum & humilitate obedientibus, tanta potiatur potestate, ut nulli eorum, qui Conventum componunt, liceat ipsius voluntati resistere, cum aliquid eorum, quæ ad honestatem, & vitæ integritatem conferunt, præcipit . . . Quoniam igitur prorsus convenit, Cætum hunc Præposito obedientem esse, ac subditum, necesse est inprimis talem eligi vitæ hujus moderatorem, ut illius vita iis, qui ad illum respiciunt, sit virtutis cujusvis exemplar: Et, ut ait Apostolus, qui sobrius sit, temperans, modestus, & ad docendum idoneus. Sic meo quidem judicio exploranda est, & hujus vita, non solum, an temporis spatio senectam attigerit (accidit enim cum canitie etiam ac rugis

(a) Luc: 12. V. 27. (b) 1. Timoth: 3. V. 10.

ac rugis, inveniri juveniles mores) sed præsertim, an mores, & agendi ratio per modestiam, & gravitatem incanuerit, ut quidquid ab illo dicitur & efficitur, pro Lege conventui sit, & pro regula. *Instit: Monach: C. 4. Nro: 3.*

Non extollat Præfectum dignitas, ne ipse quoque ab ea, quæ humilibus promissa est, beatitudine excidat, aut etiam inflatus incidat in judicium diaboli; sed illud pro certo habeat, plurium curam habere, esse, pluribus servire ... Proinde, ut omnium Minister, & tanquam, qui de omnibus rationem redditurus sit, animum attendere, & sollicitus esse debet. *Reg: Fus: 30.*

Quippe si inciderit in peccatum Frater unus, nec tamen antea justificationem Dei ei declararit, aut si lapsus in eo perstiterit, quod modum emendandi se ab eo non edoctus fuerit, sciat sanguinem ipsius ex suis manibus requisitum iri, uti scriptum est, & maxime, si quidquam eorum, quæ placent Deo, non ex inscitia neglexerit, sed potius ex eo, quod ob assentationem ad uniuscujusque vitia se accomodet, disciplinæ integritatem labefactarit. *Reg: Fus: 25.*

Ac etiam caveat oportet Præfectus, ne si graviora, quam corporis vires ferant, mandata injugat, infirmum provocet ad contradicendum, sed perinde, ut Pater ex æquo in omnes benevolus, ac legitimus, corporeas cujujusque vires cansideret, atque ita imponat, partiaturque. *Constit: Monast: Cap: 31.*

Præpositus eos, qui tum gradu, tum prudentia sibi sunt proximi, necessario ad consilium, ac deliberationem de rebus communibus faciendam adhibebit, obsequutus hortamento illius, qui dixit: *Omnia fac cum consilio.* (b) *Reg: Fus: 48.*

Quomodo debent Fratribus munera, & officia committi? Utrum a solo Præfecto ita judicante, an etiam a Fratribus suffragium ferentibus? ℞. Si unusquisque ea, quæ sentit, aliis proponere edoctus est; quanto magis, quæ sunt hujusmodi, ea fieri debent, adhibito eorum, qui ad hoc apti sunt, judicio? Quare Dei negotium secundum Deum concredendum est iis, qui se jam ostenderint prædicto munere fungi posse modo Domino grato. Et in summa, necessarium fuerit Præfectum in omni negotio Sacræ Scripturæ meminisse, quæ sic habet: *Omnia fac cum consilio: Reg: Brev: 104.*

Quemadmodum Præfectus in omnibus Fratrum dux esse debet, ita quoque vicissim, si quando Præfectus ipse delicti alicujus suspectus fuerit, ipsum commonefacere munus est reliquorum. Quamobrem ne exsolvatur disciplina, iis, qui cum ætate, tum prudentia præstant, danda est admonendi potestas. *Reg: Fus: 27.*

Quandoquidem usuvenit non raro, ut vel propter corporis infirmitatem, vel peregrinandi

(c) Eccl: 32. V. 24.

peregrinandi necessitatem, vel ob alium quemvis casum Præfectus absit a Fratrum conventu, etiam aliquis alius cum approbatione, eo absente, suscipiat Fratrum curam, ut & qui remanserint, unius consilio gubernentur, non autem Fratres, absente Præposito, formam status popularis assumant ad Regulæ, & traditæ disciplinæ dissolutionem, sed quæcunque approbata sunt, & recepta, ad Dei gloriam observentur: ut etiam adsit, qui advenientibus hospitibus prudenter respondeat, ut, & qui sermonem requirunt, ædificentur pro argumenti dignitate, nec tamen Fratrum communitas confundatur. *Reg: Fus:* 45.

Expendendum est circumspectius, ad quid quisque idoneus sit, sicque committendum munus quodlibet, ut ii, qui cuipiam committunt, quod ei non convenit, nequaquam veluti mali, & animarum, & mandatorum Domini dispensatores condemnentur, nec ii quoque, quibus munus committitur, excusandi peccati rationem hic invenire videantur. *Reg: Brev:* 149.

Ex iis, qui intus res necessarias distribuunt, omnino necesse est in singulis ordinibus aliquos esse, qui curent magnopere, ut misericordes sint, ac lenes erga quoslibet, neque ulli suspicionem præbeant singularis studii, aut propensionis erga quosdam, neque vicissim contra jurgii, & contentionis, ut iis quibuscum ipsis contetio est, necessarias res subtrahant, & iis, in quos animi inclinatione propendent, plus æquo largiantur. *Reg: Fus:* 34.

Quamobrem, qui Fratribus distribuunt necessaria, eos necesse est, summe ab amore singulari, & a contentione puros esse, atque expurgatos. Saneque debent hujus affectus sibi ipsis conscii esse, ac studium adeo magnum ostendere, tam ipsi, quam ii, qui alio munere funguntur ad Fratrum Ministerium, tanquam, si non hominibus, sed Domino ipsi inserviant. *Ibidem: Nro:* 2.

Eum, cui Cellarii, aut alterius rei ejusmodi cura tradita est, si recti ordinis scientiam, & Regulæ integritatem servet, supervacaneum est permutari, vel potius grave, & difficile. Habeat autem necesse est, asseclam aliquem, qui paulatim ad id muneris instituatur, ut ne necessitate successorem postulante, si hic deesset, perturbemur: imo etiam, ne sæpe aliquem ineptum huic operi præficere cogamur: Unde fit necessario, ut corrumpatur integritas ob ejus imperitiam, rectaque disciplina dissolvatur. *Reg: Brev:* 156.

Si quis molestus est Archimandritæ, prætextu operæ per vices suscipiendæ, excepto Cellario, aut Archihebdomadario, sit benedictionis expers: at Archi-hebdomadarius, qui cuique vici præest, & Procurator habeant sedulam curam rerum quarumlibet necessariarum, ne in judicium negligentiæ incidant.

Pœnalo

Pœnal: in deliquen: Nro: 51.

Fiat autem per vices in communi conventu ministerium, duobus vicissim in una hebdomada negotia quæque necessaria peragentibus, ut & communis existat humilitatis merces, nec cuipiam liceat, ne in bono quidem sodales superare: omnes vero pariter interquiescant. *Inst: Monach: Cap: 4. Nro: 5.*

REGULÆ PROTO-ARCHIMANDRITÆ.

De iis quæ ad ejus Personam spectant, & totius Congregationis gubernationem respiciunt.

I. Ex Provinciis earumque Monasteriis, quæ olim disjuncta unita iam sunt, vel studio nostrorum unienda venient, unica juxta vota S. Patris nostri, & Decreta S. Sedis, Congregatione constituta, unum etiam esse volumus, qui eam in spiritus consensione, & pacis vinculo, sub nomine Proto-Archimandritæ administret: ejusque officium octennio duret.

II. Intelligat is teneri implere omnia, quæ aliis Superioribus in Regulis S. Patris Basilii M. & Constitutionibus nostris præscribuntur, idque eo diligentius, quo longius inter eos authoritate præstat: Quare occasione regiminis, a studio orationis, aliisque exercitiis pietatis abstrahi se non sinat: imo cogitet id potissimum incumbere sibi, ut suis meritis, & orationibus congregationem tueatur, studeatque Deum quam maxime propitium ei reddere.

III. Det operam, ut, quod ajt S. Pater noster Basilius, vitam efficiat cujuscunque præcepti Domini evidens exemplum, ut videlicet iis, qui a se gubernandi sunt, causam nullam relinquat, cur aliquid in Regulis & constitutionibus nostris tale esse putent, quod aut fieri non possit, aut quod contemni debeat.

IV. Sciat potestatem suam plenam esse, seque porrigere ad omnia, quæ nec Regulis, nec constitutionibus nostris, nec ullis aliis Legibus ipsi prohibentur.

V. Ipsius est Capitula tam Generalia, quam Provincialia congregare, servatis rite omnibus, quæ in formulis dictorum Capitulorum sancita habentur.

VI. Ipsius est Provinciarum Visitatores & Officiales legitime electos confirmare, uti & non legitimas eorundem electiones rescindere.

VII. Ipsius est, rationem Visitationum a Provincialibus reposcere, & si usu forte venisset, ut aliquod Monasterium per eorum visitationem gravatum esset, parte Communitatis majore, vel ejus locali Superiore exposcente, idem gravatum Monasterium sumptibus ejusdem posse visitare, non pluribus tamen equis utatur, quam quot vetus juncta necessitati permittat ipsi decen-

X tia

ia & consvetudo.

VIII. Ipsius est Lites, ac disceptationes, si quas inter Provincias oriri accideret, ita Decreto suo transigere, ut ab eo appellari nequeat, nisi ad Capitulum Generale, cujus potestatis erit, vel probare Decretum Proto-Archimandritale, vel idem pro æquitate reformare.

IX. Præter facultates, quarum hæ Regulæ concessionem ei faciunt, habeat etiam eas omnes, quæ in Jure Canonico omnibus jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus concessæ sunt, & quæ in gratiis Apostolicis Congregationi nostræ impertitis, Proto-Archimandritæ tribuuntur; quas ex iisdem intelliget. Jisdemque & maxime usu Pontificalium, & potestate doctorandi, aliisque similibus fruetur gratiis juxta sonantiam talium Privilegiorum.

X. Potest quidem aliquos ex undecim, quos Clemens VIII. reservari posse censuit, casus, pro Universa congregatione reservare: Sed quoniam Capitulum Generale Sextum, efficacius posse occurri malis, ope Pœnitentiarum ad ejusdem præscriptum in Sacro Tribunali irrogandarum, judicavit, id circo reservationes nullas faciet.

XI. Nullam quoque Regulam, Constitutionem, aut probatam Congregationis nostræ consuetudinem immutabit, nec quidquam novi statuet, nisi sit ejusmodi: quod Regulis & Constitutionibus promovendis, ac conservandis expediens in Domino videretur.

XII. Quamvis totius Congregationis nostræ votum sit, ut immotus in suo ad lapsum turni persistat officio, nec ipse sua sponte, se suo possit abdicare munere, non ideo tamen inhabilis censetur, quominus vocatus a Deo, sicut Aaron, Episcopatum possit capessere. Sciat tamen hoc casu statim, ac intra spatium Canonibus præfinitum in sui consenserit Nominationem, se Præfecturam Congregationis deponere, exactam in congruum Magistratus sui subsidium dati, & accepti, rationem dare, omniaque Autographa, munimenta, & documenta, si quæ vel Congregationi, vel Provinciis servientia apud se fuerint; summa fide in antiquum suum locum restituere debere.

De iis quæ ad rectam totius Congregationis administrationem conferunt.

XIII. Jn omnibus, quæ agenda, vel statuenda his regulis præscribuntur, aut quæ, gravioris momenti aggredienda occurrent, Suorum Consultorum semper utatur consilio, pluralitateque suffragiorum, rem omnem definiat.

XIV. Non inexpediens etiam censebitur, si præter Consultores, alios etiam ad consultationem adhibuerit, præsertim, quos de re proponenda rectam sententiam ferre posse existimaverit. Absentibus autem poterit jubere, ut quid de re

re eadem ex vero, & bono judicent, per Litteras ad se datas, aperiant.

XV. Consilium capturus det operam, ut res, quæ in Consultatione ad deliberandum venit, pridie saltem cum suis communicetur Consultoribus, quibus etiam Litterarum, & scriptorum, quæ ad rem pertinent (nisi quid obstiterit) faciet copiam, ut bene de re edocti rectius judicare possint.

XIV. Consultationem aggressus, breviter, & quam potest, clarissime, rem exponat, nec quo fidentius suam quisque sententiam dicat, indicium præ se ullum ferat, unde colligi posset, in quam ipse partem inclinet.

XVII. Consultore aliquo absente, dabit operam, ut alius ejus loco Vir gravis, & prudens, si hujusmodi ex absentis Consultoris Provincia præsto fuerit, emisso prius eam in rem Consultoriali juramento, subrogetur: alias re moram patiente, ipse absens Litteris appelletur Consultor, ut quid de re statuat, scripto pronuntiet, quo negotium in deliberationem adductum, cum ejus transmisso suffragio (si id suffragium cum pluribus fecerit) decidi possit.

XVIII. De bono Congregationis cum conservando, tum promovendo assiduo cogitet, & quid quid hac in re animum unquam subibit, memoriæ causa notet, cum suis suo tempore communicandum Consultoribus, si res consultatione digna visa fuerit.

XIX. Ipsius erit una cum Consultoribus suis (adhibitis tamen etiam Provinciarum Officiis) dubia, si quæ circa Præscriptum Constitutionum nostrarum, suboriri contigerit, enodare ac resolvere: ejusmodi resolutiones vim Legis obtineant ad proxime futurum Capitulum Generale, nisi per examen ejus probatæ robur etiam in posterum sortiantur. Nulla vero dubia extra tempus Capituli Generalis se ipso, & motu proprio audeat formare, & per Procuratorem in Urbe resolvenda curare.

XX. Cum sui muneris sit causas, quæ universam Congregationem concernunt, in foro competenti, sive Sæculari, sive spirituali promovere, tum in negotiis, utrum in foro quopiam agenda sint, vel non, sciat non satis esse suorum uti consilio Consultorum, sed debere etiam consuli omnes Provinciales, & Provinciarum Consultores, si negotium, quod in deliberationem venit, totam respiciat Congregationem, sicut respectivos tantum & Provinciales, & Consultores, dum Provinciarum res est: ac quod ita collatis in commune sententiis, factu opportunum visum fuerit, disponet agendum vel omittendum, sumptibus Provincialium aut Provinciæ, quam concernit negotium.

XXI Constitutiones capitulares, Consultationum sancita, Volumina Patriarum Legum, Decreta S. Congregationis, nec non Privilegia, & concessiones

nes S. Sedis Congregationi nostræ impertitas in promptu habeat.

XXII. Ad calamum circa secretiora nunquam Sæcularem Amanuensem adhibeat, sed Monachum Professum, eumque de servanda secreti fide juramento obstrictum.

XXIII. Se ipsum quoque ad ea, quæ secretum postularē intelliget, silentio tegenda, nec patefacienda, nisi suo loco, & tempore, obstrictum esse intelligat.

XXIV. Principum tam in Republica Ecclesiastica, quam Civili virorum, aliorumque magnæ authoritatis hominum, quos benevolos erga Congregationem nostram esse congnoscet, gratiam & favorem omnibus gratitudinis veræ, & venerationis officiis tueri pergat: nec minori curet studio, ut ad Congregationis nostræ præsidium inveniat locum gratiæ etiam apud eos, qui a nobis animum gerere alienum videbuntur.

XXV. Ipsius erit preces & jejunia in tota indicere Congregatione, quoties id privata Congregationis, vel publica urgens Patriæ necessitas postulare videbitur: caveat tamen ne in ea re excedat.

XXVI. Ipsius est Archimandritas, sive Abbates a legitimis Patronis præsentatos, a Metropolitano vero nostro benedictos & institutos installare, hoc est in actualem corporalem suarum respective Archimandriarum, omniumque bonorum possessionem, per se vel per Commissarium Delegatum mittere. ac omnia circa installationem eorum acta ad Metropolitanum, curiamque Ejus transmittere, juxta ordinationem Sæ Sedis præscriptam.

XXVII. Ipsius est pariter per se, vel per Commissarium Abbatum Personas, bonaque Abbatialium Monasteriorum visitare, ipsisque vacantibus prospicere, ne quid detrimenti patiantur.

XXVIII. Sua etiam intererit jurium Abbatialium, tum etiam bonorum defensionem adversus minus æquos impetitores suscipere, strenueque studio, ope, ac consiliis suis tueri.

XXIX. Ipsius est dare operam, nè vacantes Abbatiæ, quæ proborum, & Benemeritorum Monachorum præmia esse debent, conferantur aliis, nisi Viris dotibus illis omnibus, quas poscunt Leges nostræ, & Patriæ instructis. Hinc sciant se teneri statim, ac acciderit aliquem obiisse Abbatem, precibus cum Metropolitano agere quam diligentissimis, ut quem virum ipse cum suo Consultorio censebit dignum, qui in locum demortui sufficiatur, is authoritate sua tuendum, ac in gratiam respectivi Patroni ponendum suscipiat.

XXX. Ad ipsum quoque pertinet. Monasteriis insignioribus, hoc est, quæ ferendi in Capitulis suffragii jure gaudent, Superiores præficere una

cum

cum suo Consuluorio, præficiendosque eidem Consultorio proponere. Quare summo nitatur opere, ut dum Propositio facienda est, ea omnino justitiæ distributivæ concors sit, spectetque non Monachorum commodum, sed unam Regularis disciplinæ incolumitatem & Monasteriorum utilitatem. Quæ omnia ut rite ac bono ordine procedant ac serventur, extra Sessionem Consultorialem curet instituere Collationem de subjectis promovendis. In Sessione vero Ipse Proto-Archimandrita proponet tres Candidatos, & ex eorum numero unus pluralitate votorum eligetur.

XXXI. Non prius tamen ad Superiorum designationem descendat, quam recursus ad se habitus a Provincialibus fuerit. Idcirco dum sub exitum Capituli designandi venient novi Monasteriorum Superiores, Provincialibus denegare non poterit, quin recursum faciant in scripto exponendo, quales singula Monasteria, spectatis rerum adjunctis poscant Præfectos; Extra vero Capitulum, dum mutandi, vel privandi cujuspiam occurret necessitas, quin necessitatis hujus causas indicent.

XXXII. Si in mortui cujuspiam Superioris locum Superiorem ex alio Vocali Monasterio assumendum, & transferendum statuerit, Provincialem de eo certiorem faciet; sicut etiam, si forte hac occasione ad alios quoque tres, vel quatuor mutandos devenerit; & eidem Provinciali integrum sit exponendi, si quid habeat, quod contra Propositum Officii Generalis facere videretur: neque urgeat exequutionem suarum determinationum nisi bene perpensis rationibus a Provinciali exponendis.

XXXIII. Ut Superiores studio Monasticæ disciplinæ præstantes, prudentia in rebus agendis insignes, & quantum fieri potest, bene rei administrandæ peritos, præficere Monasteriis semper valeat, capiat quotannis ex Actis Visitationum Provincialium, & scrutiniorum de Personis informationes, deque illis a Provincialibus ipsis, & Consultoribus suis, doceri patiatur, si ex dotibus, moribusque ei notæ non sunt, quo quam exactissimam hominum Congregationis promovendorum notitiam consequatur.

XXXIV. Quamquam Legibus nostris cautum sit, ut Officium Superiorum localium omnium a Cpapitulo duret ad Capitulum, hoc est, ut spatio unius Quadriennii habeatur definitum; poterit tamen iis, quos vere idoneos, ac Monasteriis suis utiles intellexerit, regimen ex uno quadriennio in alterum, pro majori bono locorum prorogare, quemadmodum etiam, non expectato lapsu Quadriennii, exposita a Provincialibus, justa, gravi, & urgente causa, locis suis movere, ac privare.

XXXV. Ad privationem tamen Superiorum non veniat, nisi servato legitimo

juris Processu, quo de æquitate causæ rectius constare possit, nisi moram non patientes circumstantiæ, videlicet publicum scandalum, ingens damnum Monasterii, aut periculum salutis animæ aliter procedendum, & accelerandam privationem urgenter suaserint.

XXXVI. Superioribus a se designatis poterit Litteras obedientiales extradere, si id facere per integrum mensem Provinciales neglexerint, aut recusaverint.

De Litterarum Studiis.

XXXVII. Cum in Regionibus, per quas nostra diffunditur Congregatio Orthodoxiam pro viribus tueri, & propagare teneamur, idcirco sciat, serio, atque diligenter in id incumbere teneri, ut studiorum præstantiora quæque generá quam maxime in Congregatione nostra propagentur.

XXXVIII. Proinde det quoque operam, ut Hebrææ & Græcæ linguæ studium, alterum quod versionem Sacræ Scripturæ ab Ecclesia probatam tueatur, alterum quod summo ad eruditionem adjumento sit, & Ritibus nostris semper lucem tulerit, perpetuo in Congregatione nostra foveatur; Et quidem Græcæ Linguæ in Monasteriis, quæ humaniora alunt studia: Hebrææ vero circa Sacræ Theologiæ studium.

XXXIX. Id etiam non in minimis curæ suæ partibus habeat collatum, ut quoniam, vi Regulæ nostræ, in educationem puerorum sæcularium incumbere obligamur, diligenter istud suum officium nostra persolvat Congregatio, quo aperte scilicet suum Deo placendi, & de Patria benemerendi studium publica operæ tam utilis, Professione declarare valeat.

XL. Hinc advigilet, ut Scholæ, quæ pluribus in locis pro juvenibus sæcularibus adapertæ sunt, & aperiendæ sperantur, summa diligentia a Provincialibus promoveantur, ac in suo flore conserventur.

XLI. Ad se sciat pertinere, Libros nostrorum studio elaboratos, publicæ luce donandi, facultatem impertiri. Propterea, ut facilius provideri possit, quo vere digni luce Libri in publicum prodeant, eos recognoscendos non committat, nisi Viris præstanti judicio, & doctrina, criticesque scientia conspicuis.

XLII. Nunquam edi Libros a nostris permittat, qui vel novas, & a communibus discrepantes opiniones tradunt, vel quod jura Principum, sive eorundem ac Reipublicæ ordinationes & leges læderet, aut alia quavis ratione justam Magistratuum, & Potestatum, quibus subjicimur, offensionem creare possunt.

XLIII. Promoturus ad gradum Doctoratus in Sacra Theologia, vel Philosophia, ne hujusmodi gradus veniat in contemptum, videat, ut promovendi probatæ imprimis virtutis sint, & ingenio polleant: Nec promoveantur antequam vel ipsi edita aliqua in publicum dissertatione, sufficiens doctrinæ suæ documentum

mentum

mentum dederint, vel per juratos Examinatores digni gradu isto judicati fuerint.

De Visitatione & appellationibus Monachorum.

* XLIV. Solvere itineris ex ensas pertinebit ad Depositarium ex communi raudusculo ejus Provinciæ, cujus Monasterium inspecturus est.

* XLV. Ab ejusdem raudusculi depositario percipiet quoque congruum viæ subsidium, quoties necessitas tulerit, ut ab ipso Proto_Archimandrita aliquod Abbatiale Canonice inspiceretur Monasterium.

XLVI. Interpositas Monachorum ad se appellationes non admittat, si fuerint a pœnitentiis medicinalibus & correctivis, secus, si fuerint gravissimæ, & irreparabiles.

XLVII. Devolutas autem ad se ex appellatione causas cognoscat, servato juris legitimo processu. Nec liceat Monachis ab ejus foro recedere, nisi exacto, & secundum omnes gradus absoluto eodem processu.

XLVIII. Si qui Monachi in Ejus Foro sibi illatum gravamen contenderent, patiatur, si poscunt, recursum eos facere ad Metropolitanum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum, salva semper Sæ Nunciaturæ Apostolicæ authoritate.

XLIX. Abbatibus quoque, si quos in actu visitationis, utilitate Monasteriorum ita exigente, suspendendos judicaverit, sciat esse jus relictum appellandi in devolutivo ad Metropolitanum, ac etiam in suspensivo appellandi ad Eundem, si forte in visitatione ad alias pœnas corporis afflictivas, aut infamiam irrogantes, contra eosdem processerit.

L. Imo intelligat, ipsis fas, & integrum esse, a sua sententia, etiam extra casum Visitationis in causis graviorum, & personalium criminum, appellationem in suspensivo interponere ad Eundem Metropolitanum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum.

De iis qui peregre mittuntur, & proficiscuntur.

LI. Ad se intellgat pertinere, Monachis, qui ad Collegia Pontificia in exteris sita Nationibus, commendatione a Provincialibus habita, studii Litterarum causa designantur, Litteras obedientiales extradere, eosque eorum Superioribus commendare.

LII. Ad hujusmodi profecturis Collegia commendare non omittat, ut quo utiliores Congregationi & Patriæ redeant, circa studium severiorum disciplinarum, linguam ejus Regionis, in qua morabuntur, & si, commode fieri poterit, etiam alias lingvas utiles ad juvenes educandos addiscant.

LIII. Ipsorum in exteris oris degentium peculiarem curam gerat, identidem per Litteras eos invisat, ad perfectionem Religiosam paterne exhortetur, ad laborum

* *Hæ duæ Constitutiones suspensæ sunt ad Consultationem Generalissimam.*

ad laborum tolerantiam excitet, tum interdum necessitatibus, quantum fas fuerit, succurat.

LIV. Occasionem, cum se offeret, subveniendi aliis ritus nostri Regionibus, si adsint, qui apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possunt, nec Provinciis notabile sua absentia dumnum allaturi videbuntur, libenter arripiat. Quoties autem oblata occasione nostri, juvandarum animarum causa, in exteras Regiones mittendi erunt, curabit ut Litteris Metropolitani muniti mittantur, tum ut Capiti Hierarchiæ nostræ habeatur honor, & præbeatur opportunitas aliquid, si quid curandum ibidem habuerit, committendi; tum ut ipsis mittendis concilietur major fides authoritate hujus dignitatis, quæ merito gravis apud omnes est.

LV. Dabit operam etiam, ut quos, sive ad animas Divina gratia juvandas, sive ad negotia Congregationis curanda & agenda, sive alio fine extra fines Congregationis missurus est, non nisi bene instructos mittat, quid, & quomodo acturi sunt, quamque vitæ rationem tenere ibi debent.

LVI. Erit quoque sollicitus, ut successus uniuscujusque Missorum perspectus sibi sit, quo scilicet juvari possit unusquisque consiliis, Sacris orationibus, aliisque modis, prout locus, tempus, & persona postulaverit.

De Residentiali Monasterio, & rebus aliorum Monasteriorum.

LVII. Ipsius est Superiorem regendo Monasterio, in quo ex Præscripto Capituli Generalis deget, præficiendum deligere, quem Provincialis nequeat recusare.

LVIII. Et licet ipsius sit etiam illud suum quotannis Canonice visitare Monasterium, si tamen Provincialis velit rationem rei familaris a Superiore poscere, nequit ipsum ab ea re prohibere, sicut neque potest impedire, quominus ad majus rei ejusdem familiaris incrementum, illud cum eodem Superiore statuat, quod expedire in Domino judicaverit, quoties perspexerit tale statutum vere profuturum commodis sui Monasterii.

LIX. Nequit etiam Cætus sui Monachos impedire, quo minus sua, si qua circa locum immutandum habuerint desideria Provinciali coram, vel per Litteras, exponere possint.

LX. Ex eodem sui Monasterii Cætu unum habeat designatum, qui munere Generalis Fiscalis, sive defensoris recurrentium ad suum forum Monachorum fungi debeat. Ne vero. quis ille sit, in Provinciis ignoretur, pertinebit ad suum officium, statim, ac renuntiatus fuerit, & juramentum præstiterit, electionis hujus nuntium cum Provincialibus communicare.

LXI, Dum rerum alienationes, permutationes fundorum, & negotiorum transactiones

transactiones, quæ respiciunt, seu sapiunt alienationem aliquam, faciendæ sunt, summopere nitatur servari facere omnia, quæ ab Apostolica Sede nobis servanda hac in re, præscribuntur; quemadmodum etiam, quæ servari, Leges volunt, illius ditionis, cui subest Monasterium, concessione, in hujusmodi negotiis, egens sua.

LXII. Cum contigerit, vices supplendo Provincialis Capituli, sententiam de Monasteriis ferre quæ cum nova fundatione offerrentur, meminerit expendere, quæ ad commune bonum accessio inde speretur, quæ onera exigantur, quæ loci opportunitas, & salubritas sit, nec sinat ea admitti, nisi exacte servatis omnibus, quæ Legibus ditionum, in quibus vivimus, cauta sunt, & Apostolicis Constitutionibus præscribuntur.

LXIII. Nulla Monasteriis onera contributionum adsumptus communes Congregationis imponat, sed si quando ad causas universæ Congregationis in foro competenti promovendas contribuendum erit, sinat, ut Provinciales ipsi cum suis officiis videant, atque statuant, quid cuique Monasterio proportione debita imponi debeat, ipse vero dabit operam, ut, quæ a Provincialibus statuentur, executionem suam in Monasteriis Abbatialibus sortiantur.

LXIV. Ipsius etiam erit attendere, & urgere, ne contributionum, quibus, juxta Regulam S. Patris, communis, & æqualis Monasteriorum inter se charitas, membrorum corporis exemplo exhibetur, ex Archimadritalibus Monasteriis debita Provinciæ solutio, temere denegetur, aut diutius quam par est, differatur.

De officiis erga Metropolitanum, & Pastores Nostros.

LXV. Quemadmodum se fidelem, reverentem, ac obedientem Sedi Apostolicæ, Principi Dominatori, ex instituto suo exhibere tenetur, tenetur, ut primum hac in re subditis exemplum præbeat; ita eadem omnia officia suo etiam Metropolitano præstare annitatur: idque integre explendo, quæ volunt jura omnia, & Decreta S. Sedis præscripta in Litteris P. M. Benedicti XIV. incipientibus Jnter plures, & super Familiam nec non etiam in nostris Constitutionibus sancita, & constituta.

LXVI. Curet etiam erga Episcopos Pastores nostros officiosum se præstare, & quoties deficientibus ad gerendam animarum curam, vel ad inserviendum Ecclesiis Cathedralibus e Clero Sæculari Sacerdotibus, agi secum ab iis contigerit, ut defectum Sæcularium Sacerdotum suppleturi Monachi, ipsis concedantur, eorundem necessitati sibi expositæ obsequi pro posse studeat.

LXVII. Sinat vero facile, ut hujusmodi Monachi in exercitio muneris sibi concrediti, ipsis Episcopis omnino subjecti sint, in iis nimirum, quæ

Ecclesiarum servitium, Divinum cultum morumque integritatem respiciunt.

LXVIII. Certior de obitu Metropolitæ, vel alterius Pastoris nostri factus, sicut, & de obitu Monachorum, Fundatorum, & Benefactorum, qui in aliqua Provincia decesserunt, a Provinciali admonitus, reliquos Provinciales admonebit, ut juxta Constitutiones suffragia pro iis fiant.

REGULÆ CONSULTORUM GENERALIUM.

De iis quæ generatim ad omnes pertinent.

I. Primi & maximi in munere Ptoto-Archimandritali Adjutores sunt Consultores, qui quatuor, pari nimirum numero, ex singulis electi Provinciis esse debent, nec ad regimen Monasteriorum citra dispensationem S. Sedis assumi possunt, sed in Monasterio, in quo degit ipse Proto-Archimandrita, residere semper tenentur. Jisdem quoque minime licitum esto, ante præfixum turni lapsum suis officiis, præter casum ascensus ad Beneficium Ecclesiasticum incompatibile cum officio, renuntiare. Proptea neque posse eosdem durante officio in Capitulis respectivarvm Provinciarum celebrandis in visitatores Provinciales eligi, sed non nisi in Generali, completo turno, celebrando, quando suis jam defuncti fuerint officiis, quæ in eodem, immediate ante electionem Proto-Archimandritæ, deponere tenebuntur.

II. Ut exactius muneris sui patres administrent, singulari boni communis studio teneantur, & ad ejus amussim exigant suas sententias.

III. Decreta & Resolutiones S. Sedis, nec non Constitutiones Congregationis nostræ crebra lectione familiares sibi reddant, ne interdum decisiones suæ a mente nostrarum Legum aberrent.

IV. Rem in deliberationem adductam bene expendant, præmissaque oratione, setentiam dicant, præsertim in difficilibus. Quodsi maturiore examine rem indigere judicaverint, tempus ad deliberandum a Proto-Archimandrita dari petant.

V. Si sententia verbis dicenda est, brevibus eam explicent: Rationes autem contrarias, si refelendæ sunt, servata modestia, dissolvant.

VI. Sententias, ducto initio ab ultimo Consultore, pronuntiabunt, in quibus si quam oriri dissensionem acciderit, per secreta suffragia, servato eodem ordine, rem expediant.

VII. Si quid alicui occurrat, quod ad bonum commune pertinere videatur, illud etiam non interrogatus proponat, ut si opus fuerit, solerti præmissa discussione, statuatur, quod in Domino videbitur expedire.

VIII. Jn approbationibus Personarum ad Superioratus, privato animi affectu abduci se non sinant, sed seposito amore, odio, & metu, suffragia ferant sua

sua, semper publicum Religionis commodum, privatis quibuscunque utilitatibus præferenda. Quem in finem, ut emissi a se juramenti formam in limine cujusque Consultationis prælegi sibi curent, districte præcipimus.

IX. Sciant sibi licere, Acta Visitationum Provincialium inspicere ac explorare, id tamen non faciant, nisi vera necessitate exposcente.

X. Caveant autem, ne id, quod ipsis a Proto-Archimandrita propositum fuit, vel super quo consultatum, multo vero minus id, quod definitum est, aliis revelent, donec ab ipso Proto-Archimandrita suo tempore, & loco fuerit promulgatum.

XI. Sint exacti, ut negotia, quæ per Literas sive a Provinciali, sive a quovis Monacho sibi commendabuntur, quæque a Proto-Archimandrita resolutione indigebunt, Eidem Proto-Archimandritæ sive in Consultatione, si opus fuerit, sive extra Consultationem exponant.

XII. Actorum Ordinis scribentorum laborem æquo inter se jure partiantur ita, ut e. g. per Annum, uno Acta diurna scribente, & in Epistolis gravioribus texendis operam Proto-Archimandritæ dicante: Altero Consultationum Decrēta Litteris consignante, alii duo spatio ejusdem temporis interquiescant: Et vicissim his altero Anno scribendi provinciam sustinentibus, illi duo quietem capiant.

XIII. Porro quorum erit muneris Acta scribere, ad ipsos eo tempore pertinebit, etiam excerpta ex Actis necessaria dare, sigillorum curam gerere, & circa ipsa se subscribere.

De iis, quæ Personas eorum concernunt.

XIV. Proto-Consultor, sive Comprovincialis Proto-Archimandritæ Consultor, sciat in casu, quo Proto-Archimandritam ante præfinitum magistratus sui tempus, mori, vel ad Episcopatum assumi contigerit, ad se Vicariam Congregationis gubernationem pertinere. Præerit proinde illo casu Vicarii Generalis nomine Congregationi pleno jure usque ad lapsum Proto-Archimandritalis turni, iisdemque facultatibus omnibus in administranda Congregatione, quibus ipse Proto-Archimandrita, gaudebit.

XV. Non aggredietur tamen prius munus suum, quam juramentum de servanda fide, & obedientiam dixerit in verba juramenti ipsi Proto-Archimandritæ præscripti, præsente reliquo Consultorio Generali.

XVI. Jn casu autem prædicto, intelligat, se teneri etiam Metropolitæ debitum servare honorem & reverentiam, Eum, antequam capesset munus Vicariatus, de obitu Proto-Archimandritæ, vel ascensu, certiorem faciendo.

XVII. Quodsi contigerit ipsum Vicarium Generalem mori, aut ad Episcopalem

ſcopalem evehi gradum, tunc Comprovincialis Ejuſdem Conſultor Generalis, tanquam ante electionem futuri Vicarii Congregationis Præſes convocatis Provinciarum Conſultoribus, deliget una cum iiſdem & reliquo suo officio Generali ad suffragia medietate plura, eaque jurata, Virum ſive ex præſentibus, ſive ex abſentibus ejuſdem Provinciæ, qui muneri par ferendo magis idoneus in Domino videbitur. Sic electus autem Vicarius præerit Congregationi pleno, ut dictum eſt de Primo Conſultore, jure, Servareque tenebitur, quæ Regula XIII. & XIV. hic dicta sunt.

XVIII. Dum alius etiam quicunque Conſultor Generalis, ſive mortis cauſa, ſive propter repugnantem officio gradus Epiſcopalis acceſsionem, locum deſerit ſuum, pariter sunt cogenda Provinciarum Conſultoria, ut una cum Conſultorio Generali per secreta medietate plura suffragia deligant sufficiendum, etiam, ſi placuerit, ex abſentibus, dummodo sufficiendus ſit idoneus, & Alumnus Ejusdem Provinciæ, ac poſt ſui electionem juramentum in manibus Proto-Archimandritæ ſive Vicarii Generalis conſvetum edat.

XIX. Vicarius, & quicunque Conſultor Generalis, dum Epiſcopali dignitate donabitur, ea omnia se præſtare debere intelligat, quæ ab ipſo Proto-Archimandrita ad Epiſcopatum vocato, poſcit ejuſdem Regula XI.

XX. Morte sequuta cujuſcunque Conſultoris Generalis, omnis supellex, quam ad uſum habuit, ad eam pertineat Provinciam, ex qua vita functus electus fuit.

Regulæ Procuratoris Generalis in Urbe.

I. In negotiorum procuratione diligens, fidelis, ac circumſpectus ſit, ſtudeatque eos benevolos ſibi reddere, ac conservare, quorum opera ac negotia peragenda uti eſt neceſſe.

II. Nullum negotium, quod univerſam Congregationem reſpicit, aut aliquam ejus Provinciam tangit, aggredi, aut intentare audeat, niſi obtenta ad hoc in Scriptis Proto-Archimadritæ diſpoſitione.

III. Negotia quoque particularia Monaſteriorum, quæcunque a Superioribus eorum commendantur, ſi ſint gravioris momenti, nunquam agere incipiat, niſi a Proto-Archimandrita, vel a Provinciali fuerint approbata, & ipſi commiſſa.

IV. Det operam, ut recte & solide fiant, quæ gerenda sunt. Quare ſi juris periti conſulendi sunt, quam maxime idonei conſulantur, taleſque etiam eligantur Curiales, dum res per illos tranſigenda occurret.

V. Proto-Archimandritam sæpe per Litteras faciat certiorem de negotiis, quo in ſtatu ſint, & quæ eorum gratia facit, præſertim, ſi ob rerum difficultatem

difficultatem extraordinariis adjumentis opus foret, id eidem omnino significet, & auxilia, quæ ipsi opportuna visa sunt, exposcat.

VI. Summo curabit studio, ut Archivium Ordinis, quod in Residentia Romana reperitur, tam quod a Prædecessore suo sibi traditum est, quam quod sub ipso accrescit, bene instructum & compositum, in Cubiculo ab igne tuto, nec humido, asservetur, & Successori, quam fidelissime consignetur.

VII. Litteras a Proto-Archimandrita ad se scriptas fideliter tractet, habita ratione secreti, quod ipsis deberi intelliget.

VIII. Et quoniam etiam Rectorem Romanæ Domus agit, idcirco Regulas Superiorum Localium officio proprias exacte legat, ut quæ in illis præscribuntur, deligenter exequatur.

IX. Suo defuncturus officio, antequam rationem accepti & expensi remanentis, totiusque rei domesticæ, ac Ecclesiasticæ Successori reddet, conficiendum curabit rerum omnium Inventarium, & statum temporalem domus, in quo eam ipse suscepit, & in quo Successori regendam traditurus est, hæcque omnia ante Capitulum Generale perficere curet, ut Successori in eodem electo exemplar unum tradendum, alterum ad Proto-Archimandritam deferendum, & a novo Procuratore subscriptum in promptu habeat.

X. Caveat Hospitium SSm Sergii & Bacchi, cui præest, alieno ære gravare sine consensu Proto-Archimandritæ, & Beneplacito Sæ Sedis Apostolicæ, quinimo curet promovere augmentum proventuum, cum hoc titulo e Provinciis subsidium quotannis sit percepturus.

XI. Ante lapsum turni, Procuratore Generali in Urbe vel mortuo, vel ad dignitatem cum officio suo non consentiente, promoto, alium ex eadem Provincia, ex qua ipse fuit creare pertinebit ad Proto-Archimandritam cum suo Officio Provinciarumque Consultoriis ad modum Regulæ XVI. Consultorum Generalium.

XII. In Consultationibus Generalibus, dum post sui electionem iis interest, locum post Consultores teneat, eodemque loco Acta Capituli Generalis subscribat.

Regulæ Visitatoris Provincialis.

De iis, quæ Personam & Potestatem ejus concernunt.

I. Singulis Provinciis suus sit immediatus Præses, qui subjecta sibi Monasteria sub nomine Visitatoris Provinciæ vel Superioris Provincialis in singulos annos lustret, bono eorum spirituali atque temporali prospiciat: Monachos prout res postulaverit mutet, Officiales Monasteriorum instituat, quorum institutio per Constitutiones ipsi commissa est. Is in Capitulo Provinciali, eligatur, & spatio quatuor annorum suam Provinciam regat. Statim vero post sui electi-

 onem

onem super obedientia debita S. Sedi, Proto-Archimandritæ, aliisque quæ formula juramneti continentur, in manibus Proto-Archimandritæ emisso juramento sit obstrictus.

II. Insuper pro certo habeat, quod ait S. Pater Noster Basilius *Reg. Fus.* 30. Plurium curam habere, esse pluribus servire. Quare ut idem ibidem monet, ex hoc ministerio sumat occasionem studii ac solicitudinis, ut tanquam, qui de omnibus subjectis sibi Deo rationem redditurus est, animum attendere, ac solicitus de omnibus esse debeat.

III. Potissimam officii sui curam in eo sitam sciat, ut Provinciam sibi commissam in Monastica perfectione juxta Congregationis Institutum promoveat, videatque, ne Monachi subjecti officio desint suo.

IV. Magna voluntate in bonum commune Provinciæ suæ procurandum feratur, animoque sit forti, ut nullis retrahatur arduis ab eo, quod muneris sui esse intellexerit.

V. Præter facultates, quæ in his Regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ de jure quasi Episcopalis jurisdictionis sunt, quæque in concessionibus Apostolicis Congregationi nostræ factis, Provincialibus attribuuntur, quas ex iisdem cognoscet. Non potest tamen in Provincia etiam ex undecim Clementinis ullos casus reservare, sicut nec veteres toti communes Provinciæ consuetudines abrogare.

VI. Caveat etiam quampiam novitatem inducere, nisi ea in commodum Provinciæ cessura videretur, & censeatur prudenter a Capitulo Provinciali probanda.

VII. Equos, currus, & cætera necessaria utensilia, durante officio suo curet conservari in bono statu, ita, ut hæc omnia finito officio Successoris usui commode inservitura tradere teneatur.

VIII. Defuncturus officio rationem accepti, & expensi ex contributionum raudo, sciat se una cum Depositario teneri reddere non modo Proto-Archimandritæ, sed etiam suo Capitulo Provinciali, si id postulatum fuerit a Patribus.

IX. In diuturno eoque gravi morbo constitutus, Proto-Consultorem deleget, qui, quæ Visitatoris sunt, & ab ipso impleri non possunt, sumptibus raudi Provinciæ communis expleat: in aliis vero casibus legitimi alicujus impedimenti, quem in Domino judicaverit, delegare poterit, dummodo is sit delectus vel ex suis Consultoribus, vel ex Superioribus Monasteriorum, vel si ratio distantiæ loci suaserit, poterit delegare qualemcunque Virum Religiosum gravem & exemplarem, præcipue autem ex numero benemeritorum. Quemcunque autem delegaverit, nulli potestatem mutandarum Personarum faciet, ita, ut nec Proto-Consultor

Consultor delegatus mutare possit, sed vel per se, vel per Litteras, dum res mutationem poscet, ad Visitatorem ipsum recurrere teneatur; nisi urgens causa aliter suaserit, Visitatori tamen statim referendo. Sic delegatus autem iis omnibus stringatur obligationibus, quibus adstrictus ipsemet delegans Visitator.

X. Si nondum expleto officii turno ad alium gradum, qui cum suo officio componi nequeat, promoveri eum contigerit, intelligat se statim, ac certam suam promotionem intellexerit, teneri ad accepti, & expensi strictam reddendam rationem, omniaque autographa, munimenta & documenta Provinciæ, sive Monasteriis servientia, si apud se fuerint, nec non Acta officii sui, & Libros scrutiniorum ad respectiva tabularia restituenda.

De iis, quæ juvant ad rectam Provinciæ administrationem.

XI. In Consultationibus suis agat ad eum modum, qui præscriptus habetur in Regulis Proto-Archimandritæ xv. xvi. & xvii.

XII. Ultra accuratam notitiam Regularum S. Patris Nostri, communium Constitutionum, & consuetudinum Provinciæ suæ propriarum, crebra lectione reddat sibi perspectas etiam Regulas, quæ singulis officialibus, & Monasteriorum Ministris præscriptæ sunt.

XIII. Sit diligens in Decretis Capitulorum Generalium, & ordinationibus, quas Capitula statuunt Provincialia per Monasteria Provinciæ suæ publicandis, ut neminem lateant, sed serventur ab omnibus, a quibus servanda sunt.

XIV. Ut opera aliorum adjutus facilius scribere & tractare possit, quæ agenda & scribenda sunt, poterit, præter Secretarium Provinciæ suum Socium, alium habere Monachum, qui ipsi a scribendo sit, dummodo hic Monachus de servanda secreti fide jusjurandum det.

XV. Singulo trimestri rationem accepti, & expensi ex raudo Contributionum à Depositario exigat, ut Contributionum ratio ipsi constet, eamque ipse reddere possit, cum per Constitutiones nostras facienda est.

De Superioribus Officialibus, & Ministris Monasteriorum, nec non Dispositionibus Personarum.

XVI. Quamvis Superiores Monasteriorum, quæ jure ferendi in Capitulis suffragii gaudent, in sua Provincia nequeat constituere; potest tamen, data causa, in judicium eos vocare, & urgente necessitate, suspendere, aliosque, qui vices ipsorum obeant, interim constituere, donec, Proto-Arhimandrita per recursum admonitus, novum cum potestate Superiorem provideat.

XVII. Quoties providenda Monasteria Vocalia fuerint Superioribus, recurrat semper ad Proto-Archimandritam eo modo, qui præscribitur in Regulis Proto-Archimandritæ.

XVIII.

XVIII. Ipſius eſt Præſides Monaſteriis non Vocalibus præficere, eos etiam mutare, & privare ex cauſa juſta, ad plura tamen ſuffragia ſui Conſultorii.

XIX. Vicarios autem quorumcunque Monaſteriorum, Ordinarios noſtrorum Confeſſarios, Gymnaſiarchas, Concionatores, Eccleſiarchas juratos, Magiſtros, ac Profeſſores in omnibus claſſibus, æconomos, & cellarios ipſe deſignabit.

XX. Magiſtros Novitiorum, & alios quoſcunque Officiales, qui juxta ſchedam ſuarum comparatè Provinciarum jus ſuffragandi habent in Capitulis, ipſe deligere poterit, ſed una cum ſuo Conſultorio.

XXI. Ipſius eſt, Superioribus Vocalium Monaſteriorum a Proto-Archimandritali Officio conſtitutis, Litteras obedientiales extradere, Inſtallatores deſignare, nec rem hanc longius, ultra menſem producere.

XXII. Satagat impenſe, ut in Monaſteriis Monachi colant revereanturque Superiores ſuos, unde neminem ab obedientia eorum eximat, nec immunitates aliquas permittat, quæ præberent ſubjectis occaſionem, ſuis Præſidibus refragandi.

XXIII. Quos ad graviora, & majora officia idoneos obſervaverit, ad minora prius munia exercenda admoveat, quo liquido conſtare poſſit, ſuum ipſorum talentum, niſi aliunde de idoneitate ad hujuſmodi munia Perſonæ conſtet.

XXIV. Univerſim etiam, quemcunque ejuſmodi ſtudiis & officiis applicare ſtudebit, ad quæ quis magis idoneus judicabitur; hac quippe in re habenda ſemper erit ratio communis boni potius, quam Perſonæ.

XXV. Quos dotibus ad concionandum, & Sacras Miſſiones exercendas præſtare viderit rarioribus, multo magis, quos ipſos Dei ductu in hoc munere Apoſtolico vitam Deo dicare velle intellexerit, permittat, imo curet, ut ſecundum ſuum talentum, ſive votum obſequio, ac gloriæ Dei ſe ſe addicant, nec facile eos ad alia traducat ſtudia, niſi graviſſima aliter ratio poſtulaverit.

XXVI. Item, quos docendo Rhetoricam, aut alias Scholaſticas artes magis, quam in alio munere juvare, ac ornare poſſe Familiam Congregationis in Domino judicaverit, ipſique in his Litteris docendis terere vitam velint, ſi aliud nihil obſit, ſtrenue ad id applicet, horteturque diligenter, ut ſe totos majoris Divini obſequii cauſa, tam ſalutari impendant officio.

XXVII. Monachos ſemel tantum in Anno, ſi mutandi opus fuerit, mutet, ac diſponat, niſi neceſſitas gravis aliter ſuaſerit, idque eo Anni tempore, quo ſine incommodo Monaſteriorum, & Monarchorum, imo etiam ipſorum vectorum, iter confici poteſt.

XXVIII. Monachos ita diſponat, ut in ſingulis Monaſteriis non plures alantur, quam quot ex fixis eorum reditibus ali poſſint; imo profuerit interdum ali pauciores, ut ſi forte ære alieno gravetur Monaſterium, id, quod ſupereſt

ex reditibus

ex reditibus, in dissolutionem ejusdem æris impendatur.

XXIX. Caveat, ne ad dissita procul Monasteria absque gravi necessitate Monachi disponantur: neve Litteræ obedientiales cum fenestrellis, ut ajunt, apertis, extradantur, sed expresse scribendum curet nomen Monachi, & Locum, quo jussu suo discedendum est.

XXX. Missionarios ita disponat, ut cum mutandi fuerint, uno amoto, alter relinquatur, qui novum missum sibi Socium paulatim ad id muneris formet, & veluti futurum hæredem methodi suæ instituat.

XXXI. Monachos ad curanda negotia Sæcularia, qualia sunt Commissariorum, Administratorum, Exequutorum testamenti, & id genus alia, nunquam admoveat, nec admoveri sinat, quamvis in rem Monasterii alicujus, fructus aliqui inde redundaturi sperarentur. Præstat enim juxta monitum S. Patris nostri *Reg: Fus:* 44. in rerum necessariarum penuria, omnem angustiam ad mortem usque perpeti, quam ut gloriam nostram quis evacuet.

XXXII. Curet, ut in prædiis præsertim, quibus cura animarum est annexa, minimum duo nostrum commorentur, qui sibi tam conversationis, quam integritatis vicissim esse valeant testes, ac admonitores.

XXXIII. Etsi Legibus nostris cautum sit, ut etiam officium minorum Præsidum, sive Superiorum non Vocalium duret a Capitulo ad Capitulum, hoc est, ut spatio unius quadriennii habeatur definitum, poterit tamen cum voto suorum Consultorum iis, quos vere idoneos, ac Monasteriis suis utiles intellexerit, regimen ex uno quadriennio in alterum pro majori locorum bono prorogare, quemadmodum non expectato exitu quadriennii, ex gravi, justa, & urgenti causa, locis suis movere, ac privare.

XXXIV. Ad privationem tamen Præsidum non veniat, nisi gravissimæ rationes communicandæ ac serio examinandæ a Consultorio integro ad amovendum suaserint, & istud in mutationem, consenserit.

De Novitiis professuris & recens Professis.

XXXV. Poterit Clericos nostros, qui Annum probationis explerunt, si idonea ad professionem faciendam ætate destituti fuerint, vel studiis Litterarum, si sint ad ea apti, interim addicere, vel Monasticis ministeriis, quibus obeundis pares sunt, applicare, idque sive in Monasterio Novitiatus, sive in alio, donec Annum ad valorem Professionis requisitum assequuti fuerint.

XXXVI. Sciat, ad hoc, ut Novitii nostrum solemniter profiteri institutum possint, præter consensum Capituli, quod Monasteriale dicitur, requiri quoque suum; quem nunquam præstet Clericis Novitiis, si tantum in doctrina

 Christiana

Christiana progressum non fecerint ; quantus est necessarius ad eandem rudibus , bene & fundate tradendam .

XXXVII . Recenter Professi , ut spiritum , quem in prima sui in Novitiatu institutione hauserunt , non deperdant , imo in ea solidiora capiant incrementa , sciat ad secundum Tyrocinium statim solemnibus votis nuncupatis , mitti a se debere , ut in spiritu per Triennium roborentur .

XXXVIII . Proinde Clericos Litteris capessendis idoneos mittat , habita ratione capacitatis suæ ad Monasteria , ubi Litterarum studia pertractantur , curetque , ut ibi in loco ab antiquorum Professorum habitatione separato , sub disciplina arctiori , ac sub cura moribus & doctrina , rerumque spiritualium peritia præstantis Magistri agant , juxta Regulas Magistro Neoprofessorum præscriptas .

XXXIX . Clericos ad studia Philosophica minus aptos mittat pro discenda Theologia Morali , curetque , ut sub exacta arctioris disciplinæ observantia in Regulis Magistri Neoprofessorum præscripta , ab ipso Professore procuranda , trienni vel saltem bienni spatio ibi maneant .

XL . Laicos recens Professos ad majora mittat Monasteria , ubi exacta ob majorem Monachorum copiam spiritus fovendi , atque ampliandi offert se facultas , ut sub cura Vicarii , qui Magister ipsorum esse debet , maneant , & obsequia exerceant , quæ spiritus profectum non impediunt .

XLI . Clericos , qui iam exacto studiorum cursu ad vitæ nostræ Monasticæ institutum accesserunt , ac solemniter illud professi sunt , applicet ejusmodi muniis , & obsequiis , quæ spirituali profectui minimum obstant , & per triennium detinendos curet in exercitio humilitatis , illiusque disciplinæ arctioris , in qua cæteri Clerici Neoprofessi nostri manere obligantur .

XLII . Sciat autem nullum Neoprofessum , non expleto secundo Tyrocinio , licere sibi mittere extra Provinciam pro studiis addiscendis , aut intra Provinciam pro eisdem docendis , nisi id urgens postulaverit ratio .

De Studiis Litterarum .

XLIII . Peculiari cura nitatur , ut quod agere ipsum volunt Regulæ , officio suo in ratione Studiorum præscriptæ , eo impensius effectum reddat , quo planius est , scientiarum a nobis rationem quam maximam haberi debere .

XLIV . Studiose inquirat , num lectiones in Scholis nostris , & Scholasticæ exercitationes diligenter suo tempore , & ordine habeantur , & si quid emendandum judicaverit , per Ordinationes corrigere non omittat .

De promovendis ad Ordines & in Confessarios .

XLV . Nemo Sacros Ordines audeat suscipere sine sua facultate , & commendatione

commendatione, quam quidem impertiatur illis tantum, quos idonea ætate, probis moribus, & sufficienti doctrina instructos repererit.

XLVI. Caveat, ne ad Ordines promoveantur, 1. qui aliquam rudiorem artem profitentur: 2. ii, qui nondum neoprofessorii, sive secundi Tyrocinii curriculum confecerunt. 3. qui licet secundi Tyrocinii tempus compleverint, & in practica Theologia versati sunt, sufficientem tamen tonorum chori nostri, ejusque dirigendi scientiam assecuti non sunt.

XLVII. Ut de sufficienti uniuscujusque ad Ordines suscipiendos doctrina constare possit, ipse, si commode potest, Ordinandos examinet, sin minus, destinet idoneos Viros alios, qui præstito juramento de sincere ferendo judicio, diligens doctrinæ, & aptitudinis ipsorum faciant periculum.

XLVIII. Judicatos per examen dignos, qui Sacris initientur, committat alicui Monacho, ut illo Magistro, bene addiscant Sacras Ecclesiastici nostri ritus ceremonias. Dum vero ad recipiendos Ordines ad locum Cathedræ mittentur, curabit, ut secum deferant testimonium Baptizmale, commendabit vero Superiori Monasterii ejus loci, vel vicinioris cujuspiam Cænobii, ut ibi aliquo instructore, etiam in iis docti evadant ritibus, qui iuxta Pontificale sunt servandi ab ipsis circa receptionem ordinum.

XLIX. Ut Sacramentum quoque Pœnitentiæ ea peritia, quæ decet Dispensatores Mysteriorum Christi, administretur, neminem ad excipiendas fidelium Confessiones curabit exponendum, quem prius vel suo, vel pariter juratorum Examinatorum judicio Confessionibus audiendis idoneum non censuerit.

L. Quo vero eadem regendarum conscientiarum peritia magis alatur, curabit, ut dum visitat Monasterium, per strictum Sacerdotum examen exploret, num lectione casuum conscientiæ privatoque doctrinæ Moralis studio se exerceant, ut ab oblivione vindicent, quæ didicerunt, & se in dies faciant aptiores curæ salutis animarum capessendæ, exercendæque.

De Rebus Monasteriorum.

LI. Etsi novas Monasteriorum fundationes non possit ex integro admittere, sciat tamen sua interesse videre, quibus, & an tolerandis conditionibus offerantur, quo Provinciæ commodo, quo, & an salubri in loco, ut hæc omnia ad Capitulum Provinciale referat, cujus est negotia novarum fundationum expendere, & non nisi stricte servatis omnibus, quæ Canonibus, & Patriis Legibus caventur, ad ultimum transigere.

LII. Quodsi Provinciale Capitulum commode expectari non potest, puta ob difficilem, ac periculosum Fundatoris morbum, vel non esse cunctandum ex alia gravi causa intelligat, ad Proto-Archimandritam tunc recurrere sibi licere

licere, ut is Vice-Provincialis Capituli videat, & statuat, quod statuendum de nova fundatione in Domino judicaverit.

LIII. Superioribus novi alicujus ædificii, sive latericii, sive lignei, si majoris momenti est, moliendi, uti & veteris cujuspiam notabilis operis demoliendi, potestatem nunquam faciat, nisi prius certior fiat de vera necessitate ejusmodi operis, sive construendi, sive disturbandi, idque re communicata suo Consultorio ejusdemque voto exquisito.

LIV. Nec permittat aggredi novas majoris momenti erectiones, nisi ad modulum a perito Architecto delineatum, & tam a se, quam suo Consultorio recognitum.

LV. Curet autem Provincialis, ut duos vel plures Monasteriorum modulos ita a peritis Architectis effictos habeat, ut in iis, quæ ad Monasticæ habitationis commoditatem pertinent, suo quæque loco, ac ordine posita conspici possint, quoad eorum ideas, quantum situs locorum aliaque adjuncta pati poterunt, Superiores coformare constructiones suas enitantur.

LVI. Ad sumptus non necessarios in Monasteriis resecandos diligenter sub tempus visitationis inquirat: An habeantur in illis superflua ex: gr: quorum equi, famuli inutiles, Alumni ett: Tum an in ratione victus, & vestitus & in itineratione Superioris, in excipiendis hospitibus, in supellectili domestica sit aliquid, quod speciem luxus, aut fastus præseferat. Et si quid observaverit, illico curet resecandum.

LVII. Si adverterit Superiorem subsidio indigere viri rei temporalis administrandæ periti, curabit ut vel Vicarius, vel Æconomus sat in æconomicis versatus ipsi adjungatur, ne res familiaris Monasterii aliquod detrimentum capiat.

LVIII. Ære alieno non permittat gravari Monasteria, nisi prius urgentissimam causam, & necessitatem per Consultores Monasterii examinatam, & perpensam, nec non modum restituendi habita ratione redituum, & eleemosynarum probe intellexerit.

LIX. Ad rem familiarem per suam Provinciam promovendam, curet stricte & serio examinari libros rationum, nec sit contentus duntaxat scire, quantum sit expensæ pecuniæ, & quantum acceptæ, sed etiam diligenter videat, quantum, & unde acceptum sit, quantum, & in quibus rebus sigillatim, & quam necessariis sit expensum.

LX. Inquirat etiam in debita tam activa, quam passiva, cujusque Monasterii, intelligereque bene curet statum Monasterii; Quare conferat statum Anni præsentis cum statu Anni præcedentis, & videat, num aliqua acciderit muta-

sit mutatio in melius, vel deterius.

LXI. Det operam, ut in quolibet Monasterio pro facultatum suarum modo, certa laterum cæmentorumque quantitas sive ad novam ædificationis constructionem, sive ad constructorum conservationem, sive denique in emolumentum Monasterii quotannis apparetur.

LXII. Dum vel de summis levandis, vel negotiis, quæ alienationem non involvunt, transigendis, vel juribus Monasteriorum vindicandis, agitur, semper videat, quid expedientius futurum sit, detque operam, ut lites, pro rebus præsertim temporalibus a nostris devitentur, nisi de jure nostro manifeste constaret, nec justa transactione, vel concordia res componi posset; Tunc enim se suaque defendere in judicio permitti debent.

LXIII. Præter solitæ pro impensis itinerum contributionis pensum, caveat, ne a Monasteriis munera, aliqua pro se, & famulis directe vel indirecte exigat, multo magis ne extorqueat, præter pauca victualium subsidia, quæ offerri possunt.

LXIV. Dum sine magno incommodo potest, bona stabilia extra Monasterium inspicere non omitttat, ut cognoscat, quo res eorum loco posita sit, & num non egeant meliori instauratione, vel meliori cultura.

De iis quæ ad observantiam Regularem, curam nostrorum in spiritu, & juvandos proximos pertinent.

LXV. Satagat impense, ut in Monasteriis exequutio eorum urgeatur, quæ Constitutionibus, sive communibus, sive peculiaribus præcipiuntur, utque usus Epitimiarum, sive animadversionum, juxta Leges nostras pœnales in transgressores Legum, præsertim quos Paterna non corrigunt monita, vigeat, servato ordine, qui in iisdem legibus præscribitur.

LXVI. Curet autem, ne quem præscriptus pœnalium rigor prætereat, ut spe indulgentiæ præcisa, omnibus palam fiat, non ea quæ arrident tantum, servanda esse, sed ea omnia, quæ unicuique præcipiuntur.

LXVII. Paterna omnes complectatur charitate, atque per consociationem mansuetudinis cum sua authoritate, se amabilem omnibus reddere studeat, ut fidenter ad illum in rebus præsertim spiritus recurrere possint.

LXVIII. Curet etiam, ut mutua charitas, unio, & conformitas in Monasteriis, secundum præscriptum Regulæ & Constitutionum foveatur, nec omittat animadvertere serio in pacis turbatores, sicubi tales deprehenderit.

LXIX. Attendat, ut quæ circa Votum paupertatis a nostris servanda, Legibus nostris statuuntur, plenam executionem omnino obtineant.

LXX. Tametsi vero par est nostros, voto paupertatis obstrictos,

 curare

curare solicitè, ut dum facultatem utendi rebus fieri sibi sub tempus primæ Canonicæ visitationis petunt, animo (utique vi voti sui) sint parati Visitatoris arbitrio de rebus suis acquiescere; caveat tamen Visitator, ne de rebus cujuspiam Monachi, authoritate sua arbitretur, neve, aut usum, quem petit, ipsi deneget, aut quid ad alios traduci usus mandet, nisi compertum probatumque habuerit abusum, aut ex alia gravi, justa, & urgente causa id expedire prudenter in Domino judicaverit. Quodsi quando ita forte statuere necesse habuerit, caveat ne ad suum commodum, sive usum rem quampiam convertat, sed Monachi ipsius libertati relinquat, rem ad præscriptum Constitutionum nostrarum, cui, & quem in finem voluerit, applicandi Monasterio.

LXXI. Videat ubique sub tempus visitationis, num Obligationibus Missarum diligenter satisfiat. Quodsi alicubi numerum Missarum majorem repererit, quam ut possit ei facile intra breve tempus celebratione responderi, tot tantum Communitati hujus Monasterii Sacra facienda relinquat, quot intra Trimestre persolvi possunt; reliquum vero cum stipendiis ad aliud vicinius Monasterium transferri jubeat, nisi egestas Monasterii aliter subveniendum Obligationibus suaserit.

LXXII. Si quando ad benevolentiam insignium hominum conservandam, vel ad gratitudinem Benefactoribus exhibendam Sacra indicenda sunt, id aliter non faciat, nisi de consilio & assensu suorum Consultorum.

LXXIII. Quemadmodum Superiores locorum ipsum certiorem de obitu uniuscujusque Monachi facere obligantur, ita se teneri & ipse sciat, Indicem vita functorum in Provincia cum Proto-Archimandrita, cumque suis communicare Monasteriis, ut statuta Sacra in subsidium Monachorum demortuorum, longius, quam par sit, non differantur.

De ratione, qua cum Proto-Archimandrita aliisque Provinciis agendum est.

LXXIV. Cum Proto-Archimandrita, charitate, humilitate, & obedientia tam judicii, quam voluntatis curet esse semper conjunctus, existimetque suum esse ejusdem tam apud Monachos suos, quam etiam apud extraneos authoritatem tueri, nec non suam, & eorum in illum benevolentiam, & amorem conservare.

LXXV. Fidelis autem præ primis ei esse studeat, quam quidem fidelitatem observabit, si in rebus ad Institutum pertinentibus regi se a Proto-Archimandrita sinet, si nihil gravioris momenti, præter ejus sententiam, quoties hæc explorari possit, aggredietur, si candide significabit ipsi, quidquid in Provincia, & ejus partibus observaverit, quod sua indigeat providentia.

LXXVI. Singulis Annis eidem Proto-Archimandritæ reddat rationem Visitationum suarum, Acta eorundem Visitationum cum scrutiniis eidem Proto-Archimandritæ

mandritæ exhibendo, ut capiat informationem, in quo statu unumquodque Monasterium, & Persona versetur.

LXXVII. Catalogum quoque Personarum suæ Provinciæ quotannis tradere eidem tenetur, ita confectum, ut quis, ubi, & quid agat facile ex eo cognoscatur; & si contigerit influxu Anni mutationes Personarum facere, eas eidem referre curabit.

LXXVIII. Non omittat quoque crebro Litterarum commercio suam erga Proto-Archimandritam testari fidem, perspecta ei faciendo omnia, quæ decere eum scire de sua Provincia intellexerit.

LXXIX. Litterarum communicatione, illorum quoque, qui aliis præsunt Provinciis, Visitatorum charitatem conciliare sibi studeat, ut in Congregatione nostra animorum unio, & concordia quam maxime vigere cognoscatur.

LXXX. Cum dederit se occasio alias juvandi Provincias, sciat se charitatis facturum exercitium, & maximum operæ pretium, si occasioni non defuerit, dummodo Provincia sua necessariis non destituatur Ministris.

LXXXI. Itinerum autem expensas solvere intererit ejus Provinciæ, in cujus bonum, & utilitatem cedet professio.

De Visitatione.

LXXXII. In singulos Annos singula suæ Provinciæ Monasteria obeat, videatque, num omnia tam in spiritualibus, quam in temporalibus secundum Institutum observentur, idque juxta formulam Canonicæ Visitationis Constitutionibus nostris præscriptam.

LXXXIII. Licet, cum ipse omnia Provinciæ suæ Monasteria ob causas graves lustrare non possit, delegare alios valeat, qui illius vice ea loca visitent, quæ adire ipse non potest; det nihilominus operam, ut ea ipse omnia per se, & singulari cura inspiciat Monasteria, quæ vel Tyrocinia habent, vel Seminaria Studiorum alunt.

LXXXIV. Etsi Abbatum Personas, bonaque Abbatialium Monasteriorum visitare non possit, nisi quando a Proto-Archimandrita ad id muneris delegaretur; Ipsius tamen est visitare jure suo Personas Monachorum, qui in ipsorum degunt Monasteriis, & si quid opus judicaverit, pro ipsis ordinare.

LXXXV. Statim, ac intimaverit visitationem, communem Monasterii vitam sequatur, & nec a choro, nec a mensa communi abesse studeat.

LXXXVI. Monachos vocatos ad scrutinium interrogaturus, ad veritatem ingenue dicendam cohortetur, ne malorum, quibus ipsi mederi non possunt, silentio tamen dissimulanda putant, culpa, ita sentiente Sancto Patre, in ipsos conferatur; Admoneat autem, ut silentio tegant, si quid in scrutinio vel dixerint

sint vel acceperint, quod secreto servari debeat.

LXXXVII. Bene expendat, quæ contra alios, ac præsertim Superiores dicuntur, ut nonnisi veritatem assecutus, fidem dictis adjungat; ne facile credendo, Monachorum erga immediatos Superiores obedientiam, atque reverentiam imminutum eat.

LXXXVIII. Si quid ex transgressionibus Constitutionum, & Regularum, visitando cognoverit, quod medicina adhibita sanari statim possit, ante suum e Monasterio discessum executioni mandari jubeat, ut Monachi, quæ muneris sui sunt, incipiant cum svavitate implere, Superiores vero non desinant majori efficacia executionem urgere.

LXXXIX. Caveat, ne quam causam sub tempus visitationis, inter Monachos judicandam suscipiat, quæ non fuerit a Superiore loci cognita, & ipsius arbitrio composita, nisi aut justam & solidam rationem omissæ a se delationis Superiori suo allegaverint, aut Superior illam cognoscere omiserit vel neglexerit.

XC. Moram suam in visitationibus, non facultatum, quæ cuique Monasterio suppetunt, conditione, sed necessitate metiatur, diutius proinde visitando, non moretur, quam revera fuerit necesse.

XCI. Extra visitationem vero, quoties alterius cujuspiam Monasterii causa aliquod adibit Monasterium, post unum alterumve hospitalitatis diem, quandiu ibi aget, impensis ejus Monasterii cum equis, & familia sustentabitur, in cujus utilitatem cedit ipsius commoratio.

XCII. Ad iter agendum equis, quantum fieri poterit, utatur paucis, nec adhibeat unquam plures, quam quot, juncta necessitati permittit consuetudo. Id quod etiam Abbates servare tenentur, dum Provincialium munere funguntur.

XCIII. Viros auctoritate præstantes, & qui de Monasteriis nostris, quæ visitat, benemeriti sunt, propter conservandam eorum erga eadem Monasteria, & Provinciam, benevolentiam, quoties expedire cognoverit, visitare non omittat.

XCIV. Acta scrutiniorum seu Visitationum ad suam curam pertinere sciat, quæ ita conservari curet, ut secura reddantur ab imspectione cujusvis Religiosi, multo magis extranei.

Regulæ Consultorum Provincialium.

De iis, quæ generatim ad omnes pertinent.

I. Maximi & primi in munere Provinciali adjutores sunt Consultores, qui residere tenentur in locis non plusquam bidui itinere a se dissitis, ut commode vocari possint, ubi res gravioris momenti cum ipsis communicandæ sunt.

II. Cum idem munus gerant in suis Provinciis, quod Generales in universa Congregatione Consultores, & jure decisivi suffragii, æque atque ipsi gaudeant.

dare

dare operam connitantur, ut proportione quadam ea observent, quæ in Regulis Consultorum Generalium propriis sunt præscripta.

III. Studeant diligenter, ut non modo peculiari charitate, & animi dimissione, sed vera etiam obedientia cum Provinciali suo sint conjuncti, atque apud omnes tam nostros, quam exstraneos authoritatem ejus cum reverentia tueantur.

IV. Se quoque mutuo vera prosequantur charitate, nec cum contigerit aliquem in Consultationibus in diversam vel singularem abire sententiam, ausit ullus quidpiam ex eo offensionis capere, aut animi aliquam alienationem re, verbo, sive vultu indicare.

V. In designationibus Præsidum ad minora Monasteria, deputationibus Magistrorum Novitiatus, & aliorum, qui ex officio vocalitatis jure gaudent, suffragia sua ferant secreto.

De iis, quæ Personas eorum concernunt.

VI. Dum munus Provisitatoris ad Ptoto-Consultorem morte vel ascensu Provincialis defertur, meminerit illud statim auspicari, sed Proto-Archimandrita facto primum de illo obitu certiore.

VII. Quodsi aditus ad Vicariam Provinciæ administrationem Ecclesiastica Provincialis promotione patefiat, sciat se de ea administratione capessenda a Proto-Archimandrita admoneri primum debere, ut certius nimirum omnibus constet, Provincialem in Nominationem sui consensisse, atque eo ipso se procuratione Provinciæ abdicasse.

VIII. Quocunque autem casu, hoc scilicet, sive illo ad gubernationem Provinciæ admovebitur, reget ipsam Provinciæ Vicarii nomine, ea tamen omni, qua Provincialis ipse, authoritate, atque Legibus iis omnibus, quæ in Regulis hujus officii propriis descriptæ leguntur.

IX. Ad primam ejus curam pertinebit numerum Consultorum, de quo ipse detrahitur, instaurare: Quod faciet una cum reliquo Consultorio in ordinem Consultorum adlegendo Virum ad præscriptum justitiæ distributivæ, & per suffragia medietate plura.

X. Delectus ad hunc modum Consultor tertium inter Consultores locum teneat, ad Primi vero Consultoris locum semper gradum faciat secundus Consultor; minime tamen sibi competere sciat munus Provisitatoris, si hunc mori vel ad dignitatem incompatibilem promoveri contigerit. Sed tali in casu tenebitur omni mora postposita de eodem certiorem reddere Proto-Archimandritam, ejusque officium, ut is, vel temporaneum designet Provisitatorem, si quæ obstacula fuerint ad accelerandam Vicarii Provincialis electio-

nem, vel eandem faciendam quantocyus statuat, tempore ac loco, a se designandis, nisi id sua sponte aliunde certioratus perfecerit. Atque ita electus in manibus ejusdem Proto-Archimandritæ juramentum solitum Visitatori Provinciæ præstabit.

Regulæ Secretarii Provinciæ.

I. Cum Secretarius Provinciæ habeat in Consultationibus jus suffragii decisivi, & æquo, atque Consultores jure ad Provinciæ consilia pertineat, curet, ut perspectas sibi habeat Regulas Consultorum proprias, & eas diligenter servare studeat.

II. Præterea muneris sui esse intelligat, referre in codicem, quid in unaquaque Consultatione actum, & quid, quibus ex causis decisum sit.

III. Cum vero non solum Secretarius Provinciæ, sed etiam Raudi Provinciæ Depositarius sit, sciat ad se pertinere raudum a Monasteriis ad præscriptum Capituli Provincialis exigere, ac recipere, Syngraphasque solutionis, ubi opus fuerit, a se subscriptas dare.

IV. Qua Socius vero Visitatioris, meminerit se Provinciali omnia veræ charitatis, obedientiæ & humilitatis officia debere, tenerique fidelem ei esse, nihil inscio eo agendo, vel sccribendo; quod ad negotia Provinciæ pertineat.

V. Nullam regiminis sibi partem usurpet, & intelligat se non Socium regiminis, sed laboris tantum esse.

VI. Si quid in Monasteriis, vel in tota Provincia, præsertim vero in Præfectis locorum observaverit, quod Provicialis postulet providentiam, illum commonefacere ea de re non omittat, fidelissimo autem silentio tegat, ac si prorsus nihil sciret, quod is secreto tenendum judicáverit.

VII. Litteras ad Provincialem directas non legat, nisi ipso jubente, aut iam resignatas, sibi tradente.

VIII. Memoriæ causá in peculiari libello notet desideria tam Monasteriorum, quam Personarum, ut cum locus vel tempus iis satisfaciendi se obtulerit, Visitatorem de eo commoneat.

IX. Res etiam consultatione dignas, & quod certo loco, ac tempore a Provinciali præstandum judicaverit, in eodem libello habeat annotatá, sæpeque commentariolum istud suum legendo percurrat, ut agendorum recordatus, etiam Provinciali in memoriam ea reducere possit.

X. De morte nostrorum in Provincia, uti & de Benefactoribus defunctis, nuntium Monasteriis, ut det, sit solicitus; præsertim cum litteras Provincialis nomine scribit. Sed & ipsum Provincialem commonebit, ut dum scribit

scribit, præsertim ad Protó-Archimandritam, defunctorum memor sit, quo statuta quantocyus per Congregationem persolvantur pro ipsis suffragia.

XI. Meminerit dare operam, ut Epistolæ majoris momenti, præsertim inter Proto-Archimandtitam, & Provincialem datæ, ultro-citroque Actis per Amanuensem mandentur, utque etiam ordinariarum summulæ Litterarium iisdem inseri non negligantur, quo Provincialis memoria facilius refricetur, quæ, & quorum postulata fuere, quæ responsa reddita, quæque cuique consilia ab ipso pro opportunitate locorum data fuerint.

XII. Sub tempus visitationis strenuam Visitatori opem ferat in examinandis Libris rationum, in recensenda supellectili Sacra, & profana, in inspectione Provisionum, victualium, & officinarum, observetque errores, aut abusus, si qui circa ea occurrerint, ut certior de iis factus Visitator facilius examinet, statuatque, quod expedire judicaverit.

XIII. Caveat ne munera aliqua a Superioribus, atque aliis Monachis expetat, multo magis ne extorqueat.

XIV. Jpsius est curam habere Chartophylacii, quod officii Provincialis peculiare est. Quare det operam, ut gubernationi Provinciæ necessarios in promptu habeat Libros, uti *1mo.* Librum in quem refertur, quo quis per Litteras obedientiales disponitur. *2do.* Librum, cui mandantur nomina defunctorum Patrum, Fundatorum, & Benefactorum Provinciæ, annotato Anno, Mense, Die, loco obitus, & gradu uniuscujusque. *3tio.* Librum continentem Catalogum Monachorum, quo Religionem ingressi, & professi sunt tempore, quo Sacris initiati, cujus talenti, ubi, quando, quamdiu, & in quo operam Provinciæ præbuerint suam. *4to.* Librum continentem ordinationes, quæ a Visitatore Monasteriis post visitationes observandæ præscribuntur. *5to.* Librum complectentem judicia de Annuis examinibus nostrorum, adnotatis Anno, Mense, loco, & Nominibus Examinatorum. *6to.* Librum, qui indicet, quot quoque Anno accesserint ad vitam Monasticam, eamque professi sint. *7mo.* Librum Pœnitentialem, in quo assignandæ Monachis pœnitentiæ describuntur.

XV. Si Visitatorem mori contingat, neque præsto sit Proto-Consultor, Libros, Litteras, Scripturas ejus omnes in scriniis claudat, & adhibito Monachorum testimonio, obsignet omnia: claves vero apud se retineat tradendas statim Proto-Consultori, qui munus Provisitatoris auspicabitur.

Regulæ Historiographi Provinciæ.

1. Munus istud obibit aut Consultor Provinciæ Præfectura Monasterii non impeditus, aut alius gravis idoneus Monachus, qui pretium istius offi-

cii metiri ex eo debebit, quod seræ posteritati operam suam navet in rebus magni momenti, hoc est in iis, quæ vel aut ad spirituale nostrorum solatium, vel ad utilem Monasticæ, & Ecclesiasticæ Historiæ nostræ Ruthenæ notitiam conferre non parum dignoscuntur.

II. Hinc sciat ad se pertinere, Litteris mandare eventus singulares, qui unoquoque Anno per singula acciderint Monasteria: novas fundationum, si quæ contigerint, accessiones: obitus Fundatorum, vel Benefactorum nostrorum: Emigrationes ex hac vita Monachorum: item inaugurationes Episcoporum nostrorum, Supremos ipsorum dies, tum causas Provinciæ & Monasteriorum, quomodo processerint, & quem exitum habuerint, & quid quid videbitur in Ecclesia nostra, vel in Provincia contigisse tam illustre, ut ab oblivione vindicari omnino mereatur.

III. Exponet autem ista omnia breviter quidem, sed quam planissime fieri poterit, adhibitis omnibus rerum adjunctis, ut historia condi possit, si quando ita opus fuerit. Mortuorum autem non nuda nomina recensebit, sed etiam munera in Provincia obita, & virtutes, quibus maxime præstiterunt, in primis vero, si quid eminuit in ipsis, quod facti non vulgaris commemoratione planum fieri possit.

IV. Nihil exaggerationibus largiatur; solius in omnibus veritatis habeat rationem, nec ponat pro miraculis, quæ miracula non sunt, uti nec pro certis, quæ diligenter comperta non habuerit.

V. Si quid scribendum sit de rebus, quæ ad externos pertinent, ita perscribi, & narrari curet, ut ubique citra ullam cujusquam offensionem legi possit.

Regulæ Chartophylacis Provinciæ.

I. Jstud quoque officium pertinebit, si commode fieri poterit ad Consultorem, præsertim a cura regendi Monasterii vacuum, vel ad alium gravem Patrem, in Emeritorum numero repositum, eundemque juramento fidelitatis obstrictum esse necesse est.

II. Ejus autem erit diligenter curare, ut Chartophylacium Provinciæ, quam optime digestum, & compositum conservetur, in quo extent in primis monumenta universim ad Congregationem nostram pertinentia, uti Capitula Superiorum temporum, Sacra & prophana Rescripta, Diplommata, Privilegia. *Secundo*. Similia monumenta, quæ peculiariter in rem Provinciæ prodierunt. *Tertio*. Acta visitationum Provincialium quæ Provinciales successive per manus tradant, & ipsi diligenter & secreto talia Acta, ubi maluerint, conservent. *Quarto*. Libri Cosultationum antiquiorum. *Quinto*. Inventaria Monasteriorum, sive

ſive Libri continentes ſtatum temporalem eorum. *Sexto*. Annui Catalogi reſidentiæ Monachorum: *Septimo*. Dyptycha Annua eorundem mortuorum. *Octavo*. Libri metrices profeſſorum. *Nono*. Libri Hiſtoriæ Provincialis a Scriptoribus ejuſdem concinnati. *Decimo*. Litteræ & Scripturæ, quæ, licet certa Monaſteria reſpiciant, ipſorum tamen Archiviis non debentur.

III. Ex chartophylacio suo nullum cuipiam monumentum, uti neque librum dabit, ſine Provincialis licentia ſpeciali; & cum juſſu ejus tradiderit, in Libello ſtatim notabit, quid, cui, & quando dederit: & ſi externus fuerit, caveri ſibi per syngrapham faciet, quid, & quo tempore ab ipſo repoſcendum ſit.

IV. Præcipuorum monumentorum exempla ita recognita ſubſcripta, & comparata habeat, ut fidem facere poſſint in quovis judicio.

V. Summarium omnium, quæ in Chartophylacio continentur, habeat deſcriptum eo ordine, quem in ipſo obtinent Chartophylacio.

Regulæ Superioris Localis.

De iis quæ ad Ejus Perſonam, & Monaſterii gubernationem pertinent.

I. Studeat omnino, talem se præſtare Præfectum, qualem in Regulis ipſum suis depingit Baſilius; Quas proinde frequenti lectione reddere ſibi familiares, quam maxime connitatur.

II. Primam officii sui curam in eo eſſe ſitam intelligat, ut Regula noſtra, & Conſtitutiones exacte ab omnibus in Monaſterio obſerventur, quod ut facilius aſſequatur, primus exemplo omnibus prælucere, atque adimplere ea diligenter contendat, quæ ab aliis, quibus præeſt, optare præſtanda debet.

III. Singularia in veſtibus, cibis, & aliarum rerum uſu fugiat, communes Conſtitutiones servet, nec patiatur deſiderari se unquam neque in choro, neque in Refectorio, quoties legitime aliis curis, & negotiis impeditus non fuerit.

IV. Uſus conſvetudineſque in Provincia receptas, & probatas, servandas curet, nec, ſi qua antiquitas peculiari loci alicujus exigentia inducta fuerit, in Conſulto Provinciali, immutet, nihilque novi inducat.

V. Etſi, exceptis iis, quorum deſignatio pertinet ad Provincialem, domeſticis Miniſtris pro prudentia sua ipſe addicere alios, & in iiſdem detinere, aut ab ipſis amovere poſſit, caveat tamen, ne facile, ſine juſta cauſa, mutet, præſertim, quos viderit idoneos ad officia, quæ, ut recte exerceantur, uſum rerum, & peritiam poſcunt peculiarem.

VI. Similiter ejuſdem poteſtatis erit Confeſſarium Ordinarium, & alios Officiales, quos ad Provincialem ſpectat conſtituere, ab officiis suis suſpendere, quoties juſta cauſa poſtulaverit.

VII. Præcipere in virtute Sanctæ obedientiæ quidem poteſt, sed hujuſmodi

 poteſtate

poteſtate raro utatur, & nonniſi gravi urgentique data cauſa.

VIII. Poteſt etiam subditos pœna excommunicationis, vel suſpenſionis mulctare, id tamen non faciat, niſi juſta & graviſſima exigente cauſa, ac de conſilio suorum Conſultorum.

IX. Poteſt Vicarium, Pœnitentiarium, Ordinarium, nec non Concionatorem ab onere hebdomadariæ ſtolæ immunes declarare, etiamſi inter Patres Emeritos relati non fuerint; occupationes tamen, quibus pro ratione loci detinentur tales ſint, ut poſcere suo jure hanc immunitatem videantur, dummodo id fiat de conſilio Cætus Monaſterii.

X. Etſi quo ad communem loci diſciplinam ſecum, cumque suis ad breve tempus interdum diſpenſare valeat, sciat tamen id in levioribus ſibi solum licere & cum ratione probabili.

XI. Non poterit tamen diſpenſare in jejuniis, niſi cum particularibus, idque vera neceſſitate poſtulante, videatque hac de re, quæ in communibus Conſtitutionibus, Titt. De mortificatione, & temperantia, præſcribuntur.

XII. Nequit quoque ullum cauſum, etiam ex iis, quos Clemens VIII. reſervari a Regularibus poſſe cenſuit, ſibi servare, ſiquidem id Conſtitutionibus noſtris, alia media ad averruncanda mala præſcribentibus, prohibitum ſit.

XIII. Ad vitæ Monaſticæ Inſtitutum, & habitum extra locum Tyrocinii neminem poteſt admittere, ſine expreſſa Proto-Archimandritæ, vel Provincialis facultate, quodſi quando id ſibi permiſſum fuerit, dabit operam, ut quamprimum admiſſus ad locum Novitiatus dimittatur cum omni sua supellectili.

XIV. Laicalem tamen ſtatum profiteri volentes, poterit admittere, & veſtire, ita tamen, ut admiſſum, exacto in Monaſterio suo uno Candidationis anno, pro secundo formalis probationis anno, ad locum Tyrocinii mittere omnino teneatur.

XV. Quas alias habeat facultates, partim ex his officii sui Regulis, partim ex Conſtitutionibus communibus, partim denique ex gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis Congregationi noſtræ indultis addiſcat, ut in iis, quas non habeat, ad Superiores recurrere teneatur.

De iis, quæ sunt adjumento ad rectam Monaſterii Gubernationem.

XVI. Habeat a se, suoque Monaſterio Cætu delectos Conſultores, cum quibus conferre poſſit, quoties res majoris momenti pro temporum, & negotiorum varietate bene perpendendæ occurrunt, ac præſertim cum agitur de pœnitentiis infligendis pro gravioribus delictis, maxime ſi hæc in Conſtitutionibus noſtris peculiares pœnas præſcriptas non habent.

XVI. Eorum sententias citra ullum indicium suæ in aliquam partem propensionis libenter, ac benigne audiat, quamquam iis auditis, ipsius erit id, quod in Domino visum fuerit, de rebus propositis statuere.

XVIII. Juvabit in arduis, etiam viciniorum Monasteriorum Superiores, ad consilium adhibere, præsertim, cum præsto domi pares dandi consilii Patres non adfuerint: imo alios quosque consulere, quos de proponendis rebus bene posse judicare existimaverit, ut quemadmodum vult Regula S. Patris, - omnia fiant, adhibito eorum, qui ad consilium dandum apti sunt, judicio.

XIX. Singulas consultationes domesticas in peculiarem Librum Actorum Monasterii referri jubeat, ut constet, quid, & ex quibus causis decisum sit.

XX. Præterea habet. *1mo.* Librum, in quo sit descriptus status Monasterii a Prima sui fundatione. *2do.* Librum continentem Nomina Monachorum, & officia, nec non Annum, Mensem, Diem, quo quis habitatum venit, & unde: Quo tempore sacris exercitiis spiritum excoluit, quid, & quando vestiarii nomine sibi depensum habuerit, & quo demum, quandoque, cum e Monasterio per obedientiam excedit, dispositus fuerit. *3tio.* Librum familiæ domesticæ, in quo notetur singillatim, quot Monasterium famulos alat, quo quis tempore, & contractu conductus sit, quid cuique, & quando solutum fuerit. *4to.* Librum rationum, in quo scribat, quid, quo tempore, & unde provenerit: Quantum, & quo tempore depositario in Monasterii usus expendendum datum fuerit.

XXI. Perspectas ope lectionis sibi habeat Regulas omnium officialium Monasterii, earumque observantiam diligenter urgeat, præsertim vero sit solicitus, ne Vicarius, Æconomus, Cellarius, Ecclesiarcha suis desint officiis, utque omnes in officio contineat, pro æquitate, & ratione salutaribus utatur remediis.

De cura Monachorum Spirituali.

XXII. Mutuam inter Subditos charitatem diligenter promoveat, nec ferat ullas intestinas inter eos fervere discordias, imo si quid irarum, aut dissidiorum esse excitatum cognoverit, omni studio adlaboret, ut protinus cum debita satisfactione sedetur.

XXIII. Sit solicitus, ut Subditi bono aliquo opere sint jugiter occupati: Quare, nisi per obedientiam fuerint a Visitatore præscripta munia, ea ipsis assignet, & tempus obeundis ita distribuat, ut unusquisque sciat, quid horis, quæ a communium operum exercitiis sibi restant, agendum sit.

XXIV. Opera manuum iis, qui non destinentur occupationibus, vices laboris corporalis juxta Constitutiones nostras supplentibus, ita præscribat, ut in diem una alterave certa hora pro artis nimirum, vel operis conditione, laborem eo spiritu, quo vult Regula subeant: a quo tamen, poterit facere immunes

qui

qui loco operum manualium, habent ex officio, quo se occupent, maxime ſi eo tempore a curis muneris, & officiis suis vacui non sunt. Totum vero, quid quid unoquoque Menſe manibus Monachorum elaboratum fuerit, in communi reponi Apotheca, & communi utilitati addici curet.

XXV. Omnibus cum Paterna solicitudine, atque charitate invigilet, ne quid indigentiis eorum, quamvis non efflagitantium deſit, attendat: & largius potius, quam parce neceſſaria cuique provideat: onera viribus imparia non imponat: Nihil aſperis verbis injungat, nimium rigorem declinet, diſciplinam tamen Monaſticam ſtrenue urgeat.

XXVI. Sit solicitus, ut unicuique in suo munere obedientia præſtetur, ſtudeatque ipſe omnibus exemplo obedientiæ præire, ea, quæ a suis ſibi Superioribus, præcipue in Viſitatorum ordinationibus præſcribuntur, diligenter exequendo.

XXVII. Si quando, juxta noſtræ præſcriptum Regulæ obluctandum erit propriis Monachorum voluntatibus, vel frangenda illarum pertinacia, id exequatur fidenter, sed servatis prudentiæ & charitatis Regulis, ut fiat ad ædificationem, non ad deſtructionem.

XXVIII. In pœnitentiis irrogandis, & correptionibus adhibendis habeat rationem eorum, quæ tam in Regulis S. Patris Noſtri, quam etiam in Conſtitutionibus noſtris pœnalibus, servanda præſcribuntur, ut corrigantur male affecti, quemadmodum vult Legislator noſter, ad modum Medicorum pugnantium adverſus morbum, non debiles impugnantium.

XXIX. Caveat, ne Monachos objurget coram Sæcularibus, aut puniat, niſi ratio reparandi scandali, ſi quod ipſis allatum fuerit, aliter poſtulaverit. Curet etiam, ne hominibus sæculo huic addictis innoteſcant pœnitentiæ, quibus Monachos plecti interdum accidit. Quare puniturus adhibebit cuſtodem, ne quis ex extraneis, ad locum, ubi pœnitentiæ peraguntur, sub tempus earundem accedat.

XXX. Si quando Monachus tam turpiter lapſus eſſet, ut ſine offenſione populi, gravique dedecore Monaſterii ferri in loco non poſſet, sciat, capto a Communitate conſilio, licere ſibi eum amandare ad aliud vicinius Monaſterium, sed de hujuſmodi relegatione, (quam vicinior Superior declinare nequit) uti & de cauſa ejuſdem, intelligat se teneri Provincialem quam primum facere certiorem.

XXXI. Ut perſpectum habeat, num Monachi cum fructu suum piæ lectioni quotidie impendant tempus, meminerit semel in hebdomade se teneri separatim ex ipſis quærere, quem quiſque sacrum librum legerit, quæ documenta in uſus suos derivanda inde hauſerit, quæ practica inter legendum conceperit propoſita?

Nec

Nec, si opus fuerit, negligat monere, ut non doctiores ex lectione hujusmodi curent fieri, sed Sanctiores.

XXXII. Ut subditis reddat svavia domestica ministeria, ipse obibit ministri mensæ munus Feria Quinta majoris Hebdomadæ: Fungetur vero vicibus Sacerdotis Hebdomadarii Prima, & ultima jejunii Quadragenarii septimana, nec non iis diebus omnibus, qui memoria Christi Servatoris nostri, Ejusque Virginis Matris celebres in Ecclesia, ac solemnes habentur.

XXXIII. Scripta, & Litteras omnes, quæ ad Monachos suos diriguntur, & quas ipsi aliis scribunt, inspiciat, ut sciat reddendæne sint, vel non? Quodsi ipsos temere, cum scandalo vel frivole scripsisse deprehenderit, mulctare ad præscriptum Legum nostrarum non omittat. Litteras tamen, quas vel ipsi ad Superiores mediatos scribunt, vel mediati Superiores ad ipsos dant, nec resignet, nec impediat.

De iis, quæ adjumentum animarum respiciunt.

XXXIV. Advigilet, ut resolutio casuum conscientiæ semel saltem in hebdomade, certo quodam a se præstituto die, habeatur, utque ei Sacerdotes omnes, qui commode poterunt, interesse curent, præside docto aliquo viro Theologo delecto, quoties ipse solus per occupationes sui muneris præsidere non poterit.

XXXV. Jn Monasterio suo designet, qui per vices domesticam rudiorem familiam singulis diebus doctrina Christiana instituant, & modum precandi eam doceant; quod in villis etiam ad prædia Monasteriorum pertinentibus, festis saltem diebus per aliquem præstari curabit.

XXXVI. Attendat diligenter, ne, sicubi est, muneri suo desit Parochus, utque Concionator solide verbum Dei tractet, ac ubi fideles in Ecclesia nostra ad Sacramenta frequenter accedunt, ne desint designati Confessarii, qui diligenter audiendis confessionibus vacent, & sitim spiritualis animarum solatii idonee expleant.

XXXVII. Si Monasterium, cui præest, ita est gravatum numero Missarum, ut Sacerdotibus quinque quot Septimanis Sacra facienda imponat, sciat nec, se eo onere exemptum haberi, sed tamen eá habita ratione, ut in suffragium defuncti Religiosi alicujus quintum Sacrificium destinetur.

XXXVIII. Dum Monachus aliquis de vita decedit, suum Provincialem de obitu isto quam primum admoneat, ut anima defuncti solitis quantocitius juvari possit suffragiis.

XXXIX. Potest ex charitate onus Missarum alicujus Monasterii, aliqua parte, levare, uti etiam de Orationibus, & Missis benemerito cuipiam

 viro

viro gratificari, id tamen non faciat, nisi consultis suis Consultoribus, & prudenti adhibita moderatione.

XL. Poterit Provinciali commendare ex nostris eos, quos idoneos ad recipiendos Sacros Ordines judicaverit, sed neminem ad Episcopum mittet non habito ipsius Provincialis consensu & commendatione.

XLI. Nullas Missas perpetuo celebrandas admittat, nisi iis Legibus, quas pro locorum diversa conditione servandas præscribunt Capitulares uniuscujusque Provinciæ Ordinationes.

De cura Temporalium.

XLII. Jta curet adjicienda suo Monasterio subsidia temporalia, ut non videatur quærere in postremis sibi, & suis Regnum Dei: spem autem habeat magnam repositam in Dei benignitate, tam nihil sibi defuturum, quam cessura omnia ex sententia in temporalibus, si in rerum penuria nunquam patietur, ut ob temporale levamentum aliquod regularis disciplinæ detrimentum percipiat.

XLIII. Quot mensibus ab omnibus, qui ad rationem accepti, & expensi dandi, quocunque nomine obligantur, rationem ejusmodi exigat, præsente Depositario, ut perspectum habeat, quem res communis Monasterii statum teneat, quave ratione administretur.

XLIV. Depositarium habeat ab integro Cætu suo delectum, in locis vero particularibus, ubi is commode constitui seorsim nequit, Superior ipse Depositarii munus geret, dato jurejurando formula pro tali casu sibi præscripta, servabitque. quæ in Regulis ejus præscribuntur.

XLV. Caveat, ne ære alieno gravet Monasterium. Quodsi quando gravissima causa id contrahendum urgeret, & quantitas notabilior summæ contrahenda esset, non prius istud faciat, quam Provinciali suo consulto & consentiente, si ratio necessitatis sinet, quem etiam certiorem reddere debebit, qua demum ratione istud alienum æs dissoluturus certo sit.

XLVI. Lites pro rebus temporalibus, quoad fieri poterit, effugiet, aut servatis de jure servandis, aliqua concordia (præsertim si agatur de gravi Monasterii damno, quod aliter non facile amoveri possit) componi, cum scitu, & consensu officii Provincialis, curabit, nec novas, sine consensu ejusdem officii unquam intendet. Si tamen Monasterium in litem vocetur, nec compositioni locus sit, potest, etiam non expectata officii licentia, in judicio omni meliori modo se defendere: Quemadmodum litem quoque instituere super recens illatis Monasterio injuriis, ne per dilationem legitimæ vindicationis jura Monasterii aliquod præjudicium patiantur.

XLVII Depo-

XLVII. Deposita pecuniarum admittere non ausit, aliarum tamen rerum, si hæ fuerint loci Benefactorum, vel de Provincia benemeritorum, quibus id officii citra offensionem recusari nequit, poterit admittere, sed nulla præbita a se cautione; a Depositore tamen poscet caveri suo Monasterio, ut non teneatur lege repetundarum, si quo casu fatali, nec opinato depositum interire accidisset.

XLVIII. Pacta, conventiones, & alios gravis momenti contractus, præsertim perpetuam alienationem sapientes, non solum bonorum, immobilium, sed etiam Summarum fundationalium, evictionalium perpetua onera obligationum annexa habentium. imo & rerum pretiosarum, quæ servando servari possunt, sciat prohibitos sibi esse, nec etiam justa existente causa attentandos, nisi Provinciali sciente, & Proto-Archimandrita consensum præbente, servatis omnibus aliis de jure servandis.

XLIX. Quod ad rationem victus pertinet, meminerit dare operam, ut Constitutionibus nostris Generalibus, & capitulorum Provincialium omnino apposita, largiorque potius quam parcior illa sit, haud tamen egrediens extra præscriptos necessitatis terminos.

L. Bonorum Monasterii temporalium administrationem nunquam Consangvineis, sive suis, sive officialium sui Monasterii, ad quos cura bonorum pertinet, committat, nisi magna, & comperta utilitas loci aliud postulaverit.

LI. Attendat, ne Emeriti, ætate graves & infirmitate debiles iis priventur commodis, quæ præstari ipsis Constitutiones nostræ volunt. Hyberno vero tempore, dum intensiora durant frigora, curet, ut in ipsorum gratiam sufficienti saltem tempore Oratorium calescat domesticum, & sicubi illud non esset, ut construatur.

LII. Eos, qui gravioribus perfunguntur laboribus, sicuti, & qui curandæ animarum saluti exemplarem dant operam, uti Cofessarios, Concionatores, Professores, meminerit quoque Paterne respicere, ac curare, ne se necessariis destitui, sive commodis, sive subsidiis queri possint.

LIII. Si quos tamen peculiaribus per nostras Constitutiones donatos beneficiis non ita mereri viderit, ut affici iis debeant, poterit, ut ad officium eos suum reducat, non modo, quæ Privilegii sunt, iis omnia, vel aliqua subducere, sed etiam, prout æquum, juxta Leges nostras, visum fuerit, in ipsos etiam animadvertere.

LIV. Nec famulos, nec equos, nec currus habeat peculiares, sed omnia communia sunto. Itinerans autem curru duobus duntaxat equis juncto utatur

cto, utatur, nisi ratio longioris itineris vel alia gravis necessitas usum paulo plurium postulaverit.

LV. Si quid in ædificiis restituendum, reparandum, vel a suo antecessore cæptum continuandum occurrit, illud perficiat studiose, de novis tamen fabricarum etiam lignearum majoris momenti molitionibus, ut & de molitionibus, rem ad Provincialem primum deferet, ejusque judicio subjciat.

LVI. Pariter prius Provincialem admonebit, & ejus judicio stabit, si vel impensæ extraordinariæ faciendæ essent, vel aliqua ad rem communem Monasterii eveniret accessio, sed non sine onere, & obligatione.

LVII. Curet diligenter, ut aliqua Cæmentorum, lapidum, calcis & lignorum quantitas ad ædificia jam excitanda, jam sarta tecta præstanda, quotannis comparetur.

LVIII. Sedulo adnitatur, ut Librorum necessariorum fiat ad Bibliothecam aliqua quotannis accessio, arbitrio Provincialis determinanda, & sub tempus visitationis Canonicæ recognoscenda, ubi autem studia conservantur, libri adaptati eidem provideantur, utque Archivum Monasterii optime digestum, ac compositum, per Monachum Chartophylacem conservetur, utque præsto apud se sit liber, qui summam quandam indicet eorum, quæ continet quodvis momentum, atque eo ordine quodvis momentum exhibeat, quem in Archivo obtinet.

LIX. Curet Quadriennii sui tempore statum conficere Generalem Monasterii, clare, distincte, atque ita in eo descriptis pecuniariis Capitibus, reditibus, fundis, agris, terris, & earum Coloniis, ut quod ad plenam perfectamque notitiam status Monasterii facit, nihil in ipso desiderari possit. Jd quod præstabit duorum sibi adscitorum Monachorum opera, & totidem confectis status hujus, sive inventarii exemplis, ut dum cum lapsu Quadriennii suo defungetur munere, unum transmitti possit ad Archivum Provinciæ, alterum Successori in loco tradi, utrumque subscriptum tam suo, quam eorum nomine, qui se omnia diligenter perspiciente, eadem inventaria confecerunt.

De iis, qui ad nos divertunt, vel in alium Locum e Monasterio mittuntur.

LX. Veram charitatem exhibeat erga Monachos Congregationis nostræ ad Monasterium divertentes, eisque hospitium non deneget: juvare vero eos, atque dirigere in expediendis negotiis, quorum causa locum adeunt, dum commode potest, nunquam renuat.

LXI. Præcessorem suum, cum ad alium sibi per Obedientiales præstitum migrat locum, omnibus veræ charitatis prosequatur officiis, nec loco expediat, nisi convenientibus instructum subsidiis, ac decenti curru provisum: Caveat vero, ne ipse, aut suus Installator, eum gravet, inquietet, aut spoliet, sed si detrimentum aliquod Monasterio intulisse visus fuerit, rem deferat ad forum competens, ut ea ibi cognita, id quod cum æquitate fuerit conjunctum, statuatur.

LXII. Cum simplices quoque Monachi ad alia per obedientiam habitatum eunt Monasteria, det operam, ut pensione vestriaria exæquo donati, cibariis sufficientibus instructi, & pro ratione Personarum convenienter provisi, equis robustis, & curru decenti in viam se dent. Porro ratio viatici ita ducenda est, ut simplicis Monachi viaticum pro rato miliaris cujusque numero sex grossis Polonicalibus nunquam minus sit.

LXIII. Curet etiam, ut quoties Monachi ad vicinos negotiorum causa mittuntur, in ipsis devehendis ratio quoque habeatur decentiæ, & honestatis.

LXIV. Litteras Obedientiales a Provinciali pro Monacho aliquo extraditas ad se missas, nunquam longius distinere audeat, sed quam primum per tempus, & facultates loci potest, Monachum, qui alio designatur, cum eisdem ad locum constitutum mittat.

De iis, quæ peculiariter respiciunt Superiores Abbatiali dignitate ornatos.

LXV. Non faciant sibi novas ædes a Monasterio separatas, sed sub uno tecto cum Monachis suis, quorum conversationis testes ac custodes esse debent, omnino resideant, nec unquam ad conclave suum accessum permittant fæminis, cujuscunque fuerint ipsæ gradus, & dignitatis.

LXVI. Memores Monasticæ Professionis suæ, omnem luxus speciem studiose devitent, nec quidquam admittant in hospitibus excipiendis, quod fastum sæcularem, ac profusionem cum Religiosa paupertate pugnantem præseferre videatur.

LXVII. Quod de amictu Decretis Synodi Zamoscianæ, tum nostris Constitutionibus præscribitur, sedulo observent, nec equos, aut famulos plures alant, quam quot revera ad usus statui Religioso congruos necessarii requirantur.

LXVIII. In cubiculis suis ornandis, servent decentiam & honestatem, at cum exacta paupertate conjunctam.

LXIX. Memores Sacri Canonis Cap: - *Cum Admonet:* - Titt: - *de statu Monach:* - Sedulo curent, ut suam vivendi rationem ad communem status Monastici rationem exigant, præsertim vero, ut Chorum Monasticum, & communem mensam, quoties legitime impediti non fuerint, & festis, & non festis diebus frequentent.

LXX. Nunquam ſibi Coadjutorem adſciſcant, niſi certiore facto Proto-Archimandrita, & servatis iis omnibus, quæ de jure tam Sacro, quam profano, servanda sunt.

LXXI. Nec duas Abbatias unquam regendas suſcipiant: quodſi quod interdum abuſus hujuſmodi videretur imminere periculum, ad Proto-Archimandritam pertinebit, illud ope Metropolitani avertere, ac fortiter propulſare.

LXXII. Regulas, quæ Superioribus generatim omnibus præſcribuntur, familiares ſibi habeant, & diligenti ſtudio adimplere contendant.

LXXIII. Etiamſi habeant ex jure Communi facultatem conferendi Ordines minores Monachis sui Monaſterii, diligenter tamen caveant, ne eoſdem conferant ſine scitu Provincialis, aut Monachis illis, qui in Profeſſione vitæ Monaſticæ ad ſtatum Laicalem admiſſi sunt.

Regulæ Vicarii.

I. Is a Viſitatore, cum voto, ſi fieri poteſt, Superioris deſignetur, & poſt Superiorem primas teneat, ac in Choro locum e regione Superioris a parte ſiniſtra conſtitutum habeat, niſi adſit incola Monaſterii Conſultor, vel alius, qui ipſum officio, aut dignitate antecedat.

II. Cum manus & brachium Superioris ſit Vicarius, det operam, ut in gubernatione eum juvet summa fidelitate, & charitate, ſitque spiritu, & animo vere eidem conjunctus.

III. Omni Divino officio in choro diligenter adſiſtat, ut cæteri eidem interſint advigilet, menſam communem semper adeat, exemplumque primus promptitudinis præbeat ad omnes obedientiæ communes actus, qui ex Conſtitutionum, vel Superiorum præſcripto exercentur.

IV. Invigilet, ut temporibus præſtitutis accurate campana pulſetur pro Monachis ad orationem, chorum, menſam, aliaque communia exercitia, convocandis.

V. Obſervet per se, vel per aliquem alium deſignatum obſervari faciat, num omnes, qui Sacerdotes non sunt, ſtatis diebus Sacrâ Communione se reficiant: ſi quos vero parum ea de re solicitos viderit Superiorem, commoneat.

VI. Attendat, ut ſilentium locis, & tempore suo exacte ab omnibus servetur: ut horis præſcriptis januæ Monaſterii obſerentur, & aperiantur, lampas in curitoriis accendatur, & exſtinguatur.

VII. Advigilet, ut omnia loca, etiam, quæ communia dici solent, ſtatis temporibus verrantur & purgentur, ut munda semper ſint, nec oculos offendant accedentium.

VIII. Habeat apud se indicem rerum etiam minimarum Monaſterii, quæ in Cellis

Cellis singulis ad usum commune Monachorum, & commodum habentur, revideatque unoquoque semestri, singula, num juxta indicem habeantur: Quodsi quid per incuriam, vel per usum continuum deperiisse observaverit, Superiorem commoneat.

IX. In Inventario statim annotabit, si quid ex una in aliam Cellam juxta ordinem Superioris translatum fuerit; cum Monachi vero, vel alio per obedientiam migrant, vel de licentia Superioris cellas suas cum aliis commutant, det operam, ut exacte omnia juxta Inventarium restituant, & sibi consignent.

X. Laicos Neoprofessos ad sui curam pertinere sciat; Hinc quod Magistris Novitiorum proprium est, cum ipsis exerceat, id est, ea, quæ spectant ad salutem animæ, doctrinam Christianam, & Constitutionum, vel Regularum officii sui observantiam, statis diebus eos doceat; ut pietatis exercitiis vacent, in opere manuum se exerceant, cum Sacerdotibus reverenter tractent, in cellis se contineant, per Monasterium non divagentur, studiose attendat.

XI. Ordini Missarum attendat, eumque hebdomatim in Tabella præscribat, si id sibi a Superiore, ut passim fit, commissum fuerit, ut sciant Sacerdotes, quo cuique tempore celebrandum sit. Pariter officia, quæ per vices obeuntur, hebdomadatim; distribuat, ne bonus ordo pervertatur.

XII. Charitatem, obedientiam, & reverentiam erga Superiorem foveat, nutriatque in Monachis ut per benevolentiam inter se semper sint conjuncti, studiose invigilet; pacis & concordiæ turbatores reprimat, nec protegat ullo modo inquietos.

XIII. Peregre profecto Superiore vices ejus in regimine tam spirituali, quam temporali, omnes gerat: nunquam tamen a Superioris voluntate, si quid in specie servandum commisit, recedat. Caveat etiam, nec quid tunc innovet, aut innovari permittat, ne quid coemat, vendat, lites intendat, visitationes exteriorum faciat, vel eos præter necessitatem invitet, ne lautitatem, & luxum in tractandis etiam suis adhibeat, ne aliquo longius proficiscatur, aut quid insigne attentet, nisi in repentino, & improviso casu aliter faciendum prudentia, & Patres domestici Consultores, judicaverint, sed de eo, statim atque redibit Superior, monendus erit. Monachos tamen, modo non sint Sacerdotes majoris gradus, in levioribus delinquentes corripere ex præscripto Constitutionum, integrum ipsi est, quod tamen ea faciat charitate, & mansuetudine, ut pœnam, quam subeunt, se promeruisse intelligant.

XIV. Quodsi Superior iter ita suscepit, ut eadem die regressurus sit, gerat se Vicarius, ac si præsens esset Superior, sed aliquo impeditus; Proinde ea solum agat potestate, quam ipso præsente, sed impedito, ut exercere valeret, habet

habet ab illo communicatam.

XV. Ubi, & quando ab onere hebdomadariæ ſtolæ immunis habendus ſit, a Superiore suo immediato curabit intelligere.

XVI. Ubi Cellarius a Viſitatore deſignatus haberi nequit, sciat se implere ea etiam debere, quæ ad munus ejus pertinent; Proinde bene ſibi perſpectas Regulas Cellarii habeat.

Regulæ Conſultorum Localium.

I. Ii in inſignioribus Monaſteriis ſint Quatuor, in minoribus autem saltem duo, a Cætu totius Monaſterii delecti, quorum Superior sententiam exquirere teneatur juxta Regulam officii sui xv.

II. Studeant, ut conſilio, ſic animo, & spiritu cum Superiore eſſe conjuncti; Unde, ſi quando contingat eum aliter decernere, quam ipſis viſum fuerit, modeſta humilitate acquieſcant, nec apud alios, quod ſtatutum fuerit, reprehendant, sed potius Religioſa charitate tueantur.

III. Si quod tamen Superioris conſilium in grave boni communis præjudicium vergere non immerito videretur, nec is ipſe cum reverentia admonitus mutare illud vellet, liceat ipſis, rem ad Viſitatorem deferre, ut is ſtatuat, vel provideat, quod in Domino expedire judicaverit; nec se ingerant ultro in Monaſterii negotia, niſi vocati a Superiore.

IV. Nullam auctoritatis speciem, nullam regiminis partem in Monaſterio ſibi sumant, sed ea submiſſione impleant munus suum, ut cæteris obedientiæ ſint exemplo, neque ullo pacto subordinationem, & obſervantiam Subditorum erga Superiorem infringant.

V. Omnia, quæ secreto tegenda sunt, taciti apud se servent, nec prius patefaciant, aut cum aliis communicent, quam pro temporis, & rei licuerit circumſtantiis.

VI. Ut munus suum quam optimé obeant, exploratas ſibi habeant, & bene perſpectas non modo Regulas Superiorum, & Officialium, sed & alia, quæcunque Conſtitutionibus noſtris, præſertim vero Directivis, & Epitimicis ſtatuuntur.

Regulæ Confeſſarii Monachorum Ordinarii.

I. Is ſit doctus, prudens, salutis animarum cupidus, & zelo spiritualis promovendi profectus, animatus. Morum vero religioſa svavitate ita amabilem se reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrant, auxiliumque & solatium in spiritu ab eo sperent in Domino.

II. Cum caſuum reſervatio nullum obtineat uſum in noſtra Congregatione, ſciat se contra inordinatos Monachorum affectus, vitioſos habitus, ac pernicioſos lapſus præſidia quærere debere in pœnarum irrogatione salutarium, quarum præcipue

pue sunt hæ: *Primo.* acriores corporis per usum flagellorum, ciliciorum, & aliarum afflictationum castigationes. *Secundo.* Humicubationes. *Tertio.* Metanææ cum simplices, tum Cruciformes. *Quarto.* jejunia, & certæ abstinentiæ. *Quinto.* Secreta locorum sordidorum purgatio. *Sexto.* Rerum novissimarum, ac passionis Christi cosideratio. *Septimo.* Psalterii recitatio. *Octavo.* Abstinentia a somno, & in oratione ad aliquam noctis partem pervigilatio. &c. &c.

III. Curet vero, ut cognitam primo habeat morbi cujusque originem, & gravitatem, tum peccati consuetudinem, ejus illicia, pabula, & fomenta, aliaque omnia necessaria, puta loci, temporis, aliarumque concurrentium occasionum adjuncta, ut prærogato Spiritus Sancti lumine sciat prudenter ex prælaudatis deligere pœnitentiis remedia convenientia: hoc est: non modo sanando morbo animæ accommodata, sed etiam modo culpæ, & viribus pœnitentis respondentia. ut vult Æcumenicum Tridentinum.

IV. Hinc pertinebit ad eum non modo pœnitentiam, sed etiam tempus, & uniuscujusque rationem peragendæ præscribere, ut fiat ad ædificationem. non ad destructionem, & ut ne fiat publica, quæ occulta esse debet.

V. Remedia generalia illa potissimum insinuent, quæ nostris Regulis, & Constitutionibus præscribuntur, uti sunt: Diligens e somno stato tempore evigilatio, fervens matutina meditatio, pia quotidiana lectio, seria vespertina conscientiæ discussio, mentis collectio, cordis revelatio, cellæ custodia, & silentium, labor manuum, aliaque, quæ par est, ut accurate serventur.

VI. Peculiarem curam impendat juvandis tentatis, consolandis in spiritu afflictis, & tepidis exhortandis, remedia omnibus congrua, atque necessitati convenientia adhibendo.

VII. Quare versatus sit in lectione Ascetarum, præsertim eorum, qui cum spiritu instituti Congregationis nostræ magis faciunt, & faciliores sunt.

VIII. Quas sponteneas corporis afflictiones, atque pœnitentias rogantibus, suis pœnitentibus concedere possit, & in quibus ad Superiorem recurrendum sit, ab eodem Superiore discat, ut ne ea quidem, quæ laudabilia sunt, monente Sancto Patre nostro in Regulis, citra Superioris arbitrium peragantur.

Regulæ Sacerdotum.

I. Quid quid in Constitutionibus Generalibus de perfectionis studio scriptum est, id quam maxime a se servari debere intelligant.

II. Sacris juxta ordinem tabulæ operaturi, statim ac vocari se per pulsum campanulæ intellexerint, Ecclesiam adeant, ut peracta Proscomedia, in tempore ad altare se conferre possent.

III. Sciant omnino sibi non licere (idque sub pœnis) Elemosynas pro Missis usurpare, aut alias pias oblationes minutas privatim colligere, sed quidquid oblatum fuerit, Ecclesiarchæ fideliter consignetur, nec nisi consulto & permittente in aliquo casu Superiore, retinere pro suo usu valeant.

IV. Cum quis aliqua die ex causa a celebratione statuit abstinere, opportune commoneat Ecclesiarcham, ne ordo Tabulæ invertatur.

V. Jn Ritibus, & ceremoniis diligenter se exerceant, nihilque demant, addant, vel innovent, præterquam quod in Missalibus præscribitur.

VI. Antequam ad Altare celebraturi accedant, opportune in Sacristia, quæ diversis locis legenda fuerint, sibi signent, ne cum tædio, & offensione adstantium Librum Missalem ad Altare pervolutare cogantur.

VII. Dent operam, ut dum rem Divinam faciunt, cum interna pietate, jungant exteriorem gravitatem, & reverentiam, utque Missas celebrent, quantum fieri potest, voce & pronuntiatione, quæ ædificationi inserviat.

VIII. Jn Sacrificado moram temporis ponant dignam Sacrificii Majestate, & sua religione. Caveant tamen molestiam præsentibus parere longiori mora, curentque ne tres quadrantes excedat, neque nimia acceleratione eosdem offendant.

IX. Hebdomadarii Sacerdotes, qui scilicet in ministerio Divini officii vices suas hebdomadatim exequuntur, sciant, qua habdomade munere suo funguntur, primum inter alios post primarios Monasterii officiales locum ad mensam sibi competere.

X. Qui ex obedientia Confessiones fidelium excipiendi, commissum munus habent, & legitima illas audiendi potestate prædití sunt, obsequio animarum dilgenter se impendant, & multum erga suum afficiantur Ministerium, quo in curanda hominum salute evadunt cooperatores ipsius Dei.

XI. Res Theologiæ Practicæ, præcipue eas, quæ ad Censuras, casus reservatos, & restitutiones pertinent, bene pespectas sibi habeant, nec ignorent, quod ab ipsis, ut Patribus, medicis, judicibus, & Doctoribus agi debeat, ut exacte partes omnes, sui sancti muneris impleant.

XII. Hinc idoneos ad suum pernoscendum officium, riteque ipso fungendum Libros habeant, eosque studiose legant, ut & interrogandi, ac juvandi pœnitentes promptam methodum, & medendi singulis morborum speciebus rectam rationem comparare valeant.

XIII. Discant quoque, quomodo se gerere debeant cum diversi generis pœnitentibus, uti cum pueris, & adolescentibus, cum scrupulosis, & personis devotis, cum mutis, & surdis, cum moribundis & capite damnatis, cumque pœnitentibus se dirigi in via perfectionis petentibus, aliisque, quæ peculiarem postulant curam, & opem.

XIV. Cum ad confessiones audiendas vocantur, statim se conferant ad Ecclesiam, & quo majorem pœnitentium copiam affuturam prævident, eo maturius se ab aliis expedire curis satagant, & ad confessionale pergant integro habitu religioso vestiti, & studeant vicinum lumen habere, quoties tale obsequium præstandum erit tenebris durantibus.

XV. Fæminarum confessiones non excipiant, nisi in Ecclesia, idque ad crates, quæ confessarium a pœnitente divisum teneant, facie quadrantenus velata, ne mutuo aspectui locus detur.

XVI. Caveant, ne studium habeant videndi, aut cognoscendi suos pœnitentes, præsertim mulieres, modumque cum ipsis agendi teneant severiorem quidem potius, quam familiarem, sed tamen a Paterna Spirituali charitate, & gravitate non sejunctum.

XVII. Non loquantur in Sacro Exomologeseos Tribunali de rebus ad confessionem haud quaquam pertinentibus: Breviter expediant, præsertim mulieres, quæ sæpius confitentur: Extra confessionem vero, si agendum cum ipsis sit, id faciant in loco patenti, summa adhibita circumspectione, oculorum modestia, & quam potest fieri brevissime.

XVIII. Munera a pœnitentibus nec petant, nec accipiant, etiam oblata nomine Eleemosynæ in pauperes distribuendæ, aut restitutionis alicui faciendæ, non facile admittant, nisi indispensabilis necessitas postulaverit, & in tali casu exequutionem longius non differant, quam opportunitas & prudentia requirat.

XIX. Ubi Monasteriis annexæ habentur Parochiæ, tempore Confessionum Paschalium habeant a Superiore designatum Monachum, qui animos pœnitentium, præsertim rudium, & puerorum Christianæ doctrinæ institutionibus præparet ad Sacra rite percipienda Sacramenta.

XX. Moribundis tamdiu adsistant, quamdiu sola poscit necessitas: Et si quando necesse fuerit cohortari eos ad supremam declarandam voluntatem de eo, quod fieri vellent defuncti, id faciant habita levamenti conscientiarum ipsorum ratione, testamentis tamen condendis ipsi non adsistant.

Regulæ Concionatorum.

I. Meminerint munus hoc Euangelicum exercentes, quod ipsis S. Pater.

Reg: Brev: 184. - præcipit, ut se existiment dispensatores esse Misteriorum Dei, & fungi Dei ministerio in curandis animabus, quæ Christi Sangvine redemptæ sunt, ac proinde multum erga suum officium affici studeant, ac magni ea faciant, quæ ibidem ex Apostolo commendat magnus Legistator noster, servanda erga Deum, & erga audientes.

II. Summo studio enitantur, vitam suam sic instituere, ut non minus exemplo, quam verbo dicere possint: *Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi:*

III. Libros Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, item de Theologia Dogmatica, uti & de officiis vitæ Christianæ tractantes, nec non alios multum ad solide agendum officium suum juvantes in promptu habeant, diligenter legant, ex iis, quæ usui esse possunt, ad fidei explicationem faciendam, virtutum amorem excitandum, odium autem peccati animis inserendum, seligant, notent, ac in certos materiarum titulos redigant, ut arma in omnem casum expedita semper habeant.

IV. Juvabit fama celebres audiisse, & legisse Concionatores, præceptiones clarorum Virorum, quas de arte bene concionandi scripto prodiderunt, novisse, & rationem, qua id ut animi permoveantur, incitentur, & quocunque velint, impellantur assequi, possint, bene observasse.

V. Jllud omnino genus dicendi assumant, quod multum auctoritatis habet, & muneri Evangelici Præconis aptius est. Hinc fugiant facetias, lænocinia verborum inania, ornamenta sententiarum inutilia, affectata acumina, nimias exaggerationes: sermonemque suum ita audientium captui, ac utilitati adtemperent, ut non ingenium venditare, sed vere salutem animarum quærere existimentur.

VI. Argumenta Concionum aptent locis, temporibus, conditioni audientium, aliisque rerum adjunctis, ut Evangelicum in idoneam terram jactum semen excipi commodius, & fructum afferre possit certius: ad quod semper imploranda est humiliter Spiritus Sancti gratia, quæ sola est, quæ sementi incrementum dat.

VII. Peculiari ratione commendent Religionis Christianæ Sanctitatem, pretium, atque certitudinem: peccatorum fugam, frequentiam Sacramentorum, pœnitentiam, charitatem, orationis necessitatem, patientiæ utilitatem, inimicorum dilectionem, in bonis operibus profectum, & perseverantiam. Nec desinant diligenter urgere, ut integra Principibus & Prælatis, qui Dei vices in terris supplent, obedientia præstetur, ut Divinæ providentiæ, ejusque voluntati Christiano more pareatur, ut filiis pia edu-

catio

tio præbeatur, ut officiorum status salutaris ratio ab unoquoque habeatur, ut non negligantur devotionum exercitia, & cætera quæ ad Divinum cultum pertinent.

VIII. In Concionibus neminem in particulari reprehendant, præsertim vero caveant, ne quos revereri, ac observare debeant, eos etiam tacite tangant.

IX. Discant vocem moderari, ac ad rem, quam tractant accommodare, ut nè uno cursu fluat, nec elatior sit, ubi opus non est, nec depressior, cum majori ejus contentione dicendum quid est. Dent operam etiam, ut actio ipsorum, & gestus habeat dignitatem & gravitatem, utque humiliter, se interdum patiantur admoneri, si quid in actione, sive in ipsa concione corrigendum, præsertim ipsi Superiori visum fuerit.

X. Tametsi Concio justa, & bene explicata esse debeat, curent tamen, ne spatium unius horæ unquam excedat.

XI. Suas omnes Conciones scribant, easque sub tempus Annuæ Visitationis Provinciali exhibeant, ut ei constare possit, num partibus suis diligenter functi sint.

Regulæ Missionariorum.

I. Quæ Concionatoribus proxime in Regulis commendata sunt, sibi præcipue dicta existiment, & non minori studio observent.

II. Dum ad loca mittuntur, sive expetuntur, a quorum Ordinariis nulla ipsis adhuc ad suum munus exercendum facultas tributa est, eos quam primum adeant, & facultatem hujusmodi demisse, ac modeste petant, id quod in scripto, si fieri commode poterit, habere adnitantur.

III. Gratias, & indulgentias ipsorum Ministerio elargitas præsto in scriptis habeant, ut si quando necessitas docendum quempiam de eis postularet, commode præstare id possint.

IV. Ad locum delati prudenter, ac mature capient a Viris probatis, & pietate insignibus informationes, si quas ad officia muneris sui Apostolici majore cum fructu animarum peragenda futuras sibi opportunas cognoverint.

V. Certum ordinem in suis Ministeriis exercendis sibi præscribant, quæ præcipua sunto: Verbi Divini prædicatio, doctrinæ Christianæ pueris, aliisque rudibus explicatio, Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administratio, ad eadem rite suscipienda congrua per exhortationes animorum comparatio, pacis inter discordantes conciliatio, dogmatum Christianæ ac Catholicæ Ecclesiæ ad Judæos & Hæterodoxos, si res & necessitas postulaverit, declaratio.

VI. Poterunt etiam operibus corporalis misericordiæ, quantum per spiritualia licebit, viresque ferent, operam dare, pauperes, infirmos, carceribus detentos invisendo, per se, vel per alios ipsis levamenta procurando, spiritualem tamen eorum præcipue curam habeant, Sacramenta administrando, ad ea quæ sunt Chri-

 stiani

ſtiani officii appoſitè cohortando, remedia adverſus tentationes ſuggerendo, iras ex animis evellendo &c.

VII. Caveant, ne aliis prædicando, ipſi velle effici reprobi videantur, quapropter perfectionis ſtudium colant, conſveta in Monaſteriis orandi, meditandi, conſcientiam examinandi, aliaque pietatis officia non imminuant, præterquam ſi quando charitas, vel neceſſitas aliter faciendum poſtularet.

VIII. Munera nulla expetant: Si quid vero ex benevolentia fauctorum oblatum fuerit, de eo Superiorem certiorem faciant, ut is ſtatuat, ſitne admittendum vel non?

IX. More pauperum Chriſti prædicent Evangelium, hanc, ob rem nihil, quod in equis, curribus, & corporis ſuſtentatione non redoleret neceſſitatem, admittant; ac neceſſariis ita utantur, ut bonæ de se exiſtimationis, quæ ad fructificandum in agro Domini neceſſaria eſt, ne hilum amittant.

X. Conferant inter se quotidie, quid & qua ratione ſint acturi, ut majore cum fructu munus perficiant suum, Præfectique judicio acquieſcant.

XI. Notent ſucceſſum cujuſque Miſſionis, & peculiarem in Librum eum referant, præſertim, quoad numerum hominum ad Eccleſiam Catholicam reductorum, & quoad alia, quæ ædificationi eſſent. Caveant tamen, ne attingant, quæ ad Sacramentum Confeſſionis spectant, vel alia quavis ratione secretum poſtulant, & ex quorum narratione juſta offenſio timeri poſſet.

XII. Quoad ratio, & virtus ferent, omnibus omnia fieri ſtudeant, ut omnes Chriſto lucrifaciant. Hinc non detrectent barbas alere, ubi ejus incitamento noſcunt trahi plebem, cujus æternam cum Dei gratia salutem quærunt.

XIII. Miſſionarii ex iis deligantur, qui curriculum Theologiæ non ſine laude exegerunt, præditique sunt ingenio ad prædicandum Dei verbum sat commodo, & appoſito: Qua de re ad Examinatores ferre judicium pertinebit.

XIV. Non prius tamen Miſſionibus obeundis addicantur, quam in habendis Concionibus per bennium fuerint exerciti, ut exercitatione, uſuque dicendi præparati expeditiores aſcendant suggeſtum.

XV. Etſi Miſſionarii partes suas eggregie ac pro dignitate Apoſtolici Miniſterii suſtinentes, gaudeant ad præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum Privilegiis Sacræ Theologiæ Profeſſorum, meminerint tamen, juxta monitum S. Patris Noſtri - Reg: Brev: 135. . - conſignatum, laboris sui non temporale reſpicere debere præmium, sed illam, quam a Domino conſequuturi sunt, pro labore remunerationem.

Regulæ Eccleſiarchæ.

I. Curet imprimis nitorem, & munditiem Domus Dei: hinc, ut sæpius, præcipue

præcipue vero in Pervigiliis Festorum, pavimenta Ecclesiæ verrantur, parietes a telis aranearum purgentur, pulveres ab altaribus excutiantur, diligenter attendat.

II. Dabit etiam operam, ut vasa, candelabra, urceoli, altarium, mappæ, linea indumenta, purificatoria, Corporalia, & quæcunque ad cultum Divinum pertinent, sint nitida, munda, pulchra, & suis locis quæque reposita.

III. Nihil sordidum, nihil lacerum, in Sacrario, & Ecclesia patiatur. Antimensia, consulto Superiore, vetustate detrita, comburat, & nova substitui ipsis curet; si quid autem resarciendum fuerit, resarciri quam primum faciat.

IV. Videat, dum conficiuntur nova felonia, ne ab antiqua communi forma recedant, neve angustiora sint, quam dignitas sacri hujus indumenti patiatur. Curet quoque, ut felonia ex parte antica protensiora sint, & saltem infra cingulum oram porrigant: Epitrachelia vero, ut late ante pectus pateant, & diloricata sint, hoc est media sui parte in longum discissa, at aliquot in locis tæniolis connexa.

V. Invigilet, ut Sacra quotidie suo singula tempore, juxta ordinem Tabulæ à Sacerdotibus peragantur, si quos vero, dato signo, segnius se conferre ad Sacristiam observaverit, Superiori significabit.

VI. Habeat Librum, in quem referat obligationes Missarum, cum intentione stipendia offerentium, utque iis diligenter satisfiat, attendat.

VII. Eleemosynas pro Missis ita admittat, ut iis brevi tempore satisfieri possit. Nec admittantur tenues, & juxta consuetudinem Patriæ insufficientes, nisi monitis offerentibus, eas jungendas esse cum tot aliis pariter tenuibus, quot, simul conflatæ possint efficere stipendium ad rationem unius Missæ requisitum.

VIII. Onera Missarum perpetua, ut suo quæquæ tempore exacte adimpleantur, advigilabit. Habeat proinde Tabellam Missarum perpetuarum in Sacristia appensam, ut perspectum habeat, quæ, in quo altari, & quando celebrandæ sint.

IX. Habeat librum, in quo describat, si quid ex voto, dono, vel legato Ecclesiæ accesserit, adnotato Anno, Mense, die & persona offerentis.

X. Inventarium etiam omnis Ecclesiasticæ supellectilis confectum habeat, in quo adscribet, si novi quid accesserit; ad marginem vero notabit, si quid vetustate detritum, furto, aut alia ratione deperditum fuerit.

XI. Sacerdotes ignotos absque testimonialibus ad celebrandum venientes officiose admittat: De aliis vero exteris dignioribus celebraturis, Superiorem certiorem faciat.

XII. Ad lapsum uniuscujusque mensis reddat Superiori rationem obligationum persolutarum, & Eleemosynarum, quæ eo mense ad Sacristiam provenerunt, ab eoque subscribi curet.

XIII. Quæ in Conſtitutionibus communibus de reverentia, & renovatione SSmi Sacramenti præſcribuntur, exacte ſervet.

XIV. Quoties Superior rem quampiam, vel perſonam Deo ſub Sacrificiis commendandam voluerit, ſchedulam, quæ id inſinuet, affigat eo in loco, ubi Sacerdotes manus lavare conſveverunt.

XV. Panis, qui pro materia Sacramenti Euchariſtiæ in Eccleſia noſtra adhibetur, curabit, ut in noſtris ædibus conficiatur, iſque purus triticeus, fermentatus, cruciſque ſigno inſignitus ſit: Vinum pariter, ut ſit merum, purum, incorruptum, non aceſcens, nec apud Judæos emptum.

XVI. Attendat, ubi cura Parochialis a noſtris exercetur, ut Olea Sacra præſto habeantur, diligenter aſſerventur, & ſingulis annis innoventur. Aquam quoque luſtralem, ſingulis Octo diebus curet renovari, & per ædituum in ſingulas Cellas diſtribui.

XVII. Omnem Eccleſiaſticam ſupellectilem tam lineam, quam ſericeam, ne humiditate, aut a blattis lædatur, ſæpius, præſertim æſtate, Cœlo sereniore, ventis perflandam exponat.

XVIII. Fores Eccleſiæ ſuo tempore accurate claudi jubeat, ipſe vero magna circumſpectione invigilet, ne quis remaneat, aut quo in angulo se abſcondat; Cuſtodem quoque adhibeat diligentem, qui vigilet in Eccleſia, quoties, præſertim hyeme antelucanis horis januam Eccleſiæ patere oportuerit. Studioſe etiam attendat, ut ignis circumſpecte ſervetur, & exſtinguatur.

XIX. In libro Diptychorum, quem in Sacriſtia habere debet, ſcribat Nomina Monachorum omnium, quos obiiſſe in Congregatione contigerit.

XX. Pariter ſolicitus ſit, ut in eundem relata habeantur Nomina defunctorum Fundatorum, & Benefactorum, qui in ſocietatem meritorum, ac ſuffragiorum Congregationis ſive Provinciæ admiſſi ſunt, ſuffragiorumque iſtorum rationem ducat.

XXI. Sacra quoque alia, & preces, quæ ſtatis temporibus in ſuffragium fieri debent, curæ habeat. Porro, quæ, & quando ſuffragia facienda ſint, ex ſubjecta intelligat Tabella.

Tabella Suffragiorum.

I. Quotieſcumque capietur notitia de obitu Monachi Congregationis noſtræ, ſive Sacerdotis, ſive non Sacerdotis, modo fuerit Monachus expreſſe Profeſſus, Monachi Sacerdotes illius Provinciæ, cujus Profeſſione erat filius, ſinguli tria pro ipſo Sacra facient. Ji vero, qui Sacerdotes non ſunt totidem Sacrificiis aderunt, Sacramentalibuſque Confeſſionibus & Sacra Synaxi animam defuncti Divinæ miſericordiæ commendabunt. Aliarum vero Provinciarum

Provinciarum , quemadmodum Sacerdotes ad unum pro demortuo Sacrum faciendum , ita non Sacerdotes , ad unum duntaxat auſcultandum unamque Confeſſionem & Sacram Synaxim tenebuntur .

II . Eadem , qua Monachis defunctis ratione , subveniendum quoque erit animabus Epiſcoporum , & Metropolitani per omnes Cogregationis noſtræ Provincias .

III . Pro Novitio ante finem sui Tyrocinii mortuo , etſi is lucrandæ indulgentiæ gratia , Vota noſtra Monaſtica circa obitum nuncupaſſet , in eo tantum Monaſterio , ubi diem confecit supremum , Sacerdotes ſinguli , ſingula pro ipſo facient Sacra , niſi forte illius inſigne meritum , aut beneficium totam Provinciam vel etiam Congregationem ſibi devinciret : non Sacerdotes vero , ſive ii Profeſſi , ſive Novitii fuerint , semel Divinis aſſiſtent .

IV . Pro iis , qui supremo Proto-Archimandritæ fungentes officio , vel eo olim functi e vita diſcedunt , præter tria Sacra ab unoquoque Sacerdote per totam Congregationem celebranda , solitaque eorum , qui Sacerdotes non sunt , suffragia , in ſingulis noſtris Monaſteriis semel funebre fiat solemne Sacrum cum Monachorum cantu , præmiſſa Pannachyde , & triduano pulſu campanarum . Quod servetur etiam in obitu Vicariorum Generalium , quoties in officio eos mori contigerit , & Provincialium , sed in ea duntaxat Provincia , quam adminiſtrarunt .

V . Feria secunda memoriam S. Demetrii Martyris subſequente , res Divina cum Cantu , & funebri Pannachyde in ſingulis Congregationis noſtræ Monaſteriis peragatur , univerſim pro omnibus totius Congregationis noſtræ Monachis demortuis , in quorum subſidium cæteri quoque Sardotes (exceptis iis , qui ad Tabulæ Præſcriptum sacrificaturi sunt :) cæleſtem offerent Deo hoſtiam . Qui vero Secerdotes non sunt , iisdem animabus , ut opem ferant , Sacramenta Pænitentiæ , & Euchariſtiæ illo die obibunt .

VI . Jneunte quovis anno , Die scilicet prima Januarii S. Parenti Noſtro Baſilio Sacra solemnis ubique Liturgia celebretur pro confirmando , ac augendo spiritu inſtituti noſtri . nec non pro fidei Catholicæ unitate propaganda . Jd quod cæteri quoque Sacerdotes sub Sacrificio , non Sacerdotes vero inter precandum Deo enixe commendabunt .

Regulæ Æconomi .

I . Jn majoribus Monaſteriis a Viſitatore Provinciali cum suffragio Superioris loci eligatur Vir prudens , induſtrius rerum agendarum æconomiæ , ſi fieri poteſt Arithmeticæ , & practicæ Geometriæ peritus , nec prodigus , nec avarus : gravi crimine , præſertim proprietatis nunquam notatus : Annos

minimum Triginta quinque natus, saltem vero decem in ministeriis Monasteriorum versatus: eaque corporis habitudine, ut pro Monasterii conservando, & augendo bono, par sit omnibus laboribus suscipiendis.

II. Ad eum spectabit, pro voluntate Superioris, cui in omnibus semper humiliter obedire tenetur, rem familiarem administrare, curam temporalium extra Monasterium habere, agros, possessiones, earumque limites prædia, & villas, si quæ sunt, Colonos, & eorum statum, præstationes, sive annuas, sive certorum tantum temporum, & quavis septimana occurrentes apprime nosse, reditus, census, & singulos fructus Monasterii, unde, quando, & quomodo proveniant, scire.

III. Hinc aggressurus suum munus habeat traditum sibi, tam stabilium, quam mobilium, quæ extra Monasterium sunt, quæque ipse veluti res proprias Domini Nostri Jesu Christi, curare tenebitur, exactum inventarium, in quo clare, ac distincte descripta sint *1mo.* Prædia sive fundi cum omnibus tectis, horreis, hortis, officinis, famulis, cumque omni, quantacunque ea sit, in fare, & frumento, in pecore, & altilibus, in vasis, instrumentis, & reliquis rusticis utensilibus, supellectili: *2do.* Arva, & agri cum extensione finibusque suis tam certis, quam incertis, ac cum indiciis, culta ne sint, frugifera, & fertilia, an inculta, deserta, & sterilia. *3tio.* Villæ cum omnibus Colonis, cum totis Colonorum familiis, cum eorum fundis, agris, pecudibus, jumentis, alveariis, præstationibus, & tributis. *4to.* Pascua, prata, stagna, Lacus, Molæ, Tabernæ, fructusque, qui ex eis capiuntur. *5to.* Sylvæ, & nemora cum suis extensionibus, & terminis, quibus clauduntur, tum usibus, & habitudinibus.

IV. Quamvis diligenter Monasterium incolere teneatur, ipsius tamen erit, conscio, & consentiente Superiore, sæpius excurrere ad prædia, impendereque operam continuandis, & restaurandis rationibus æconomicis, sicubi vacillare, aut ruinam minari viderentur, & redintegrandæ administrationi rerum temporalium, ubi ea laborare cognosceretur.

V. Proinde ad ipsum pertinebit, tectorum, Sartorumque curam habere: Villicos, si quos neglientiores in rebus suis ebservaverit, consentiente Superiore amovere, alios peritiores, ac diligentiores substituere. Jpse quoque diligenter observare non omittat, quæ tam a vicinis, quam ab aliis æconomiæ peritis via ineatur, jam in gleba exercenda, subficiendaque, iam in frugibus serendis, & metendis, jam denique in aliis rebus æconomicis, tractandis, curandis, & conficiendis. Juvabit quoque ab iisdem quam exactissimas rationes omnium agendorum exquirere, easque in peculiarem ad id desi-

gnatum

gnatum Librum referre: & quæ suo usu magistro ipse compererit, ac congnoverit utilia futura, ibidem adnotare, ut quod constans docuit observatio, pro regula tandem, sibi suisque Successoribus valeat deservire. Ad calcem vero Libri adjici curet indicem, ex quo facile intelligi ea possint, quæ Libro isthoc continebuntur.

VI. Jtem pertinebit ad eundem, rationem æconomiæ meliorem efficere, studere, novos fructus, si qui salva justitia, salvisque sacrorum Canonum, nec non Legum Patriarum Sanctionibus, provenire possunt, quæsitum ire, nihil tamen novi decernere sine expressa sui Superioris facultate.

VII. Ad ipsum etiam pertinebit advigilare, ut opera in prædiis rusticana suo quæque tempore fiant; Neve ædificationi, aut lignationi tum vacetur, quum agri excolendi sunt, vel alius magis opportunus instat labor, in quo spectata temporis ratione opera poni debeat.

VIII. Tametsi quovis tempore Superiori rationem administrationis æconomicæ a se exigenti, eam dare teneatur, vere tamen, & autumno potissimum sciat se Superiorem de toto statu rei rusticæ docere debere, & quemadmodum ipsi exponere, quam, & quo fructu in ea curanda tenuerit rationem, ita ab eodem accipere, ac exequi si qua alia utilior, vel commodior ineunda ejus judicio videretur.

IX. Absque scitu Æconomi nihil ex prædio ad Monasterium, aut alio comportetur. Æconomus autem ipse extradere nihil ausit, nisi Superior, aut ejus locum tenens, per se, vel per Cellarium, mandaverit. Quæ mandata si in scripto fuerint, uti & testimonia de importato, seorsivo ad id destinato libro inseret & diligenter asservabit.

X. Præterea habeat duos Libros, in quorum primo sit ex una parte descriptum, quantus uniuscujusque frumenti manipularis fuerit numerus, quantus mellis, Leguminum, olerum proventus, quoto Anno, Mense, die, & quo ex fundo facta horum omnium fuerit perceptio, cum apposita sub quavis collectorum fructuum specie, summa universæ collectæ: ex altera vero ejusdem Libri parte habeatur adnotatum, quæ, & quo numero istarum collectarum ad suas comparate Cellas facta fuerit distributio, cum indicatione Anni, Mensis, Diei, summæ quantitatisque ex distributionibus prodeundis. Jn secundo autem Libro habeantur descripti secundum sua nomina, & species omnes fructus, qui undelibet provenerunt: Omnia auctaria gregum, pecorum, altilium, &c: singula ex his impendia in usum sive Monasterii, sive prædii, sive quemcunque alium arbitrio Superioris facta, nec non minutissimæ quæquæ decessiones, quæ de omnibus istis acciderunt. Atque

hujusmodi

hujusmodi Libri tam circa vernas, quam autumnales rationes Superiori, & Consultoribus exhibeantur, ut cum Libris Cellarii conferri, discuti, & subscribi possint.

XI. Diligenter adlaborabit, ut quæ usibus Monasterii statis temporibus necessaria sunt, mature curata ita habeat, ut ad quodvis Superiori mandatum citra moram e prædiis suo tempore deferri possint. Quemadmodum mature commonere Superiorem tenebitur, si quæ Monasterio necessaria e prædio providere non potuerit, ut opportune aliunde ad usum comparentur, sive is æstatem, sive hyemem, sive aliam quampiam anni partem respiciat.

XII. Ut vendere Superiore consentiente debet, si quæ minus necessaria, vel usibus necessariis Monasteriis supefutura judicaverit, ita conscio ac probante eodem Superiore tenetur ea emere, quibus Monasterio vel prædio ad usus necessarios opus fuerit. Quod faciet tamen tempestivis temporibus, & quam opportune, ne perinde aut non res bonas emat, aut majori demum pretio eas comparare cogatur. Caveat etiam, ne ob quandam parsimoniam emat talia, quæ vel insalubria, & corrupta sunt, vel omnino nulli forte tandem usui sunt deservitura.

XIII. Attendat, ut quæ empta sunt, sicut & alia omnia, quæ Prædiorum profert tellus, bene, ac citra læsionem conserventur. Pecuniam omnem undecunque administratione sua provenerit, in Libro singulari scribat, eamque quam primum depositario in præsentia Superioris consignet in Arca reponendam. Caveat vero, ne quid inconsulto Superiore in usus expendat suos.

XIV. Familiæ servilis, quæ Prædio præstat operam suam, curam gerat, numerumque ejus in Libro descriptum habeat, adnotato Anno, Mense, die, & mercede, qua unusquisque conductus est, ac det operam, ut quivis diligenter suo tempore tam pactum vestiarium, quam promissam mercedem accipiat.

XV. Benefactoribus gratum se exhibeat, ac de iis Superiorem commoneat, ut ab ipso quoque idem præstetur. Vicinorum benevolentiam conservare studeat, & quantum fieri potest citra dispendium a jurgiis in limitibus conservandis abstineat.

XVI. Det operam, ne curis temporalibus ita distrahatur ut in spiritualibus intepescat. Quare cum in Monasterio invenitur, neque negotiis detinetur, choro intersit, Sacra faciat, exercitia spiritualia stato tempore obeat, cum nulla excurrendi occurrit necessitas, in Monasterio se contineat, mo-

destiam Religiosam ubique colat, ac quibuscum versatur, omnes verbo, & exemplo ædificandos curet.

XVII. Ut æconomus, ea quæ muneris sui sunt commodius implere, ac ad Prædia, alioque necessitate postulante, facilius se conferre possit, præsto habeat Monasterium currum, & equos ad usum ejus designatos.

Regulæ Cellarii.

I. Is a Superiore deligatur. Prudens sit, rei quam profitetur peritus, gnarus, temperatus, & qui adeuntibus affabilem se præstet, ac Fratribus ministret diligenter cum timore & charitate, ut ajt S. Pater, non paucos a Professione Annos agens, & in obsequiis Monasteriorum bene diu versatus.

II. Ejus officium erit, curam gerere granarii, cellæ penuariæ, postulariæ, coquinæ, Trapezæ, Horti, cæterorumque locorum, quæ rebus ad victum pertinentibus, tam esculentis, quam poculentis curandis, condendis, & promendis destinata sunt, dareque operam, ut in respectivis cellis, ac officinis desit nihil, quod necessarium fuerit, utque ubique teneant ordinem suum omnia.

III. Ne vero multitudine curarum obruatur, habeat adjutores in munere suo a Superiore designatos duos, alterum, qui rei culinariæ operam præbeat, alterum qui Trapezam curet, ad normam regularum pro utroque isto adjutore præscriptarum. Quas Cellarius familiares sibi reddat, ut sciat, quid eorum partes postulant, & quid ab ipsis suo jure exigendum sit.

IV. Curabit, ut frumentum in granario, suo quodque loco sive in lacunulis, sive in vasis condatur, statis temporibus ventiletur, ac ita diligenter servetur, ut nec humiditate, nec alia quapiam ratione lædatur.

V. Jn Cella penuaria suum pariter cuilibet cibariorum generi locum assignabit, præcipuam vero dabit operam, ut res victualis, piscaria, carnaria, unguinaria, aptis, & accomodatis asservetur in locis, atque ea circumspectione curetur, ut nec putorem, nec rancorem, nec aliud vitium admittat facile.

VI. Pro similagine, pulticulis, & polentis, habeat bene munita promptuaria, quæ vel cistis certam pro ratione cætus cujusque loci mensuram æquantibus, facile exemptibilibus recipiant hujusmodi alimoniam, vel alia ratione eam recondant, ac incolumem a muribus, & corruptione tueantur.

VII. Studeat, ut olera, sive sint herbæ, sive fructus plantarum, sive radices esculentæ, quæ usibus culinariis necessaria sunt, nunquam non præsto habeantur; Proinde advigilet, ut instantibus feriis, eorum sementinis, suo

quæquæ tempore in terrâ bene exculta, ac in ea copia serantur, & plantentur, ut non modo per æstatem sufficere, sed etiam in hyemem servari possint. Porro olera in hyemis usum, sive e prædio apportata, sive ex horto domestico collecta fuerint, apte suo quæquæ modo, & tempore in loco peculiariter ad id designato recondi faciet, dabitque operam, ut discat, qua ratiote alia vegetari, alia siccari, saliri alia debeant, quo per tempus hibernum ad usum adhiberi semper possint.

VIII. Sua intererit quoque videre, an arbores in domestico horto fructiferæ bono ordine plantentur, rite foveantur, propagentur, tondeantur, resecentur, rigentur, & cum opus est, suo modo, & tempore apto transponantur; nosseque rationem studeat, qua fructibus oneratæ tractari, qua fructus decerpti conservari, & in multos dies, ac menses seponi debeant, ut in suos usus tandem depromi possint.

IX. Quidquid ex prædio, aut aliunde victui deserviens ad cellam promptuariam allatum fuerit, dato accepti testimonio, in Librum referet rationum, quas reddere suo Superiori, requisitus tenebitur.

X. Curabit tempestive, Superiorem, & Æconomum de iis admonere, quæ ad tempora jejunii necessaria sunt, & contra, quæ illo soluto, usus postulat. Mature quoque faciet eosdem certiores, si quæ alia in Monasterio e rebus ad procurationem suam pertinentibus desiderari observaverit. Quodsi quid ex prædio haberi nequierit, sed coemendum fuerit, dabit operam, ut non putidum, non rancidum, & corruptum, sed sanum, bonum & salubre comparetur, eoque tempore, cum commodius, & æquo pretio emi potest.

XI. Cellas, atque loca ad se pertinentia quotidie invisat, videatque diligenter, num ab adjutoribus suis fiant omnia ordine, & secundum Regulas eorum proprias. Si quem vero deficientem ab officio, vel segniorem in re sua curanda offenderit, moneat, & interdum rem ad Superiorem referat, maxime, si remedium malo alicui afferendum est, aut providendum, ne consequatur. Jd quod circa famulos quoque & operarios Monasterii, observabit.

XII. Habeat apud se indicem, seu inventarium rerum etiam minimarum Monasterii, quæ in cellis, & locis ad se pertinentibus ad usum & commodum habentur, revideatque unoquoque semestri singula, num juxta indicem habeantur; Quodsi quid per incuriam, vel per usum continuum deperiisse observaverit, Superiorem commoneat.

XIII. Cum Curator coquinæ, vel Trapezæ novus instituitur, ipsius erit, inventarium

inventarium illarum officinarum de rebus tunc existentibus, novo officiali consignare, & quodsi novi aliquid eisdem officinis accesserit, inventario suo, ejusque adscribere, quemadmodum etiam delere, si quæ corrupta fuerint.

XIV. Ut Curatorem coquinæ rectius possit dirigere, studeat diligenter discere rationem bene curandi cibos, ne quid ex imperitia sua Monasterium detrimenti, Monachi vero incommodi patiantur. Quare juvabit, modum obsoniorum rite parandorum à peritioribus exquirere, atque ad memoriam, & instructionem successorum in peculiari libro adnotare. Jd quod circa alias quoque practicas notitias suas observabit.

XV. Cum suis adjutoribus sæpe conveniat, deque rebus ad officia eorum pertinentibus cum illis agat, ac de aliis, quod penes ipsum est, statuat, de aliis vero Superiorem admoneat.

XVI. Caveat ne prandium, aut cænam ipse disponat pro arbitrio suo, sed prout sibi fuerit a Superiore imperatum.

XVII. Curam habeat infirmorum, ac diligenter attendat, ut quæ commode a suis adjutoribus præstari ipsis debent, vera fraterna exhibeantur charitate, & solicitudine.

XVIII. Curam quoque habeat addictæ Monasterii obsequiis sæcularis familiæ, ac studiose videat, num, operas diligenter præstent suas, num Monachos reverenter habeant, statis temporibus Missam audiant, an singulis Mensibus confiteantur, Sacrisque reficiant se Mysteriis. Dabitque operam, ut singuli hora precibus vespertinis per unum ex Monachis recitandis, doctrinæque Christianæ tradendæ destinata, diligenter in unum locum conveniant, & religiose tam precationi, quam Catechesi intersint.

XIX. Jn familiam hujusmodi neminem admittat, nisi parem operæ, quam locaturus est, repertum, & consulto Superiore; Neminem etiam è familia dimittat, nisi conscio eodem Superiore. Singulos vero in peculiari Libro descriptos habeat, annotato Anno, Mense, Die, & operæ pretio, quo conductus est, ut suo tempore Superiorem, sive ejus jussu Æconomum monere possit de mercede unicuique diligenter solvenda. Meminerit quoque, in eundem librum referre, id quod ad rationem pacti, pretii, partim ante tempus ab aliquibus accipi interdum solet.

XX. Sciat se a chori assistentia nequaquam absolutum haberi, uti nec ab officio hebdomadariæ stolæ; Quare quoties non fuerit legitime impeditus, choro interesse adnitatur.

XXI. Singulis diebus vesperi claves ab adjutoribus suis recipiat, easque cum suis ad Superiorem reportet, in crastinum mane easdem repetat apud

tat, apud se vero nunquam noctare patiatur.

Regulæ Præfectorum Chori.

I. Curent, ut cum occurrente Festo, vel alia rituali ex causa, exrta ordinaria Divini officii instat immutatio, diligenter prævideant, quid & quo loco legendum, cantandum, addendum, vel omittendum sit, utque de eo cæteros Monachos faciant mature certiores.

II. Ut omnis in choro vitetur perturbatio, ipsorum erit tempestive ante Divinum officium signare ea omnia, ac in promptu habere, quæ e diversis Libris, vel in ejusdem Libri diversis locis posita, legenda aut canenda fuerint.

III. Ad ipsos quoque præcinere ad præscriptum tonorum pertinebit, ita ut aliis excipere inchoatum ab eis cantum liceat, nequaquam vero antevertere.

IV. Præcinant autem voce nec alta nimium, nec nimium depressa, sed mediocri, ut facile reliqui Monachi psaltæ voces cantui commodare, ac prosequi ipsum sine lassitudine valeant.

V. Attendant, ne Libri Chorales in usu male tractentur, contorqueantur, lacerentur, crassis discriminationibus intercalentur: Facto vero usu dent operam, ut suis quique locis diligenter reponantur, & asserventur, præsertim Mænea, & Triodia, quæ certorum solum temporum usibus deserviunt.

Regulæ Curatoris Coquinæ.

I. Det operam, ut in Culina, ejusque vasis omnibus nitor, & Religiosa mundities servetur, ut officina coquinaria statis temporibus obseretur, & aperiatur, ut Lebetes, & ollæ tot & tantæ habeantur, quot, & quantæ pro ratione loci, necessariæ sunt, ut exacte custodiantur, quottannis, si ænea fuerint bene, ad auertendum sanitatis nocumentum, crustentur: semivacuæ igni non admoveantur, ut facto eorum usu mundentur, poliantur, non tamen cineribus, & suis quæque locis disponantur: Camini vero Culinarii a fuligine, parietes a telis aranearum sæpius depurgentur.

II. Invigilet, ut Coqui munditiem servent, præsertim cum cibos in scutellis disponunt, ne manibus eos contrectent, sed congruis eum in usum adhibitis instrumentis: Ut tempestive pro prandio aut cæna, paranda igni admoveant, & exacte præparata habeant ad horam, qua pro more Monasterii in mensa edendum est: Proinde ipse etiam tempestive sibi omnia in copia rationi loci accomodata a Cellario extradi curet.

III. Habeat Librum, in quem referat, quid quid unoquoque die tam pro

pro prandio, quam pro cœna ex cella penuaria a Cellario deprómptum accipiet. In quo describet etiam, qui & quot cibi in refectionem tam Monachorum, quam familiæ cocti, & appositi fuerint.

IV. Curet diligenter, ut cibi in aqua pro conditione loci, salubriore coquantur bene, quantum Religiosa patitur paupertas, curentur, & exæquo, omnibus distribuantur.

V. Singulare aliquid pro aliis parandum non suscipiat, nisi de mandato Superioris Cellarius docuerit, aut infirmorum id præstandum esset gratia, quibus ut quam maxime ministerio suo placeat, plena charitatis contentione adnitatur.

Regulæ Curatoris Trapezæ.

I. Det operam, ut tam Refectorium, quam etiam ejus atrium bis in hebdomadam, & quoties opus fuerit, verratur: ut vasa stannea alternis hebdomadis poliantur, ut cultelli acuti, cochlearia nitida, parietes ab aranearum telis repurgati sint, nihilque uspiam occurrat, quod cum religioso nitore pugnet, aut fastidium movere aptum sit. Qua in re, si sibi adjutore Sæculari opus fuerit, cellario significabit.

II. Panis, & potus cerealis veluti eorum, quæ Domino dedicata sunt, fidelem se præstet dispensatorem, ne (quod ait S. Pater) aut sacrilegii reus evadat, ea præter voluntatem Superioris pro arbitrio suo elargiendo, aut in judicium negligentiæ incidat, ita ignave ea curando, ut direptioni aliorum pateant.

III. Non exspectet dum penitus absumatur potus cerealis, sed mature de eo coquendo Cellarium admoneat, ut defæcatus Monachis ad mensam semper Ministretur.

IV. Det operam, ut dolia bene purgentur antequam infundatur potus cerealis, & postquam infusus fuerit, ut opportune obstruantur, ne corrumpatur, aut exhalet.

V. Quid quid a Mensa panis, aut ferculorum superfuerit, id caveat, ne suo arbitratu dispenset, sed quemadmodum usus in Monasteriis antiquus obtinet, inter pauperes partiatur.

VI. Sciat a Cellario, cui potestas facta est secundam Mensam adeundi, aut in Cella manducandi, coquumque de eo certiorem faciat. Quodsi quis non habita facultate a prima mensa abfuerit, ad Superiorem deferat.

VII. Omnem refectorii supellectilem habeat descriptam cum subscriptionē Cellarii, asservet vero eam diligenter, ne quid depereat, aut corrumpatur. Quodsi rem aliquam fregerit, aut incuria sua deperderit, supplex fiat Superiori, & poscat pœnitentiam.

VIII. Sæculares, & extraneos ad refectorium nec ipse introducat, nec ab

aliis sine licentia introduci patiatur: diutius in refectorio, quam opus fuerit, moras non trahat: habeat curam, ut cum aliis suo tempore choro, aliisque communibus exercitiis intersit.

IX. Si quo ad refectorii usum opus fuerit, puta vase vel vetere reparando, vel novo emendo, Cellarium commoneat.

X. Hiberno tempore lucernas vesperi cum candelabris, emunctoriisque, ita disponat, ut in singulis majoribus mensis tot, quot necessitas postulaverit, ardeant, Lector vero peculiarem habeat.

Regulæ Depositarii.

I. Is in Monasteriis, quæ sufficientem Monachorum alunt numerum, sit delectus e cætu Monasterii suffragiis ejusdem cætus, medietate pluribus.

II. Ejus erit reditus Monasterii pecuniarios, undecunque ii provenerint, in arcam raudi Monasterialis una cum Superiore inferre, & efferre, atque ita asservare, ut unam arcæ clavem ipse habeat, alteram vero diversam Superior.

III. Ipsius quoque erit tam illatum in Arcam, quam ex ea elatum in peculiarem statim Librum referre, huncque librum præsto semper in eadem Arca habere.

IV. Quia vero ad ipsum pertinet quovis ineunte mense depromptum se præsente ex Arca a Superiore raudum pro communi sumptu per mensem faciendo, recipere, ac in necessarios usus, eodem Superiore mandante dispensare, hinc det operam, ut quam diligentissime in Libro rationum suarum ex una ejus parte scribat, quantum, & quo die acceperit, ex altera vero, quantum quo die, & in quibus rebus sigillatim expenderit.

V. Porro rationem accepti ex arca raudi, & impensarum ex eo per mensem factarum, sciat se Superiori in exitu cujusvis mensis reddere teneri, suasque rationes ab eodem subscribi facere.

Regulæ Bibliothecarii.

I. Habeat Librorum omnium Cathalogum optimo ordine descriptum, ut qua quisque classe, loco, vel platea repositus sit, facile inveniri queat.

II. Bis in singulos Menses Bibliothecam verri, pulveres vero semel a libris excuti curet, ne religiosus in Bibliotheca nitor sordidetur.

III. Ne tineis corrodantur Libri, aut humiditate lædantur, sæpius vere, & æstate sereno cælo fenestras aperiat.

IV. Habeat Librum, in quo scribantur libri ii, qui ad usum Monachorum ex Bibliotheca efferuntur, iis vero redditis, quod scriptum fuit, deleatur.

V. Extra Monasterium nemini Libri commodentur, nisi accedente expresso ipsius Proto-Archimandritæ, vel Visitatoris Provincialis consensu: Si qui vero ita

commodato

commodato darentur, curet diligenter, ut suo tempore restituantur, ac interim in aliquo notabit libro, quos libros, & quibus commodaverit.

IV. Advigilet, ut Monachi per obedientiam alio migrantes, libros, quos ad usum ex Bibliotheca habuerunt, exacte juxta Indicem eidem restituant, neque ullum secum asportent.

VII. Si quem libros male tractare adverterit, id est: maculare, folia complicare, frangere, loco chartularum discriminatoriarum chartas plicatas, aut quid crassius interponere, glossas in margine facere, ad Superiorem deferat, ut puniatur.

VIII. Cognito, aliquos libros utiles, quos Bibliotheca nondum habeat, in lucem prodiisse, Superiorem faciet de eo certiorem; superfluos vero, uti sunt, quorum duplicia, triplicia vel plura habentur exemplaria, curet de licentia Superioris cum aliis auctoribus, qui in Bibliotheca non exstant, commutari.

IX. A morte alicujus derelicta, scripta, & lucubrationes, si quas posteritati profuturas post se reliquit, seponat, & detineat separatim ad arbitrium Provincialis.

X. Libri Hæreticorum, aliique prohibiti in peculiari armario (quod carcer appellari consvevit) clavi apud ipsum Superiorem asservata, obserato retineantur, nec extrahantur ad legendum, nisi iis, qui libros ejusmodi legitimam legendi facultatem habuerint.

XI. Ut facilius caveat, ne qui sint, inter libros usui communi expositos ex prohibitis, præsto in Bibliotheca habeat Indicem librorum prohibitorum, eumque legat.

XII. Bibliotheca semper sit clausa, clavesque ejus retineat Bibliothecarius, quas, impeditus, non cuique permittat, sed quem delegere Superiori ad se supplendum, visum fuerit.

Regulæ Chartophylacis Monasterii.

I. Chartophylacium, sive Archivium Monasterii sibi commissum solerter custodiat, detque operam, ut Scripturæ majoris momenti authenticæ, præsertim Ruthenico idiomate scriptæ, annexum habeant aliud Polonicis litteris exaratum simplex exemplar.

II. Sciat etiam seorsive habere omnium Originnlium instrumentorum transumpta, in forma probanti pro more Patriæ confecta, ut si quando in judiciis producenda sunt, fidem, & faciant, & inveniant.

III. Chartophylacium reponatur in loco tutissimo, haud quaquam humido, & a periculo incendii immuni, duplicique clavi diversa obseretur, quarum alteram habeat Superior, alteram Chartophylax.

IV. Monu-

IV. Monumenta Archivii apte suis quæque locis, & plateis distribuat. Habeat vero librum, in quo summa quædam eorum, quæ Archivium complectitur, contineatur, & describatur eo ordine, quem habent in Archivio, quo facilius unumquodque documentum inveniri possit.

V. Præter Instrumenta Authentica, Scripturas, Syngraphas, quibus jura fundationis, dotationis censuum &c: evincuntur, asserventur etiam in Archivio, bonorum omnium, nec non Ecclesiæ, & Monasterii vetera Inventaria, Libri rationum, Obligationum Sacristiæ, Actorum Monasterialium, Libri consultationum domesticarum, Epistolæ notabiles, Ordinationes Superiorum, informationes, & alia quæque notata, quacunque ratione ad gubernationem Monasterii pertinentia.

VI. Nihil ex Archivio extrahatur, nisi de facultate Superioris, & accepto testimonio ab exportante in eodem Archivio reponendo, detque operam Chartophylax, ut si quid extractum fuerit, quam primum facto usu restituatur, & reponatur suo loco.

Regulæ Historiographi Monasterii.

I. Sciat munus se obire posteritati acceptissimum, ut ea accurate litteris consignet, quæ posteris vel ædificationem, vel utilem notitiam allatura videbuntur.

II. Quæ historiam suam explere debeant, potissimum sunt Acta Religiosorum, qui pie diem claudunt suam. Hinc non contentus annotasse diem, mensem, annum obitus, & gradum cujusque, curet etiam perspectum facere, quantum quis humilitate, patientia, mortificatione &c excelluit, quæ munia, & qualiter gessit, quæ moriens signa pietatis dedit, &c.

III. Pertinet ad suum officium etiam consignare negotiorum majoris memienti progressum, & exitum. Jtem, si quid insigne Monasterio, vel Ecclesiæ dono vel legato oblatum fuerit; Obitus Benefactorum loci, accessus, & recessus tam Superiorum, quam Religiosorum, qui per obedientiam fiunt; Gratiæ, & miracula, quæ ad imagines Thaumaturgas in Ecclesiis nostris venerationi expositas Deus operari consvevit, aliosque eventus, qui digni memoratu, domi vel foris acciderint.

IV. Singulis Trimestribus omnium, quæ notatu digna censuit, compedium historicum faciat, deferrique curet ad Scriptorem protunc Historiæ Provincialis, ut ei inserantur loco & tempore suo.

V. Librum suum diligenter asservet, & cum migrat ad aliud Monasterium, Superiori consignet in Archivio tandem reponendum.

Regulæ Nosocomi.

I. Quæ

I. Quæ de infirmis in Constitutionibus nostris Generalibus præscribuntur, perspecta sibi habeat, & quod ad se potissimum attinet, diligenter servandum curet.

II. Medicorum præscriptum diligenter servet, neque ab eo recedat, aliquid sponte sua immutando, aut intermittendo, sed accurate eo tempore & modo tam medicinam, quam cibum ægro præbeat, quo fuerit a medico imperatum.

III. Cellas infirmorum servet mundas; Lectulos commode sterni, Lintea, & Linea immunda cum mundis sæpius commutari faciat: dumque eos mæstos advertit, hilarem se ipse exhibeat, citra dissolutionem tamen; adjutorem quoque se præstet, quoties movere se se, vel levare de lecto voluerint.

IV. Nunquam infirmos sinat manere solos, sæpius eos reviset, svaviterque identidem quærat, num aliquo opus habeant,

V. Si quis ex morbo obierit contagioso, supellectilem ejus separabit, nec prius usibus aliorum addicet, quam sola, purgata, ventisque identidem exposita, contagionis omnem suspicionem exuerit.

Regulæ Janitorum.

I. Munditiem circa januam servet, detque operam ut vestibulum singulis, si opus fuerit, verratur diebus.

II. Januam clausam teneat, nec claves intra sèram relinquat; Quodsi sibi aliquo eundum fuerit, custodiam januæ alteri, non suo, sed Superioris arbitrio, designando committat.

III. Summa diligentia januæ invigilet, audito pulsu campanulæ, illico ad januam accurrat, & si res patitur, per fenestrellam accedentem expediat. Quodsi accedens fuerit Vir Jllustris, aut Religiosus, portam statim aperiet, eumque intromittet, quærens modeste, quid jubeat. Cognito autem, quod alloqui velit aliquem ex nostris, & quis sit, officiose petet facultatem significandi. Porro tametsi Superior ipse rogatus non fuerit, sed alius aliquis Monachus, semper tamen ipsum Superiorem adibit, & ex præscripto ejus aget.

IV. Schedas & litteras ab extraneis ad Nostros, & a nostris ad extraneos missas, nemini re significata, Superiori ipsi tradet: Quodsi sæpius id facere omiserit, pœnam culpæ gravis incurret, præsertim si scandalum inde sequutum fuerit.

V. Mulieres accedentes colloquio non detineat; Cum omnibus vero ita modeste, & religiose versetur, ut & extraneis ædificationi, nostris autem interius residentibus honori sit, bene ex se de omnibus conijciendi occasionem præbendo.

VI. Pauperes eleemosynæ causá ad januam venientes benigne, sine clamore, & indignatione excipiat, cum iisdemque agat ex arbitrio Superioris.

VII. Cum orationi vacatur, vel ad mensam sedetur, nec portam aperiat, nec significet, nisi personæ accedentis, aut negotii conditio aliter postulaverit: Quo casu Superiorem secreto admonebit.

VIII. Quadrante saltem ante horam silentii januam obserabit, nec exinde aperiet, nisi de expressa Superioris facultate, cui claves etiam tradat, nec apud se noctare patiatur.

CAPUT SECUNDUM

De ratione, & institutione Studiorum Textus Regulæ S. Patris Nostri Basilii, & præclarus alterius S. Patris Nostri Gregorii Theologi, huc pertinens locus, cum gravissimo de excellentia omnis Liberalis Doctrinæ, ejusdem S. Patris Basilii, Testimonio.

Quanto anima præstat corpori, tanta est, & utriusque (humanæ scilicet & cælestis) vitæ differentia. Ad hanc autem deducunt sermones Sacri per arcana nos erudientes; sed dum per ætatem non licet intelligentiæ eorum altitudinem adire, & assequi, interim in aliis scriptis non omnino diversis, quasi in umbris quibusdam & speculis in antecessum animi intuitu exercemur, eos, qui in militari disciplina exercentur imitati: Qui ubi in manuum motu, atque saltationibus experientiam adepti fuerint, in certaminibus ex hac ipsa ludicra disciplina fructum percipiunt. Et certe, putandum est certamen certaminum omnium maximum nobis propositum esse, pro quo agenda nobis sunt omnia, & laborandum pro viribus, ut ad id præparemur, atque Poetis & Historicis, & Rhetoribus, & hominibus omnibus utendum, unde utilitas aliqua ad animam curandam accessura sit. Quemadmodum enim infectores, quidquid tingendum est, prius curis quibusdam præparant, & ita demum colorem, sive purpureum, sive quempiam alium inducunt: Eodem modo & nos quoque, si indelebilis in nobis honesti gloria omni tempore permansura est, his externis ante initiati, deinde Sacras, & arcanas doctrinas ediscimus. Et solem veluti in aqua videre, sic luci ipsi oculos admovebimus. Quodsi mutua quædam convenientia intersit inter doctrinas, earum nobis cognitio valde utilis fuerit; sin minus, certe earum inter se collatarum discrimen internosse, ad potiorem firmandam non parum contulerit. Sed cuinam rei comparanda doctrina utraque, possis imaginem assequi? certe quemadmodum arboris propria virtus est, tempestivo fructu scatere, & tamen folia etiam circum ramos exagitata aliquid ei ornamenti conciliant: ita & animæ quoque primarius fructus est, veritas ipsa, sed tamen haud ingratus est externæ Sapientiæ amictus, tamquam, si folia quædam fructui, & umbraculum

culum, & aſpectum non inamænum præbent. *Serm: ad Adoleſcen: Nro: 2.*

Num quid conveniat, ut in Fratrum Societate Magiſter ſit puerorum Sæcularium? ℟. Cum Apoſtolus dixerit: - *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* (a) Si qui eos adducunt, adducant hac mente, & qui ſuſcipiunt tales, ſint, ut planiſſime confidant, poſſe ſe oblatos pueros in diſciplina, & correptione Domini educare. Servetur, quod a Domino præceptum eſt his verbis: - *Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere, talium enim eſt regnum Cælorum.* *Reg: Fuſ: 292.* (b)

Cum Dominus dicat: Sinite pueros venire ad me, & Apoſtolus eum laudet, qui ab infantia Sacras litteras didicit, rurſuſque præcipiat Liberos educari in diſciplina, & correptione Domini, omne tempus primæ etiam ætatis, iis, qui accedunt, excipiendis, idoneum eſſe cenſemus, eos quidem, qui Parentibus orbati sunt, noſtrapte ſponte aſſumentes, ut ad Jobi exemplum, orphanorum Parentes efficiamur; Eos vero, qui sub parentibus sunt, ab ipſis adductos. *Reg: Fuſ: 15.*

Quomodo ab artium Magiſtris pueri delinquentes corrigendi ſint? ℟. Atque etiam oportet artium Magiſtros, ſi qua in re deliquerint diſcipuli contra ipſam artem, privatim vitium reprehendere, & errata emendare. Quæcunque vero peccata indicant morum perverſitatem, veluti contumacia, contradictio, segnities circa opera, aut otioſus sermo, aut mendacium, aut quidpiam aliud ejuſmodi, quod ipſis interdictum eſt, ea oportet ad communis diſciplinæ moderatorem referre, & coram eo redarguere, ut ipſe, & menſuram, & modum, quibus peccata sanentur, excogitet. Si enim objurgatio eſt animæ curatio, non eſt cujuslibet objurgare, ſicut nec mederi, niſi Præfectus ipſe multo adhibito examine id cuipiam permiſerit. *Reg: Fuſ: 53.*

Omnis Deum amans Vir, ad litterarum diſciplinam per se propenſus eſt; invictum enim deſiderium eorum eſt, qui quid utile docere poſſunt, modo diſcentium mentes omni contradicendi vitio careant. Non igitur corporis sejunctio impedit, quin ad excellentiam sapientiæ, & humanitatis nos effingat, mentem ipſis corporis finibus non circumſcribens, neque lingua sermocinandi facultatem terminans; Dat vero quid amplius, quam qui ex tempore prodeſſe poſſunt. Cum non solum longo intervallo diſjunctis, sed poſtea quoque in lucem edendis scientiam tranſmittere valeat. Nobiſque hujus rei veritatem experimentum confirmat, quando jam ætate provecti juvenes in litteris sana doctrina inſtituunt. Nos tanto ſpatio corporibus separati animo semper vobiſcum sumus, facileque de doctrina

(a) Ephi 6. V. 4. (b) Mathi 19. V. 14.

de doctrina, quæ neque terra, neque mari contineri potest, conferimus, si nobis propriarum animarum cura sit. *Epist: ad Discipulum Festum & Magnum.*

Illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostra solum, ac nobiliore loquor, quæ contempto omnis sermonis lepore, atque ornatu, saluti uni, atque earum rerum quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissime hæret: Sed etiam de externa, quam plerique Christiani, pravo quodam judicio, ut insidiosam, & periculosam, ac procul a Deo avertentem aspernantur. Quemadmodum enim Cælum terram, aerem, quæque eorum complexu coercentur, non ideo contemnere debemus, quia nonnulli scelerate acceperunt pro Deo, ea, quæ Dei sunt, venerantes. Quin potius, quid quid tum ad vitam, tum ad animi oblectationem usui est, decerpentes, quid quid periculosum est, fugimus, non res creatas adversus Creatorem, ut stulti faciunt concitantes, sed ex rebus conditis Conditorem agnoscentes, atque omnem intellectum ut Apostoli verbis utar, Christo captivum submittentes. Quemadmodum insuper nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res ulla alia suapte natura vel maxime utilis est, vel maxime noxia, verum ut iis, qui utuntur, placet: atque adeo ex serpentibus bestiis quasdam interdum salutaribus medicamentis admiscemus. Eodem nos quoque modo ex litteris illis, & disciplinis, id sane, quod in inquirenda rerum natura, & contemplatione versatur, suscipimus. Quid quid autem ad dæmones, & errorem, & exitii voraginem ducit, respuimus: Imo etiam ab eo ad Dei cultum adjuti sumus, nimirum ex deteriori, id, quod præstantius est cognoscentes, atque illorum imbecillitate doctrinam nostram fulcientes. Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur: quin potius stulti, atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant, qui omnes sui esse similes cupiunt, ut privata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat, & coarguat: Hoc igitur posito, atque pro confesso habito, age vitam Basilii contemplemur . . . Quis doctrina propter mores minus eguit? Quis tamen uberiorem doctrinam cum moribus conjunxit? Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elaborasset? Sic nimirum omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam: singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præterea didicisset; ad ingenii enim acrimoniam studium accedebat: Ex quibus imperium artibus scientiisque comparatur. Qui cum celeritate naturæ propter laborem & contentionem minimè opus haberet, quemadmodum nec labore propter ingenii magnitudinem: Sic tamen utrumque conjunxerat, ut non satis liqueret, utro nomine admirabilior esset. Quis in Rhetorica, illa, in quam, vim ignis

spirante

spirante cum eo comparandus, tametsi illius mores a Rhetorum moribus dissiderent? Quis in Grammatica quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in Philosophia, excelsa procul dubio scientia, & sursum gradiente, sive eam partem spectes, quæ in actione, & speculatione posita est, sive eam, quæ in Logicis demonstrationibus, aut oppositionibus, & concertationibus versatur, quam Dialecticam vocant: in qua adeo excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset e labyrinthis se se extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet. Jam vero Astronomiam, Geometriam, numerorum proportiones hactenus didicisse contentus, ut non ab iis, qui in hujusmodi rebus sciti & eruditi sunt, exagitaretur: Quid quid supererat, ut pietatis cultoribus infrugiferum, contempsit: adeo, ut, & quod elegit, magis admirari, ac prædicare liceat, quam quod reliquit; Et rursus id quod reliquit, majori, laude efferre, quam quod elegit. Nam medicinam, quæ Philosophiæ, & laboris, atque industriæ fructus est, corporis morbus, ac morbi curatio necessariam ipsi reddiderat. Unde exorsus, ad artis habitum tandem pervenit. Eam porro artis partem intelligo, non quæ circa perspicua, oculisque subjecta, & humilia versatur, sed quæ in doctrina, & Philosophia consistit. *S. P. N. Gregorius Nazianzen: in Monodia.*

Regulæ Provincialis.

De Classibus, & tempore cursus Studiorum.

I. Cum & majoris Divinæ gloriæ incrementum, & publica Patriæ utilitas, & Regula S. Patris Nostri Basilii, exemplumque Ejus eruditionis præclarissimum poscat a Nobis, ut litteris diligentissimam demus operam, quo inde ad majorem Dei Creatoris, & Servatoris Nostri congnitionem assurgamus, in id strenue incumbendum sibi putet Provincialis, ut ratio quam maxima Litterarum in Provincia habeatur.

II. Det operam, ut in Provincia duo minimum Theologicæ Dogmatico-Scholasticæ scientiæ habeantur Seminaria, totidemque Theologiæ practicæ, vel plura etiam, prout nimirum major vel minor discipulorum ad moralem Theologiam ideneorum numerus poposcerit.

III. Philosophiæ Schola, & Matheseos duobus minimum in locis pro nostris adaperta esto. Humanitatis autem & Rhetoricæ tot sunto studia, quot attento numero juvenum Monachorum in humanioribus disciplinis erudiendorum cognoverit esse necessaria.

IV. Curriculum Theologiæ Dogmatico-Scholasticæ a nostris emetiendum

protendatur ad quadrigennium, vel Triennium pro diversa subjectorum capacitate & Regionum usu. Practica Theologia percurratur biennio, cursus vero Philosophicus triennio, quolibet tamen anno unus absolvatur, alter inchoetur. Quodsi soli extranei fuerint Philosophiæ auditores, licebit Provinciali minus ei tractandæ tempus præfinire, nisi aliud legibus diversarum Ditionum fuerit constitutum.

V. Jn humaniorum studio Litterarum, quandiu nostri detinendi sint, ipsius erit de unoquoque singulatim statuere. Expedit tamen, ne (si nulla obstat ratio ætatis, aut aptitudinis) mittantur ante ad Philosophiam, quam biennium in Rhetorica posuerint. Quodsi aliqui optima præditi indole spem magni in utraque eloquentia faciendi profectus ostenderent, alienum haud erit, eos per triennium in his studiis hærere facere, quo solidiora elegantioris litteraturæ jaciant fundamenta.

De Professoribus.

VI. Ad unamquamque facultatem deligat Professores in moribus bene probatos quosque viderit aptiores, qu'que docti, attenti, seduli, diligentes, deque fructu studentium ex Lectionibus, aliisque exercitationibus litterariis soliciti sint, minime neglecta morum disciplina.

VII. Mature provideat, & cum suo Consultorio deliberet, quos ad Cathedras Theologicas Professores habere possit, detque operam, ut ii potissimum provehantur, qui non modo in Theologia versati sunt, sed etiam in Linguarum, quæ Theologiæ deserviunt, cognitione cæterisque scientiis, historia, ac varia critica eruditione non parvos processus effecerunt.

VIII. Theologiæ Professoribus duos alios adjungi curet Professores (si id commode fieri poterit) alterum, qui S. Scripturæ intepres sit, & Linguam Hæbream nostros doceat: Alterum, qui doctrinam Sacrorum Canonum explanet, ut quo tempore nostri Theologicis vacant disciplinis, notitia quoque tam Linguæ Sacræ, quam Ecclesiasticarum Legum imbui possint.

IX. Jn Monasteriis, quæ Theologorum Moralium alunt Seminaria, constituat aliquos, qui simul eos doceant, aliquam Constitutionibus nostris probatam artem manuariam, imbuantque eosdem saltem principiis Geometriæ practicæ, Arithmeticæ, Geographiæ, Historiæ, & Æconomiæ.

X. Ad Professoratum Philosophiæ non admoveantur, nisi qui Geometriæ saltem, si non universæ Matheseos, cognitionem habuerint, ac curriculum Theologiæ emensi fuerint, ut eorum doctrina solidior, tutiorque, ac ab hallucinationibus remotior esse valeat.

XI. Nostri Philosophiæ dantes operam, ut uberiorem sui studii fructum capiant

capiant, præter Professorem, habeant alium, si commode fieri poterit, qui sit Correpetitor, ad quod munus assumere curet viros morum integritate commendatos, & congruis disciplinis bene excultos, ut exacto muneris sui tempore, pro docenda Philosophia, si eam nondum docuerint, disponi possint, nisi aliunde obicem posuerint.

XII. Professores severiorum facultatum mature ante instaurationem studiorum designet, ut ad examen subeundum, & ad studia sua recolenda aliquod tempus habeant, quo facilius ea aggredi, ac utilius proficeri possint.

XIII. Caveat, ne Scholis inferioribus præficiantur Magistri, qui Philosophiæ operam nondum navarunt, cum, qui eam audierint, in promptu sunt.

XIV. Ubi studium Provinciæ habetur universale, unum constituat Præfectum studiorum virum multarum Litterarum, qui Rectorem in munere suo juvet, studia dirigat, Professoribus, & Sholasticis invigilet, eosque in rebus ad studia pertinentibus, juxta Regulas eorundem, obedientes sibi habeat.

De Scholasticis sive Discipulis.

XV. Expendat, quibus hi, aut illi Monachi juniores studiis addici debeant, & pro sua prudentia, secundum ætatem, & ingenium uniuscujusque, eos applicet.

XVI. Quos ad Philosophiam, aut Theologiam ineptos cognoverit, studiis his non admoveat, sed operam eos ad discendam Theologiam Moralem conferre jubeat, ut saltem animabus curandis pares evadant operarii.

XVII. Sciat autem sibi non licere a perficiendis studiis eos avocare, quos mediocre tantum commendat ingenium: multominus vero integrum sibi esse, vel retrahere aliquos a cæpto Litterarum curriculo, vel studiis non addicere, qui indole ingenii sunt præstantes, quamvis a studiis animum ipsi haberent alienum, & poscerent se ab illis amoveri, nisi obstinatio mentis & corruptio morum, aliud exigeret.

XVIII. Ab audienda per Annum secundum, vel tertium Theologiæ, Linguarum lectione, neminem prohibeat, qui alacri ad easdem animo forent. Quinam tamen potissimum huic studio addicendi sint, ipsius erit judicare, & addicere.

XIX. Humanitatis & Rhetoricæ Alumni, etsi pariter studio Linguarum, potissimum Gallicæ & Germanicæ teneantur, quæ in foro civili multum obtinent, quibusque exteros in nostris Scholis Juvenes instituere obligamur, pertinebit tamen ad Provincialem videre, quinam pro indole ingenii, & bona sua propensione peculiariter in iis exercendi sint; atque quos tales cognoverit, etiam atque etiam incitet, ut ad hoc genus studiorum diligenter incumbant

cumbant, quo successu temporis Provinciam ornare, aliisque prodesse possint. Curet pariter, ut iidem Scholastici non negligant ponere operam in Litterarum characteribus rite ac belle efformandis, uti etiam in componendis, habendisque sermonibus Sacris.

XX. Efficiat, ut qui Theologiæ Morali dant operam, discant præter alia formas slavicarum, hoc est Ruthenicarum Litterarum, tam Ecclesiasticas, quam cursivas, ut loquimur, venuste efingere, veteraque eodem charactere conscripta prompte legere Monumenta.

XXI. Qui Philosophicis excoluntur disciplinis, integro studii sui curriculo Mathesi sedulam operam impendere teneantur horis a suis Professoribus determinatis. Propensiores autem ad hoc studium, aptum ad illud nacti ingenium, etiam deinceps, exacto cursu, privatis exerceri Lectionibus jubeantur.

De Examine Professorum, & Studentium.

XXII. Nemo ad docendum Theologiam vel Philosophiam idoneus censeatur, qui per Provincialem, aut designatos ab ipso duos aut tres Examinatores, ab omni suspicione acceptionis Personarum immunes, iis dotibus, & disciplinis, quas apposite ad unamquamque ex his docendam facultatem requirunt Leges nostræ, satis instructus, serio facto examine, repertus non fuerit.

XXIII. Examini huic horæ impendantur minimum duæ: curandumque est, ut Examinatores, quos Provincialis constituet, sint, quoad fieri poterit, a Præceptoribus examinandorum diversi, ex formula consveta jurati.

XIV. Ji, qui examinandi sunt, mature de tempore, quo periculum ipsorum doctrinæ faciendum est, moneantur, Theses tamen, sive capita, quæ examinis materia futura sunt, quadraginta ex diversis tractatibus ab Examinatoribus deteminabuntur, quorum nullum in dividuo examinando innotescat in discrimen vocandum.

XXV. Si primo examine non satis ad docendum idonei judicati fuerint, novum ipsis licebit iterum, atque tertio examen a Provinciali expetere, quod concedendum erit indulto aliquo temporis spatio.

XXVI. Examinatores judicia sua, seu suffragia secreto ferent, & ad Provincialem seorsim ea scribent, neminique revelabunt, quid unicuique statuere visum fuerit. Penes Provincialem vero ejusque Consultorium erit videre, & secundum pluralitatem decernere, cum de Theologiæ Professoribus, quibus vocalitas adnexa est, deliberatur: quodsi vero de Philosophiæ Professore agitur, ipse Provincialis, re bene perpensa, id statuat, quod

ad Dei

ad Dei gloriam, & commune Provinciæ bonum magis expedire in Domino judicaverit.

XXVII. Ne Magistri quoque Classium inferiorum minus apti præficiantur, curet eorum etiam doctrinam ope Examinatorum exploratam habere. Quo vero bonorum hujusmodi Magistrorum Seminarium quasi quoddam in Provincia haberi possit, commendet Superioribus Monasteriorum, ex quibus humaniorum Litterarum, & Grammaticæ Magistri educi solent, ut curent deligere unum aliquem Monachum institutionibus Grammaticis, & Humanioribus Litteris bene excultum, qui sub finem cursus Studiorum, per unum alterumve Mensem, ter in hebdomada, spatio unius horæ Monachos juniores, qui possunt proxime fieri Præceptores, perpoliat, si quo adhuc profectu opus habeant, perficiat, ac rectam rationem docendi ipsis tradat, idque vicissim prælegendo, Authores Classicos interpretando, dictando, scribendo, emendando, aliaque munia boni Magistri exercendo.

XXVIII. Sciat quoque examen studentium ad se pertinere, ita tamen, ut, si ipsi per tempus non liceat, possit ad inspiciendum, quos in Litteris Scholastici nostri progressus fecerint, alios Examinatores designare.

De iis quæ juvant ad rem Litterariam promovendam.

XXIX. Operam det, ut Monasteria præsertim minora, in quibus aliqua aluntur scientiarum Seminaria, sufficientem habeant copiam adjutorum in re domestica, ne Superior Scholasticorum opera uti cogatur, ad ea munera, quæ per Monachos Laicos vel Sæculares obiri possunt.

XXX. Rectoribus Studiorum serio commendet, ut Linguæ Latinæ usum inter Scholasticos conservari curet secundum Regulam officii sui.

XXXI. Ut totus Congregationis nostræ conatus in re propaganda Litteraria ad majorem Dei Omnipotentis cognitionem, Ecclesiæ, & Patriæ utilitatem felicius cedat, studiose advigilet, ut ab omnibus tam Superioribus, quam inferioribus diligenter serventur Regulæ suæ, quæ ad rationem pertinent Studiorum nostrorum.

De Intermissionibus Studiorum.

XXXII. Cum laborem Studiorum, ut intendere, ita interdum remittere necessarium sit, hinc licet nullas novas vacationes introduci, pati debeat, eas tamen, quæ jam diu in domesticis nostris Scholis obtinuerunt, constanter servari faciat. Porro Intermissiones hujusmodi studiorum hæ sunt: *Prima*. Generalis in Anno, quæ Theologorum, ac Philosophorum esse debet, non longior duobus mensibus, Rhetorum vero, & Humanistarum non minor Mense uno. *Secunda*. Feriarum Natalium, quas Theologi, & Philosophi obire incipiant Vigesima Decembris; Rhetores vero ac Humanistæ in Vigilia ipsa Nativitatis Domini, Om-

nes autem prosequantur usque ad diem Festum S. Patris Nostri Basilii. *Tertia*. Feriarum. Tyrophagi, quibus Theologi & Philosophi vacent omnibus, Rhetores vero, & Humanistæ tribus solum, nimirum Feria Tertia, Quinta, & Sabatho. *Quarta*. Feriarum Paschalium, quibus tam Superiorum, quam inferiorum classium Scholastici, interquiescant omnes: a Dominica Palmarum ad Dominicam Primam post Pascha. *Quinta*. Feriarum S. Spiritus, quibus solum triduo vacent omnes, & Die Jovis insequente.

XXXIII. Singulis præterea hebdomadis unus quieti indulgeatur dies, dies nimirum Jovis, & hic quidem integer in Superioribus Studiis, in inferioribus autem ita, ut ante meridiem doceatur in Rhetorica per horas semiduas, in cæteris, per duas integras, & post meridiem ab omnibus vacetur. In Majo tamen, etiam inferiores Classes habeant unum integrum cessationis diem.

XXXIV. Duobus diebus Festis in hebdomadam incidentibus, nulla alia hebdomadaria concedatur vacatio, nisi forte ita acciderit, ut alter in diem lunæ, alter in Sabathi diem incidat. Tum enim poterit permitti quies a Studiis per diem Jovis, & quidem per integrum pro Classibus Superioribus, per dimidiatum pro inferioribus. Quodsi unus solum in hebdomada dies Festus habeatur, isque incidat pridie, aut postridie diei Jovis, alio nullo die vacabitur.

XXXV. Commendet ubique diligenter, ut quo tempore quies nostris Discipulis a contentione studendi conceditur, omnes studeant chori integris officiis interesse, in iisque elaborare scientiis, quarum circa primaria studia, etsi imbuantur principiis, apicem tamen tenere non possunt, nisi sedula privata exercitatione adjuti.

De Scholis, & Institutione Externorum.

XXXVI. Sciat non minus externarum, quam Domesticarum nostrarum Scholarum curam se gerere debere, cum id & Patriæ charitas poscat, & Basilianæ Regulæ ratio exigat. Quare omni studio adnitatur Provincialis, ut Scholæ publicæ, quæ pluribus in locis in gratiam, & commodum juventutis Sæcularis, præsertim equestris Ordinis optime de Patria semper merentis, a nobis adapertæ sunt, majora jugiter incrementa accipiant, fructusque illos, quos multiplex Scholasticus labor, proximis ex officio instituti impensus, a Divina expectat gratia, abunde ferant.

XXXVII. Superioribus Monasteriorum, quæ annexas habent Paræcias, quam potest, maxime commendet, ut non modo Scholam Parochialem pro juventute Parochianorum Præceptis Doctrinæ Christianæ imbuenda ubique sustineant, sed etiam Filios pauperum nobilium libenter suscipiant erudiendos, per idoneum a se deputandum Monachum ad omnem pietatem, & in artibus legendi, scribendi,

numerandi

numerandi, aliisque statum eorum condecentibus, ut progressu temporis ad Patriæ publicos usus apti, ac habiles reddi possint.

XXXVIII. Præceptores optimi quique, & quam maxime idonei, quantum commode fieri poterit, ad docendos externos designentur: & si Provinciali videbitur, omnes Sacerdotes; nam cum munus instituendorum puerorum nostræ Regulæ proprium sit, nec certis personis addictum, nequit etiam in Classibus inferioribus non exerceri a Sacerdotibus, quoties Superiori ita visum fuerit.

XXXIX. Curet autem diligentissime, ut in ordine, & statutis horæ doctrinæ tribuendis, in prælectionibus, repetitionibus, concertationibus, & aliis exercitationibus; Itemque, in vacationibus: verbo, in tota ratione studiorum habeatur ratio præscriptorum supremi Magistratus, educationi juventutis publica authoritate præpositi.

XL. Nunquam permittat, ut Magistri nostri prælegant, aut interpretentur in Scholis, sive domesticis, sive externis libros Poetarum, & alios, quantumvis Classicos, qui vel puritatem, vel bonos mores lædere possunt, nisi prius a verbis, & rebus inhonestis purgati fuerint.

Regulæ Rectoris.

I. Ut, quia Superiorem Monasterii agit, cura rerum domesticarum ad eum pertinet, sic quia simul Rector est, curam studiorum gerere debet, enitique, ut scopum, quem tam in erudiendis suis Monachis, quam in Scholis externis admittendis, propositum sibi habet Basiliana nostra Congregatio, Dei juvante gratia consequatur.

II. Jta domestica Superioris officia temperet, ac moderetur, ut fovendis quoque Litterariis exercitationibus aptum tempus habeat. Hinc Theologorum, Philosophorumque disputationibus, tam privatis, quam publicis frequenter intersit, Scholas externorum etiam inferiores non raro adeat, videatque, num secundum præscripta Celsissimæ Commissionis omnia peragantur.

III. Neminem patiatur ex nostris auditoribus a Scholasticis abesse exercitationibus, disputationibus, Concertationibus. Omnes proinde occupationes, omnes divagationes, quæ studia interpellare possunt, ipsis præcidat, nec ullo modo ferat, ut citra gravem, justamque causam extra Monasterium huc illuc volitent, vel in prædia, aut ad Cognatos excurrere passim velint.

IV. Professores præsertim Theologiæ, ac Philosophiæ ad Concionandum in Ecclesiis minime adstringat, multominus in virtute Sæ Obedientiæ ad id cogat.

V. Valetudinis tam Professorum, quam Scholasticorum peculiarem habeat rationem, detque operam ut in laboribus suis modum teneant, suam vero in iis, quæ ad tuendam valetudinem, vel congruam corporis commoditatem necessaria

cessaria ipsis sunt, non desiderent charitatem, quo alacrius industriam, & docendi, ac discendi laborem expromant suum.

VI. Ut vero assiduitas, Academicarum exercitationum fervor, ac vigor horumce studiorum foveri possit, det operam Rector, ut qui non contemnendum specimen profectus sui dederunt, nunquam præmiis non donati recedant, & quidem opposite ad unumquemque profectus gradum, scilicet, mediocrem, mediocri majorem, & summum. Quare Academicis præmia in triplici Classe constituta sunto, pertineatque ad Provincialem decernere, cujus generis singula esse debeant.

VII. Aliarum quoque Classium Discipuli, qui in examine, publica disputatione, aut Academica exercitatione alios superarunt: Jtem, vel Latino, vel alio idiomate carmina pangendo, Orationem efformando dicendoque, ad aliquam laudem profecerunt, elaboratæ operæ præmium pro ratione boni, melioris, aut optimi progressus referant.

VIII. Eos, qui ad publicum habendum Scholasticum actum designabuntur, curabit primum examinari, nec sinet in publicum Cætum prodire, nisi una cum Professoribus judicaverit eosdem pares esse huic Actui, pro honore sustinendo.

IX. Cum ad ea, quæ didicimus non obliteranda in animo, plurimum conferat usus & exercitatio, satagat, ut bis in anno etiam Theologi & Philosophi vg. imminenti die Festo S. Patris Nostri Basilii, & instante instauratione Studiorum carminum aliquid Latinorum, sive Græcorum vel alterius Linguæ condant, quæ præstantiora, laudis & præmii causa referri curabit in Librum exercitationum Scholasticarum. Curandum quoque est, ut nostri etiam Rhetores aliqua interdum Poemata, aut Orationes Græce vel Latine, aut alia lingua suo marte de re aliqua pia elaboratas in Refectorio habeant, præmiumque, si hæ lucubrationes laudatæ fuerint, industriæ ac laboris ferant.

X. Artis vero Concionatoriæ semina a Rhetoribus excepta, quo pariter cum studiis ipsorum propagari, crescere & maturari valeant, det operam, ut non modo Rhetores, sed etiam Theologi, ac Philosophi bis vel ter in anno ad communem Patrum in Refectorio consessum de aliqua virtute, more & modo Concionatorio, verba faciant. Quare non tantum argumentum ipsis designabit, in quo uniuscujusque versari volet concionem, sed etiam dispositionem & elocutionem corriget, & tempus, quo ab unoquoque dicenda erit determinabit. Porro neminem ex iisdem ad Concionandum in publico mittet, quin prius Concionem, quam habituri sint, privatim in Refectorio coram Patribus electorio suggestu dixerint.

XI. Efficiat, ut diebus studiorum duo minimum ex Scholasticis deputentur, qui ad usque finem Divini officii choro adsint, ejusque decentiam tueantur

tueantur

tueantur, explendo, sicubi opus fuerit, numerum Choristarum. Deputatorum autem hujusmodi assiduitatem studeat aliquo charitatis officio remetiri, ut omnes intelligant magnæ sibi curæ recte facta esse.

XII. In studio universali, ubi habebit Præfectum Studiorum, cui tanquam suo instrumento tribuet omnem potestatem ad ordinanda, & regenda ita Studia, ut qui eis dant operam, in probitate & doctrina proficiant ad Dei gloriam. Ubi vero is circa studium universale non fuerit, ea quæ in Regulis Præfecti continentur, alia servabit ipse Rector, alia primæ Lectionis Theologiæ Professor.

Regulæ Gymnasiarchæ, sive Præfecti Studiorum.

I. Quidquid in ratione studiorum nostrorum pro recta eorum institutione præscribitur, aut a Superioribus interdum ordinatur, curet, ut a Scholasticis, & Professoribus diligenter servetur; sciatque nullam sibi esse potestatem aliquid ex Præscripto hujus Capitis immutandi, aut in re quapiam dispensandi, sed si quando opus fuerit, Rectorem consulat, ut ex ejus statuat arbitrio, quod videbitur statuendum.

II. Omnibus Disputationibus, quas Professores scientiarum Superiorum instituunt, diligenter præsit, ac tempus, quo disputantes incipere, quove desinere debeant, præfiniat. Ipse nec argumentetur, nec argumenta solvat, sed argumentantibus, & respondentibus modum duntaxat adhibeat. Quodsi occurrerit difficultas, quæ ultrocitroque agitata, non satis videretur exposita, majore cum decentia faciet, si non ipse argumentando, nodum difficultatis evolvet, sed percontando, ac dextre quærendo, connitetur, ut vel Discipulus, vel Professor planius eum solvat.

III. Dabit operam, ut a Rectore, auditis Professoribus mature designentur, qui sive ex parte aliqua Theologiæ, sive ex universa actus publicos habituri sunt; Ac peculiares quidem actus, hoc est ex aliqua certa Theologiæ parte habeant, qui ad ultimum cursus Annum progressuri sunt, Generales vero, id est ex tota Theologia, qui jam cursum conficiunt.

IV. Actus Generales circa finem studiorum habeantur, peculiares vero a facta instauratione eorundem, utrique tamen fiant publice, invitatis externis, sine sonitu tamen musices & strepitu tympanorum.

V. Actus particulares habeantur mane, vel a prandio tantum, nec durent plus duabus horis. Generales vero ad tres minimum horas protendantur, ita tamen, ut unam horam cum dimidia capiat matutina, alteram vero cum dimidia tributam sibi habeat pomeridiana disputatio.

VI. Utrique actus obeantur argumentantibus externis, præsidentibus vero Profe-

Professoribus seorsim, vel simul duobus, ita, ut de suis uterque respondeat propositionibus.

VII. Propositiones defendendæ non plures exponantur, quam Quadraginta pro Actu generali: Viginti Quatuor pro peculiari, Duodecim pro Menstruo, Sex pro Hebdomadario. Porro reliqua de Hebdomadariis, ac Menstruis disputationibus servanda curet secudum ea, quæ in Regulis Professorum præscribuntur.

VIII. Nullas Propositiones exponi permittat, quin fuerint primum a se recognitæ. Si qua vero hac in re Præfectum inter, & Professorem opinionum oriretur dissensio, Rectoris erit eam tollere approbatione, immutatione, vel litura controversæ propositionis; Quod tamen præter Rectorem, Præfectum, & Professorem, alius nemo sciat.

IX. Ad exitum perveniente cursu Philosophico, habeantur pariter publicæ de tota Philosophia disputationes, ad quas habendas non deligantur, nisi qui mediocritatem non parum excessisse fuerint judicati.

X. Porro Philosophici actus habeantur mane, vel a prandio tantum, sed sint circumscripti duabus horis cum dimidia.

XI. Curet, ut Actibus Philosophicis intersint non modo Auditores, sed etiam Proffessores Theologiæ; ac vicissim Theologicis Philosophi, & Professores quidem, cum externi ad argumentandum non invitantur, ut disputationem argumentatione prosequantur, quo alacrior, & solemnior fiat concertatio.

XII. Invisat quoque frequenter sub privati tempus studii Scholasticos, videatque, num omnes intersint, num sileant, num Authorem suum diligenter legant.

XIII. Ex antiquioribus discipulis deligat unum, de respectivis Classibus, qui Bedelli nomen gerens, sit ipsi instrumentum ad ea omnia, in quibus ejus operam circa Scholastica requisiverit: Quique constitutis temporibus, signo campanulæ Scholasticos ad speculationem, tum Lectiones vocet, eisque attendat, ut mature conveniant, silentium tempore privati studii, sive speculationis servent, neque ab eo evagentur.

XIV. Tametsi regimen Scholasticorum penes se sit, in iis tamen, quæ ad Monasticam disciplinam spectant, ut cum e Monasterio foras exeundum erit, ad mensam legendum, vel eidem inserviendum; Cum Regularum exigenda observantia, aut errata pœnitentiis corrigenda, aut istis similia, non nisi absente Rectore & Vicario, ad se disponere pertinebit.

XV. Culpæ tamen, quas circa Scholæ officia committi contigerit, ab ipso Præfecto consultis Professoribus, intra Scholæ parietes corrigantur, nisi sæpius

sæpius iteratæ fuerint ; Nam eo in casu ad Rectorem referri ab eodem debebunt : Rector autem pro justitia animadvertere omnino in illas teneatur .

XVI . Bonam de Professoribus existimationem apud Discipulos tueatur , utque erga eos reverentes sint , attendat .

XVII . Nullius Scholastici opera ad scribendum , sive ad aliud obsequium, & ipse utatur , & ab aliis uti permittat , quoties id impedimento studiis sit futurum .

XVIII . Dum aliquis Actus a Communitate celebrandus occurrit , cujus gratia tempus Scholastici exercitii invertendum sit , mature cum Rectore rem conferat , ut singulis occupationibus suæ horæ ita accommodentur , ne se invicem impediant , sed utrumque opportune , & ordinate fiat .

XIX . Si Rector studiorum fructum aliqua ratione pergeret impedire , Præfectus protinus Visitatori deferat , ut malo remedium eo mode adferatur .

XX . Nihil patiatur recitari publice , sive domi , sive foris a Scholasticis , quod non prius fuerit ab ipso lectum , recognitum , & probatum .

XXI . Invigilet , ne Scholastici aut careant libris necessariis , aut inutiles legant . Pertinebit vero ad ipsum omnibus tam Theologis , quam Philosophis Librum aliquem ad Humanitatis studia pertinentem pro indole , ingenioque cujusque deligere , & ex Bibliotheca depromptorum tribuere , tempus certum præfinire , quo legere , ubi commodum fuerit , eos non omittant .

Regulæ Communes Professoribus cum Theologiæ , tum Philosophiæ .

I . Dent operam , ut memores utilitatis , quæ in ordinem nostrum e Litterarum studiis redundat , cum serio ipsi , ac diligenter munus exerceant suum , tum suos excitent Discipulos , ut diligenter , ac alacriter ad majus gloriæ Divinæ incrementum muneri suo satisfaciant .

II . Præfecto studiorum in rebus Scholæ morem gerant . Propositiones omnes , præsertim publicis disputationibus exponendas eidem exhibeant , neque ullam Præfecto inconsulto docendi , aut disputandi novitatem introducant .

III . Interea ac Libris nostris pro usu Congregationis edendis ultima accedet manus , qui proment Systemata Elementaria , sive compendia omnium severiorum Disciplinarum tractandarum a nostris , dictent singuli ex ingenio , ita tamen , ut singula methodo accurata proponant , solide demonstrent , distincte explicent , & resolvant ; Extraneas vero quæstiones , quæ ad forum eorum non spectant , non attingat , sed iis , quorum ex officio interest

intereſt, explicandas ac reſolvendas relinquant.

IV. In quæſtionibus adiaphoris, in quibus utramque partem sequi licet, ita unam partem tueantur, ut alterius nominando, ſive confutando Authores, eorum exiſtimationi, quam maxima poſſunt modeſtia, conſultum eant, nec prioris Profeſſoris, ſi contra ſenſerit, famam atterant, imo, ſi conciliari Sententiæ poterunt, efficiendum id curent.

V. A quæſtionibus, frivolis, inutilibus, obſeletis omnino abſtineant: Quæ objici poſſunt, non omnia congerant, ſed potiſſima solum referant, eaque maxime, quorum ex jactis fundamentis non facile liqueat confutatio.

VI. Docendo viva voce, ſtudebunt clare, & accurate non solum ſenſum ſingulorum Capitum, sed etiam verba ipſa, eorumque vim, ac notionem explicare, ne propriam ſignificationem, quam ex uſu loquendi Scholarum, & Doctorum authoritate obtinent, ignorent Diſcipuli.

VII. Si quid in compendiis suarum facultatum deſiderari videretur, quod ad utilem doctrinæ illuſtrationem pertinere poſſet, illius defectum explicando suppleant, citra dictationem tamen, ne Sacrum prælectionibus tempus surripiatur.

VIII. Quo promptius, solidius, ac uberius doctrinam suam, ſive dictando, ſive editum Typis compendium suum explicando, valeant diſpenſare, dent operam, ut qui sunt Profeſſores Theologiæ, ſtudia quoque Theologiæ subſidiaria, puta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Critices, Linguarum Sacrarum, Divinarum Litterarum, & Patrum non negligant: Qui vero docent Philoſophiam, ut Algebram, & Geometriam calleant: utque præſtantiora de suis Diſciplinis opera curent privato ſtudio evolvere, Syſtemata eorum examinare, & ſi quam novam obſervaverint veritatis demonſtrationem, eam cum principiis suis connectere, ut dato tempore in uſus convertere poſſint suos.

IX. Dent operam, ut quotidie, præter ferias vacationum, diſputationum hebdomadariarum, & Feſtos dies a suis Auditoribus ea, quæ iam antea prælecta, lecta, & explicata fuerunt, repetantur e memoria per mediam minimum horam, quo major pateat ingeniis exercendis, & difficultatibus enodandis campus; Quare finita prælectione, & explicatione, ſtatim unus præmoneatur ad ea, quæ paulo ante didicit, memoriter recolenda, alter vero ad dubia de rebus repetitis facienda. Obeat autem uterque partes suas non plus quam per quadrantem, scilicet unus repetendo, alter dubia movendo, & reſponſiones a repetente ad eadem excipiendo.

X. Præterea sedulo adnitantur, ut quavis hebdomada certo quopiam conſtituto die, per horam unam cum dimidia, habeatur a diſcipulis diſputatio

ſputatio, duobus nimirum argumentantibus, uno autem, aut totidem reſpondentibus, non prius tamen ad reſponſiones, & diſputationem venientibus, quam propoſitiones propugnandas breviter, ornate, Scholaſtico tamen more confirmaverint.

XI. Singulis quoque Menſibus, (præter duos ultimos Annui curriculi Scholaſtici Menſes) aut ſaltem alternis, ſicubi pauci fuerint Auditores, inſtituant longiores, ſcilicet duarum horarum ſpatio duraturas diſputationes, certo præfinito die ante, vel poſt meridiem agitandas, & quidem, ſi hæ ex Philoſophia habendæ fuerint, argumentantibus doctioribus Theologiæ Auditoribus; Si vero ex Theologia, Præceptoribus aliarum facultatum. Ubi tamen ſtudium Provinciæ non eſt univerſale, ſed unum duntaxat aliquod habetur, ad argumentandum expetentur alii domeſtici docti Viri, vel extranei Doctores.

XII. Præſint diſputationibus ita, ut non ſemper ipſi loquantur, ſed dent quoque locum diſcipulis depromendi, quæ ſciunt. Suppetias tamen ipſis ferre non omittant; ſive reſponſiones, dum in illis errant, emendando, ſive cum quid boni afferunt, collaudando, ſive breve aliquid, dum gravius inſtatur, ſuggerendo.

XIII. Invigilent, ne ab argumentantibus Diſcipulis ſuis opponantur, quæ reſpondenti Scholaſticas tantum tricas nectunt, ſed ut ea ab iis potius proferantur, quæ ipſi occaſionem præbent ſua evolvendi, explicandique principia, propoſitiones exactius confirmandi, confirmationes illuſtrandi, & a difficultatibus extricandi: utriuſque demum tam reſpondentis, quam argumentantis defectum nitantur ſupplere ſi alteruter a præſcriptis diſputationis, ſive exercitii Scholaſtici Regulis aberraverit.

XIV. Dum ipſi ſe mutuo in diſputationibus oppugnant, caveant, ne acerbius in ſe invehantur, aut fervore nimio, vel ira exardeſcant, multo magis, ne ſe viciſſim confundant, ſed rei propoſitæ veritatem eruere tantum conentur, quæ ubi illis probabiliter ſaltem conſtiterit, ſtudeant modeſte acquieſcere.

XV. Curent, ut obedientia tam interiori, quam exteriori, charitateque ac humilitate cum Superioribus ſuis ſint conjuncti: atque ſtudeant in animis Diſcipulorum mutuam fovere charitatem, reverentiam vero erga Rectorem & Præfectum, ſæpiuſque, cum vitæ exemplo, tum verbis cohortari ad diſciplinam regularem, & Inſtituti obſervantiam.

XVI. Ipſi quoque inter ſe unionem, & conformitatem mutuam diligenter ſervent, ut videlicet efficacius in pacis vinculo Scholarum profectui conſulere, Diſcipulos autem in officio valeant continere.

XVII. Caveant autem, ne familiaritate, atque peculiari indulgentia cum

quibusdam Discipulis suis, creent cæteris offensionem, vel animos ipsorum a se alienent.

XVII. Sub tempus Canonicæ Visitationis doceant Visitatorem de singulorum profectu & moribus.

XIX. Professores tam Theologiæ, quam Philosophiæ ad tria tantum Sacra in hebdomada ex intentione Sacristiæ facienda teneantur.

XX. Iidem ab officio stolæ hebdomadariæ immunes sunto; sciant tamen Festis solemnioribus, & stolæ officium in choro explere, & Lyturgiam solemnem conficere se debere, ordine, & vicibus a Superiore præscribendis.

XXI. Professores Theologiæ Alternis Annis mutent tempus suarum prælectionum, ita, ut qui uno Anno matutinis prælegebat horis, altero prælegat pomeridianis, & vicissim, qui primum pomeridiano tempore Scholam tenuit, eam deinde habeat ante meridiano, obeatque munus Primarii Professoris.

Regulæ Professoris Theologiæ Moralis.

I. Sui muneris esse intelligat peritos formare Curatores animarum, & idoneos Mysteriorum Christi dispensatores.

II. Sequatur in docendo ductum compendii Moralis Theologiæ typis pro sua expressi Provincia; Curetque ut Auditores in pretio illud habeant. Ipse tamen non ita se huic compendio adstrictum esse debere intelligat, ut, si quando vel ambigua videretur compendii sententia, vel in eo forte non attingeretur, existimet non licere sibi, quamcunque aliam sequi partem, dummodo hæc communem Doctorum sensum doceat, & a probatis rerum moralium principiis non recedat.

III. In explicanda Lectione hanc teneat rationem: Primum exponat titulum Capituli, si obscuritatem quandam habere visus fuerit; tandem observationes præmittat, sine quibus explicatis subsequentia facile intelligi nequeunt: Subinde sententiam afferat, rationesque ejus exponat, ac cuique generali doctrinæ, a qua casuum resolutio pendet, quatuor circiter peculiares e. g. casus subjiciat.

IV. Curabit quoque terminos technicos, hoc est morali doctrinæ familiares, rite definire, ac sensum ipsorum, quem ex usu loquendi Theologorum, aut Ecclesiæ authoritate obtinent, exponere; Et si definitionum ipsarum confusæ, aut obscuræ fuerint notiones, ad claras, & distinctas revocare, verbis ad faciendas tales notiones magis aptis, & claris substitutis.

V. Explicationem, ac doctrinam suam summopere nitatur exponere methodo non sterili, qualis est Scholastica, sed unctione pietatis plena, ut in praxim Christianam influat, & auditores non tantum doctiores, sed etiam sanctiores efficiat.

VI. Dabit operam: ut post explicationem compendii, casus aliquot ex materia explicata Discipulis proponat, eosque conformiter ad traditam doctrinam solvat. Quolibet vero Sabatho prætermissa lectione instituatur tam mane, quam a Prandio per unam horam & dimidiam repetitio eorum omnium, quæ per hebdomadam tractata sunt: agatur vero in his repetitionibus per interrogationes potissimum exposcendo, vel alicujus difficultatis explanationem, vel novi casus, mutata aliqua circumstantia resolutionem.

VII. Si ipsius erit, præesse etiam domesticæ hebdomadariæ casuum collationi, ac resolutioni, ductum sequetur ejusdem vulgati compendii moralis, & casus proponet secundum ordinem ejusdem articulorum. Hac vero aget ratione: materiam articuli, de qua differendum erit, rediget in casum ita omnibus, si commode fieri poterit, vestitum circumstantiis, ut tota Capituli res exhauriri possit; sin minus, alterum subjunget ad rem non ineptum. Unum alterumve istum casum in charta scribet: Subjunget demum aliqua ad usum sive praxim pertinentia, ut, quomodo rudes pœnitentes de re proposita interrogandi sint, quibus juvandi remediis, qua ratione salutaris pœnitentiæ nomine mulctandi. Denique totum hoc futuræ Collationis argumentum, scripto exaratum, quinque saltem ante futuram resolutionem diebus, jubebit in Tabula ad id designata affigi, & in loco solito omnibus exponi, annotato die, quo ex Superioris mandato, collatio isthæc facienda erit.

VIII. Die collationis casuum veniente, assignatos a Professore interrogabit omnes & singulos Theologiæ moralis studentes, tandem ipse apposite ad doctrinam compendii resolutionem dabit: Resolutione ad exitum perducta, possunt a Præside proponi alia de iisdem rebus dubia, ad quæ tamen pariter præmoniti peculiariter teneantur respondere. Præside ipso ad extremum quid sentiendum sit, edocente.

IX. Porro decisio, sive resolutio talis casus annotanda erit a Præside in Libro collationum casuum, quem Præses quisque habeat, ut describat in illo cujuslibet hebdomadæ collationem, quo die habita, ac de quo in ea tractatum fuit.

X. Sub tempus Canonicæ Visitationis, sciat Præses collationis Casuum, se teneri ad exhibendum Visitatori hujusmodi Librum, ut in eo is adscribat, se vidisse & commendasse in posterum similem scribendi diligentiam.

Regulæ Professoris Canonum.

I. Sciat ad suum munus pertinere, auditores suos ad veram Ecclesiasticæ eruditionis laudem, veluti manuducere, hoc est, Conciliorum doctrinam ipsis ita tradere, ut, quis de Dogmatibus Religionis nostræ perpetuo fuerit Ecclesiæ sensus, quod sanctitatis morum instaurandæ studium, quod, & quam prudens

dens in disciplina jam constituenda, jam pro locorum, temporum & necessitatis ratione mutanda, variandaque, consilium, scientiam eorum non fugiat.

II. Hinc diligenter legat omnia tam Generalia, quam Particularia; tum, quæ primis, tum, quæ postremis Ecclesiæ sæculis celebrata fuere Concilia: studiose observet, quas, quando, & quomodo hæreses oppugnarint, quas morum Regulas ediderint, quid de Ritibus Sacrorum, de Ecclesiæ regimine, de judiciorum Ecclesiasticorum forma constituerint, atque ea in compendium referat, ut exponat auditoribus suis brevi quidem, sed ad cognitionem assequendam sufficienti methodo, indicata uniuscujusque Concilii causa, loco, tempore, & Canonibus, qui in unoquoque Concilio, quot, & de quo argumento prodierint.

III. Studium simul jungat Constitutionum authoritate Summorum Pontificum editarum, & Juris Canonici Decretorum, tam, ut ordinem Ecclesiasticorum Judiciorum cognitum Discipulis faciat, quam, ut iisdem doctrinam Conciliorum reddat notiorem, Definitiones clariores, verba ac vocabula, quo ad eorum, vim, notionem, ac verum sensum, explicatiora, & magis adaperta.

IV. Canonicæ huic suæ lectioni impendet tempus ante, vel post Theologicam Matutinam lectionem, judicio Provincialis constituendum, & definiendum.

V. Quoniam vero Concilia insignem eventum, factorumque numerum continent, quæ cum Historia Ecclesiastica aptissimo veluti vinculo affinitatis conjunguntur, ipsius quoque erit, rerum in Ecclesia gestarum a Christo Nato ad nostra usque tempora historiam texere, eamque ante, vel post pomeridianam Theologicam lectionem, per temporis spatium ab eodem Provinciali designandum, Auditoribus breviter quidem, & bono ordine, hoc est per Sæcula enarrare.

VI. Quia vero agere de Conciliis uniuscujusque Sæculi, de hæresibus, de doctrina Ecclesiæ, de Ritibus, ac ceremoniis pertinet ad matutinam lectionem, in pomeridiana itaque Historiæ Ecclesiasticæ tractatione, recensebit solum Summos Pontifices, qui Ecclesiæ præfuere, Viros Sanctitate, & doctrinà præstantes, qui eodem ævo floruere, fata Ecclesiæ tam prospera, quam adversa, quæ fuere, aliosque narrabit eventus, qui unoquoque Sæculo celebres in Historia Ecclesiastica habentur.

VII. Juvabit interdum loco ordinariæ lectionis, aliquem ex Discipulis designare, qui aliquod Caput, sive ad Historiam Conciliorum, sive ad res Ecclesiæ gestas pertinens, modo controversiæ sit obnoxium, docte, ornate, & copiose, peculiari exponat dissertatione, contra quam, ubi absolverit, unus, aut alter, sive ex Discipulis, sive ex Professoribus aliarum facultatum, argumentetur, non aliunde tamen, quam ex eadem Historia Ecclesiastica, petitis argumentis.

Regulæ

Regulæ Correpetitoris.

I. Jntelligat sui muneris esse, Professorem in omnibus diligenter juvare, disputationibus Scholasticis adsistere, & contra Theses propositas argumentari, dubia ac difficultates, si quæ Scholasticis ex lectione materiæ suæ oboriri contigerit, clare ad captum discentium, & a Professoris mente, ac sensu minimum recedendo, extra Scholam solvere, ac enucleare, iisdem Scholasticis quæstiones, & dubia scriptis eorum accommodata, exercitii gratia solvenda proponere in solvendoque manuducere.

II. Det operam, ut (nisi Philosophiam iam docuerit) correpetitionis suæ tempore. in se se ad Philosopiam solide, & methodo exacta prælegendam comparando; privatum ponat studium quam dilgentissime, ut ab Examinatoribus, quorum judicium subiturus est, approbari, si cætera adsint, mereatur.

Regulæ Professoris Matheseos.

I. Ad ipsum pertinebit, mane, vel post prandium, minimum per semihoram Euclidis elementa Philosophiæ auditoribus explicare.

II. Altenis saltem mensibus aliquod illustre problemma Mathematicum exponat, & in frequenti consessu tam Theologorum, quam Philosophorum enodandum curet, facta omnibus argumentandi potestate, aut, si aliter videretur, uni duntaxat.

III. Quæ per Mensem præleget, ac exponet, curabit ad finem ejusdem mensis omnia repeti, ut hac ratione ingenia magis exerceantur, & difficilia, quæ occurrent, planiora fiant.

IV. Saltem autem semel in Anno Problemmata sua publicæ subjiciat Disputationi, idque invitatis extraneis Religiosis, & Doctoribus, eoque apparatu, ut ea ex re studia nostra non infructuosum fervorem aliquem concipiant.

Regulæ Professoris Rhetorices.

I. Cum prælectio ejus duplex sit, altera quæ artem, altera quæ stylum respicit, curet, ut quod artem, sive Præcepta dicendi pertinet, Rhetorici tantum Ciceronis prælegantur Libri, & quæ tradit Aristoteles, tum de Rhetorica, tum de Poesi. Ad stylum vero quod attinet, & si probatissimi quique aureæ ætatis Scriptores, & Poetæ possint diebus præsertim vacationum legi, atque explicari, stylus tamen ex uno sumatur Cicerone. Qui licet in omnibus suis Libris velut norma dicendi, & exemplum respici a Discipulis possit, solæ tamen ejus orationes prælegendæ sunt, ut ea, quæ in artis præceptis tractantur, in Orationibus expressa, oculis pro-

pemodum usurpentur.

II. Præcepta explicando, 1mo. præcepti sensum aperiat, consultis interpretum commentariis, si obscurior ille sit. 2do. Si Rhetores id ipsum præcipiant, uberiusque explicent, afferat. 3tio. Præcepti aliquam rationem det. 4to. Ad rem clariorem reddendam ex celeberrimis Oratoribus & Poetis, illustres aliquot locos adducat, in quibus eo Præcepto feliciter usi sunt. Denique, qua ratione ad res nostras accommodari valeat, ostendat, idque quam maximo verborum delectu, & ornatu.

III. Si vero explicanda est Oratio, vel Poema, exponat 1mo. brevissime argumentum ipsius. 2do. totam artificii rationem: scilicet inventionis, Dispositionis, & Elocutionis exploret, indicetque, quam apte se orator insinuet, quam apposite ex Locis, argumenta ad persvadendum, ad ornandum, ac movendum sumat, eaque figuris sententiarum includat, ac figuras ipsas figuris verborum veluti floribus conspergat: ad extremum verba observet, eorum proprietatem, elegantiam, copiam, ornatum, numerum expendat, & quid ex varia eruditione, puta ex historia, ex fabulis, ex moribus Gentium ad locum aliquem exornandum petitum sit, digito veluti ostendat.

IV. Cum vero locum aliquem interpretatur, si id facit Latine, totam primum prælegat periodum, tandem sententiam, si quid contineat obscuritatis, non verbo Latino unicuique alíud verbum Latinum reddendo, sed verbis explicatioribus declarando, aperiat. Si autem interpretatio fiat Patrio sermone, det operam, ut fiat ad numerum, hoc est, servata collatione verborum, quam postulat vulgaris Linguæ consuetudo, ut sic Discipuli internoscere non omittant, quid inter numerum locutionis Latinæ, & vulgaris intersit.

V. Curet ut alternis Mensibus jam Orationem jam Poema sui contexant Discipuli. Argumentum vero tam Orationis, quam Poematis ipse dictet, vel totum initio cujusque Mensis, vel singulis hebdomadis per partes. Locos confirmationis, & amplificationis, figuras præcipuas, quæ adhiberi possunt, item locos clarorum Oratorum, vel Poetarum, qui imitatione exprimendi videbuntur, indicet: interdum autem verbotenus demonstrato Scriptore, rem totam ad ejus imitationem componere jubeantur.

IV. Dum corrigit scriptionem, monere non omittat, si quid in Artificio, in cultu sermonis, & puritate, in transitionibus, in numeris, imo & in Ortographia, aut aliter ab officio discessum fuerit. Jndicet quoque, si quis locus jejune, si obscure, si humiliter tractatus: si verba prisca, barbara

barbara, vel duriter traslata, adhibita, si decori ratio non habita, & alia ejus generis peccata non dissimulet. Oratione autem, sive Poemate absoluto, suam quisque compositionem, quam per partes struxerat, totam simul descriptam ei reddat, ut, quam cum Rectore perfectiorem judicaverit. Auctor publice e suggestu Refectorii ad jungendam simul memoriæ cum actione exercitationem, eam recitet.

VII. Dabit operam, ut quo tempore scripta corriguntur, alii utiliter se exerceant, jam descriptionem aliquam, puta campi, horti, Templi, & similium adornando: jam locum aliquem Poetæ, vel oratoris imitatione in re aliqua reddendo: jam Phrasim aliquam pluribus modis variando, jam rem eandem sub variis sentetiarum figuris exhibendo: jam Epigramma, Epitachium, inscriptionem efficiendo: jam modo hoc, modo aliud, pro Scholæ ejus gradu, condendo, dummodo non idem semper, ut satietati occurratur, qua plurimum discentium languescit industria.

VIII. Ex studio Græcarum Litterarum sciat ad se pertinere, pleniori Auctorum, & dialectorum coguitione discentes imbuere, eosque Syllabarum maxime dimensionem edocere.

IX. Ad Prælectionem Græcam Authores non assumat, nisi Antiquos, & Classicos, inter quos, præter Demosthenem, Platonem, Thucididem, Homerum, & Pyndarum, jure optimo repositos habeat Sanctos Patres nostros, Basilium, Nazianzenum, Chrisostomum. Ac priore quidem Semestri explicetur Historicus, aut Orator; posteriore vero Poeta, ita tamen, ut quo tempore explicatur Historicus, vel Orator, semel in hebdomada interponatur Poeta; & vicissim, semel orator vel Historicus interjiciatur, dum explicatur Poeta. Porro in interpretatione facienda, quamquam habenda sit ratio artis, & eruditionis, præcipue tamen usus, proprietasque Linguæ spectetur. Quapropter operæ pretium se facturum existimet, si locutiones aliquas singulis prælectionibus dictabit.

X. Jneunte Anno Græca Syntaxis, & ars Metrica alternis diebus explicetur, teneatque hujusmodi explicatio Menses minimum duos.

XI. Prælectioni Græcæ una quotidie hora tribuatur, ita, ut postrema prælectione per Discipulos repetita, nova autem per Magistrum explicata, aptum intra eam tempus, & Græca concertatio, & Græcarum Scriptionum correctio, & Græcæ tam Syntaxeos, quam Prosodiæ explicatio nanciscì possint.

XII. Die Sabathi omnia, quæ per hebdomadam tam Latine, quam Græce prælecta sunt, recolenda curabit. Nec esset alienum, si unus alterque

que, quæ ex optimis Auctoribus didicissent, eodem die recitare cum actione juberentur, ut nostri assuescant, tum memoriam exercere, tum apte, congrue, & decenter gestum agere.

Regulæ Professoris Humanitatis.

I. Ipsius est ingenia Monasticæ juventutis, quæ ex grammaticis excessit ad eloquentiam præmunire, & quasi solum in ipsis præparare; quod fit cognitione Latinitatis, & Præceptorum ad Rhetoricam spectantium intelligentiam.

II. Ut Latinitatis arte, quæ in proprietate maxime, puritate, & copia consistit, nostros instruat, in Prælectionibus explicabit ex Oratoribus unum Ciceronem de Officiis, vel de somnio Scipionis; ex Historicis Cæsarem, Salustium, Livium, & si, qui sunt, similes; Ex Poetis Virgilium, odas Horatii selectas, item Elegias Ovidii, Epigrammata, & Poemata classicorum antiquorum Poetarum, at semper exceptis iis locis, quæ obscænitatis sordes redolent.

III. Præceptorum Rhetorices brevem summam tradat, sed posteriore Semestri; Quo tempore omittet Æthicam Ciceronis, sumet vero faciliores aliquas ejusdem orationes, ut pro Lege Manilia, pro Archia, pro Marcello.

IV. Quod ad institutionem linguæ Græcæ adtinet, sciat ad Scholam suam pertinere partem eam Grammaticæ, Græcæ, quæ Syntaxis proprie dicitur. Quare initio Anni breviter repetitis iis, quæ in prima classe tradita fuerant, Græca sua Prælectione explanabit Syntaxim, & Auctorem, at alternis diebus.

V. Auctor autem primo semestri, sumatur solutæ Orationis, sed ex facilioribus, ut aliquæ orationes Sanctorum Patrum Nostrorum, Basilii & Chrizostomi, aut aliud aliquod selectum ex Isocrate, Plutarcho, vel Platone. Altero autem semestri prælegatur aliquod carmen e g. ex S. Gregorio Nazianzeno, Synezio, Theognide, & horum similibus. Explicatio autem liguæ potius cognitioni, quam eruditioni serviat. Quamquam quo tempore prælegitur Græcus Poeta, etiam ars Metrica tradi poterit alternis cum Authore diebus, ac jam ad exitum veniente Anno.

VI. In prælectione Latina se totum impendat. Latinæ linguæ observationibus, explicandæ verborum vi, & æthymologiæ, quam ex probatis antiquis petet Scriptoribus. Observabit quoque locutionum usum, elegantiam, ac varietatem, & si quæ occurrerint phrases, quæ nonnisi aliis verbis vulgariter verti possunt, indicabit.

VII. Argumentum scribendi primo Semestri dictetur vulgari sermone ad formam

formam Epistolæ. Curet vero Professor ita dare argumentum compositum, ut totum ex Prælectionibus jam explicatis hic inde depromptum sit. Semel autem in hebdomada scribant suo marte, indicato Ciceronis aut Plinii loco, ad cujus imitationem formanda videbitur scriptio. Altero vero Semestri doceantur texere Chrias, narrationes, comparationes, ac alia efficere progymnasmata, facili argumento proposito. Græcæ autem scriptionis Thema ex ipso Authore depromatur, & ratio Syntaxeos præmonstretur.

VIII. In correctione Scriptionis moneat, si quid minus proprium, minus elegans, in numeris minus concinnum fuerit: Si perperam locus ad imitationem propositus expressus, si quid in Orthographia, vel alia ratione peccatum sit. Ex usu futurum est, rem eandem variis modis, scilicet jam per Synonymiam, jam per enalagen, jam per æquivalentiam efferre jubere, quo dicendi copia ex hac exercitatione acquiratur.

IX. Exercitationes, quas, dum Scripta corrigit, injungere potest, sunt e. g. phrases, sive genera loquendi Latine ex prælectionibus excerpere, eas variis modis immutare, Ciceronis periodum dissolutam, aut carmen aliquod distractum componere, locum aliquem imitari, versus condere, Græce scribere & alia generis ejusdem.

X. Divisionem temporis, & ordinem exercitationum servet a Provinciali præscriptum, cujus est totam studiorum rationem quam optimam pro Monachis Provinciæ suæ deligere, & ad publicam studiorum cujusvis ditionis rationem, quantum per nostrum licet institutum, accomodare.

Regulæ Professoris Grammaticarum Litterarum.

I. Cum summo Reipublicæ Polonæ Beneficio permissum nobis sit, eos etiam ad nostri instituti admittere professionem, qui nondum juventutem egressi, inchoatam solum adferunt interdum Grammaticæ artis cognitionem, hinc, ut eorum quoque ætas doctior indies fiat, ac cum ipso vitæ progressu tam ad Dei O. M. cognitionem altius provehi, quam ad usus Patriæ discat se aptare magis, volumus, ut Grammaticarum quoque Litterarum domesticus habeatur Professor, cujus munus sit, totius Grammaticæ tam Latinæ quam Græcæ cognitione juvenes nostros imbuere.

II. Divisionem temporis, ac ordinem Scholasticarum exercitationum servabit ad præscriptum, cujus est, hujus studii optimam rationem præscribere, & ad Publicorum uniuscujusque Ditionis studiorum rationem accommodare.

III. Ad prælectiones non nisi facillimas quasque, easque separatim excusas Ciceronis Epistolas, ut ad manum singuli habere possint, adhibeat. Hujusmodi tamen Prælectio non excedat denos versus. Fiat autem cum inter-

interpretatione vulgari sermone, & post Prælectionem Præceptorum Grammatices, ut omnia ad explicatas Grammaticæ Leges perpendandur. Observationes latinæ linguæ, ubi vernaculo non respondet sermoni, adferat, sed quam facillimas Metaphoras exemplis rerum tutissimarum ostendat, phrases excerpat, easque cum argumento scribendi seorsim dictet.

IV. Artis Grammaticæ prælectio, pro captu Discipulorum Præcepta contineat, vel sola vel cum appendicibus, sed cum exceptionibus semper.

V. Argumentum scribendi dictetur vulgi sermone, versus denos non excedat, referatur vero totum ad Ciceronis imitationem., & ad Præcepta Syntaxeos.

VI. Corrigens scriptiones, indicet, sicubi contra præcepta Grammaticæ, Ortographiæ, interpunctionis peccatum sit, ac conjugationum ipsarum, & rudimentorum, ubi opus fuerit, eis memoriam revocet.

VII. Jnter corrigendum jubeat alios aut vernacula dictata ad præcepta Grammatices Latina facere, aut aliquem Ciceronis locum vulgi sermone commutare, phrases ex eo excerpere, aut ex Grammatica dubia, & locutiones proponendas depromere, Græca describere & alia id genus.

Regulæ Discipulorum.

I. Quoniam juxta S. Patrem nostrum *qui Domini voluntatem facit, non ita tamen, ut Deus vult, neque hoc ex affectu erga Deum facit, is operi frustra studium impendit*: Jmprimis dent operam, ut extirpato, & procul-excusso omnis vanitatis fine, nihil aliud in studiis suis quærant, nisi Divinæ Maiestatis gloriam, Ecclesiæ, Patriæ & Religionis utilitatem, ac per hæc omnia Divinæ voluntati placere desiderent.

II. Serio se se ad studia applicent, nec dubitent monente in Regulis S. Patre Nostro, quin judicium Dei grave subituri sint, si gratiæ ejus, & naturæ talenta excolere neglexerint, quamvis ad exercenda ea, quæ didicerint, nunquam sint perventuri. Quia vero nisi a Deo illustrati lumen accipiant, frustra in Litteris operam ponunt. Hinc illud suis precibus enixe a Patre Luminum petant.

III. Studio litterarum virtutum jungant studium, caveantque diligenter, ne dum scientiarum lucra quærunt, jacturam fervoris spiritus faciant, neve vitio ullo, quod ingenium hebetat, ac obtundit, ineptos se se ad studia præstent.

IV. Qui superioribus disciplinis navant operam, dictata Professorum, vel compendia excusa suarum facultatum pro fundamento habeant, præter dictatum vero vel excusum compendium, cujus explicationem a viva voce docente

cente percipiunt, non alios suarum facultatum libros legant, nisi quos Gymnasiarcha ex Professorum consilio concedendos ipsis judicaverit. Quemadmodum tamen in Schola, quam adeunt, privati studii causa Philosophi, præsto habendus est aliquis selectus tam Mathematicus, quam Philosophicus commentarius, quem ad clariorem, compendiorum intelligentiam privato studio consulere possint, ita in Gymnasio Theologico in promptu sit Bibliorum volumen, & liber Conciliorum, præsertim vero Concilium Tridentinum, ut horum lectio reddatur Theologis familiaris.

V. Bis in die, quo Schola habetur, mane nimirum & vesperi ad præscriptum uniuscujusque Scholæ privato vacent studio; sub quod tempus advigilet, qui præest, Bidellus, ne quis strepitum faciat, aut loquatur, multo magis, ne quis absit, aut evagetur. Bidello autem eo tempore omnes religiose obediant.

VI. Studio privato prævideant diligenter, quæ a Præceptore explicanda sunt, ac observent, quæ difficiliora intellectu cuique occurrunt, aut præ cæteris videntur obscuriora, ut demum Præceptore ista explanante sciant, ad quid potissimum mentem, & aures debeant intendere.

VII. Si quid lucis Professor ad aliquem compendii locum clarius perspiciendum, aut novi aliquid ad cumulum doctrinæ, & copiam adtulerit, si quid demum ipse adnotatu dignum judicaverit, in Scripta sua statim referant ut postea majori cum ordine digerant, ac transferant in suos Libellos, quæ inposterum servanda volent.

VIII. Nemo ultra duas horas scribendo aut legendo laboret, quin studium paulisper intermittat. Præscriptam vero a Gymnasiarcha divisionem temporis servent quoad omnia universi quam diligentissime, nec eo inconscio a repetitionibus, disputationibus, ac lectionibus unquam absint.

IX. Cum foras ad Scholam prodeundum erit, cum ea modestia eant, & redeant, quam par est Monachos præferre ad sui aliorumque ædificationem: eant quoque & redeant invicem associati, & servato silentio.

X. Omnes Latina in loquendo Lingua utantur, at præsertim humaniorum Litterarum Studiosi: His namque præter tempora recreationis, nunquam licet uti Patrio sermone: Quamobrem & Magistri perpetuo Latine loquantur in omnibus, quæ ad Scholam pertinent.

XI. Diebus Scholasticis poterunt secundum receptam consuetudinem, Complectorium, ut & quod reliquum, a Бгъ ГДь Matutini est, privatim recitare, exceptis duobus designatis in hebdomadariam Chori adsistentiam. Hi namque a nulla Psalmodiæ parte abesse possunt, quemadmodum & alii omnes, diebus

diebus festis, & quibus a studio quies datur.

Nota Ad clariorem omnium nostrorum cognitionem.

Cum præter majorum scientiarum facultates, tantopere in Constitutionibus nostris commendatas, etiam Linguarum multam utilitatem præseferens, puta, Hæbraicæ, Græcæ, Gallicæ, Germanicæ, &c: peritia, non sine ingenti Patriæ & Congregationis nostræ desiderio, propagetur, utque hæc eadem magis, promptiusque adaugeatur, ideo pro singulis apud Scholas nostras Classibus, circumspecta & docendi, & discendi Methodus tradita est: Proinde, ubi facili negotio dictarum linguarum exercitia institui, & præscripta, vel consimilis methodus observari poterit, provide ad hæc omnia, si quos propensiores, ac idoneos, Provincialis intellexerit, deligere non negligat.

CAPUT TERTIUM

De accedentibus, & profiteri volentibus vitam Monasticam.

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Cum benignus Deus, idemque Salvator noster Jesus Christus prædicet, ac dicat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos:* (c) Periculum est repellere eos, qui nostra opera accedunt ad Dominum, ejusque jugum svave, ac Præceptorum onus, quo ad Cælum attolimur, subire volunt. *Reg: Fus:* 10.

Porro quicunque servi sub jugo detenti ad Fratrum conventum cunfugiunt, admoniti, & meliores effecti ad Dominos suos remittendi sunt. *Reg: Fus:* 11.

Ji etiam, qui Matrimonio conjuncti ad hujusmodi genus vitæ accedunt, interrogandi sunt, an mutuo consensu id efficiant, ex Apostoli Præcepto: nam inquit: *Sui corporis potestatem non habet.* (d) Sicque, qui accedit, coram pluribus testibus recipiendus est. *Reg: Fus:* 12.

Nec tamen permittendum est, ut ullus illotis pedibus ad Sancta documenta veniat: sed quemadmodum Dominus noster Jesus Christus, adolescentem, qui ad se accesserat, de ejus vita anteacta percontatus est, cumque eam recte fuisse actam comperisset, præterea, ut compararet, quod ad perfectionem deerat, præcepit, & tunc ei se sequendi copiam fecit: ita profecto & a nobis præterita accedentium vita est expendenda. *Reg: Fus:* 10.

Si accedens instituti vere beati sincero desiderio tenetur, habetque in sua anima bonum, ac laudabilem amorem, diligens Dominum Deum ex toto corde, & ex totis viribus, & ex tota mente, necesse est, ut illi ob oculos vestra

(c) Mat: 11. V: 28. (d) Corint: 7. V: 4.

vestrá piètas arctæ, ac coangustatæ viæ incommoda, & asperitatés ponat. Jdcirco adhortator, ut informetur, elementis imbuatur secundum éa, quæ a Patribus Sancta instituta, & scriptis mandata sunt. Deinde ei proponantur omnia, quæcunque ad vitæ Asceticæ accuratam rationem adtinent, & sic admittatur. *Epistola Selecta. 3. quæ est comend. ad Monach. ad vitam Monast: acceden.*

Postquam autem unusquisque quasi vas quoddam Domino commodum, ad quodvis bonum opus paratum omni tentatione adhibita declaratus fuerit, ab iis, qui talia scite scrutari possunt, ita demum inter eos, qui se Domino dedicarunt, annumeretur. Maxime autem ei, qui ab illustriore quodam vitæ genere, juxta Domini nostri Jesu Christi exemplum ad humilitatem festinat, aliqua, quæ probrosa admodum apud exteros esse videantur, præscribenda sunt. Observandumque, num sine ulla dubitatione se ipsum, ceu operarium pudoris expertem Deo exhibeat. *Ibidem.*

Utrum pro iis, qui Fratribus traditi sunt, sit aliquid accipiendum ab eorum propinquis, si quidpiam velint dare? ℞. Hujus rei cura, judiciumque attinet ad Præfectum: sed tamen si mea sententia exquiratur, existimo offendicula a multis magis remotum iri, & ad fidei ædificationem fore utilius, si ejusmodi repudientur munera. Quare cum inde tot occasiones ad peccandum nascantur, operæ pretium est, hujusmodi dona non accipere, sed Præpositi arbitrio permittere, ut judicet, & expendat, a quibus ea accipi, & quomodo dispensari oporteat. *Reg: Brev: 304.*

Puerorum separari oportet & domos, & diætam, ut erga seniores neque licentiam majorem, neque fiduciam immodicam habeant, sed congressus raritate erga Antiquiores reverentiam servent, neque ex pœnis, quæ perfectioribus ob neglecta officia irrogantur (si quando eos ab his discessisse contigerit,) peccandi facilitas, aut sæpe animi elatio latenter eis innascatur, dum in iis, quæ ipsi recte faciunt, sæpenumero antiquiorés delinquentes vident . . . Quapropter distinctam esse oportet puerorum, & natu majorum habitationem. *Reg: Fus: 15.*

Precationes, quæ per diem institutæ sunt, & Pueris, & antiquioribus sint communes; nam pueri majorum exemplo compungi consueverunt: Antiquiores vero in precationibus a pueris haud parum adjuvantur. *Ibidem.*

Cæterum quoad somnum, ad vigilias, ad tempus, mensuramque, & qualitatem alimentorum adtinet, convenienter pueris decernantur exercitationes, & diætæ peculiares . . . Atque etiam Litterarum studium eorum instituto accommodatum esse oportet. *Ibidem.*

Novitiis utilis est etiam silentii exercitatio : Etenim si linguam doment, simul & daturi sunt magnum continentiæ argumentum, & in silentio studiosissime, atque attentissime discent ab iis, qui scienter sermone utuntur, quando & interrogare & unicuique respondere oporteat. *Reg: Fus:* 13.

Virorum professiones non novimus, præterquam si qui se ipsos Monachorum ordini adscripserint: Qui quidem tacite vitam cælibem videntur suscepisse. Verumtamen in illis quoque illud opinor præmitti oportere, ut ipsi interrogentur, accipiaturque eorum professio clara ac perspicua. *Epistola Can: ad Amphiloch: Can:* 19.

Professiones autem ab eo tempore admittimus, quo ætas rationis complementum habuerit: Neque enim pueriles voces omnino ratas in ejusmodi rebus habere convenit: Sed qui supra decimum sextum, vel decimum septimum Annos nati ratiocinationum suarum arbitri diu examinati, ac probati, deinceps perseveraverint, &, ut admittantur, constanter rogaverint, demum tum eorum rata habenda professio, ac illius violatio inexorabiliter punienda. *Can: 18. ad Cænobitas ex eadem Epistola ad Amphiloch*.

Cum Dominus dicat: *Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælis, & veni sequere me.* (e) Et iterum: *vendite quæ possidetis, & date eleemosynam:* (f) Puto eum, qui hujusmodi consilio ductus, a suis discedit, opes suas non oportere negligere, sed illud curare, ut omnia accurate accepta, jam tanquam Domino conservata, cum omni pietate dispenset, aut per se ipsum, si potest, eique licet per experientiam, aut per alios, qui ostenderint, se eas fideliter, prudenterque dispensare posse, cum scire debeat, ipsas non sine periculo, aut propinquis relinqui, aut a quovis obvio distribui. *Reg: Fus:* 9.

Si quis accedit ad vitam, quæ secundum Deum est, conveniatne talem recipi a Præfecto citra Fratrum notitiam, an potius hoc cum illis quoque prius communicari oporteat? ℟. Dominus docet ob pœnitentem amicos ac vicinos convocari. Quare multo magis necessarium est, ut is, qui accedit scientibus cunctis Fratribus suscipiatur, ut simul inter se & gaudeant, & precentur. *Reg: Brev:* 112.

Cæterum qui professus fuerit, post multam indagationem ac deliberationem, quam ei licere, debet privatim facere dierum plurium spatio, ne quid per raptum a nobis fieri videatur, ita demum suscipiendus est, & inter Fratres annumerandus, eandem deinceps, & domum, & diætam habiturus cum majoribus. *Reg: Fus:* 15.

Testes autem hujusmodi propositi adhibendi sunt Ecclesiarum Præfecti, ut ipsorum

(e) Math: 19. V: 21. (f) Luc: 12. V: 33.

ipsorum opera, & corporis Sanctimonia veluti res quædam Sacra Deo dedicetur, & firma sit hæc actio per testimonium. Nam inquit: *Jn ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum*. (g)

Regulæ Examinatorum.

I. Muneris hujus Administros & quasi natos admittendorum Examinatores sciant se esse Superior loci Novitiatus, Magister Novitiorum, & ejus Socius.

II. Jurati omnes sunto, & tres numero munus suum ordinarie obeunto, ita, ut si unum domo abesse longiori tempore vel alio modo impediri contigerit, penes duos sit adsciscere sibi tertium, penes unum vero adjungere duos, si totidem vel absuerint, vel legitime impediti fuerint. Porro adsciscendi sint viri probi, maturi, & Theologi: At non prius ad muneris exercitium accedant, quam jusjurandum dederint ad verba formulæ Examinatoribus admittendorum præscriptæ.

III. Muneris sui gravitatem metiantur ex eo, quod non modo eorum sit cooperari vocationi Divinæ, ut numerus idoneorum augeatur Monasticæ disciplinæ cultorum, sed etiam videre, ne quis illotis, ut inquit S. Pater noster, pedibus ad Sancta Documenta veniat, neve admittatur talis, quem, habita majoris gloriæ Divinæ ratione, Regula Basiliana & Congregationis nostræ Sanctiones, ut ineptum respuunt ad nostrum institutum.

IV. Sciat proinde non esse admittendos. *imo.* Natos ex incestu, aut Sacrilego connubio, spurios publicos, Hermaphroditos, Eunuchos, nimium deformes, infames, sive ob delictum enorme notorium, notorietate, ut ajunt, juris: sive ob pœnam ignominiosam, puta, mortis, flagellationis, aliamque similem a judice alicui decretam, sive ob genus artis infame ut sunt Carnifices, scurræ, histriones, lenones, & id genus: morbo contagioso affectos, vel alio morbo gravi, & perpetuo laborantes, exquisito, si opus fuerit, judicio chirurgi, vel medici, quinimo & revisione corporis per chirurgum adhibita, quoties prudens suspicio postulabit. *2do.* Servos, seu Subditos tam a Dominis suis non manumissos, quam manumissos, nisi in manumissis illustriora Dei dona aliqua, aut peculiares dotes cernerentur; Filios, quorum parentes gravi egestate, & necessitate præmuntur nec adsit alter, qui succurrere eis possit: ære alieno gravatos, aut reddendis de administratione rei alienæ rationibus obnoxios, nisi primum satisfecerint: Matrimonio legitime consumato conjunctos, nisi dissotiationem mutuo consensu coram Episcopo factam idoneis probaverint testimoniis. *3tio.* Jgnotos, qui ingenui, ac Liberi ortus sui non adferunt in scriptis testimonium: Jtem qui non habent

(g) Mat: 18. V: 17.

nôn habent a gravi aliqua, & nota Persona Litteras de suorum probitate morum & honestate docentes, seseque commendantes; ut & eos, qui nequeunt proferre recognitum authoritate Officii Diœcesani Baptismatis testimonium, si Parochi suspectum sit. 4to. Neophytos, sive ex judaismo Christianis Sacris recens addictos, sive ex hæresi vel alia quacunque heterodoxia nuper ad Ecclesiam revocatos, nisi Proto-Archimandrita admonitus consensum præstiterit: Jrregularitate impeditos, nisi certa pœnitentiæ signa dederint, & dispensationem, a quo de jure, obtinuerint; Jtem ejectos, seu dimissos ex alterius cujuspiam Provinciæ nostræ Tyrocinio, si causa, ob quam ejecti, vel dimissi sunt, locum habeat in omnibus Nostris Provinciis.

V. Si qui in Clericalem Novitiorum ordinem cooptandi veniunt, non minoris debent esse ætatis, annis Quatuordecem completis, nec majoris Triginta, nisi ob legitimam causam, quæ Divinum concernit servitium, aut propter spem afferendi Provinciæ ornamenti, Examinatoribus aliter videretur. Jidem esse debent ingenio ad studia Philosophica apto, aut ea saltem præditi indole, ut spem non vanam faciant fore, ut periti evadant Sacramentorum Administri, vel idonei chori nostri Psaltæ, & Præfecti:

VI. Ad Laicalem statum admitti petentes non minores sint Annis undeviginti, nec majores Triginta; nisi grave permovensque motivum, vel spirantis circumstantiæ aliud svaserint. Non referantur tamen inter Laicos, nisi qui artem aliquam, quæ usui Religioni esse possit, bene noverint, aut studio ejus addiscendæ teneantur, si aliunde ad administrandam rem familiarem, aut alia temporalia Monasteriorum ministeria idonei non fuerint.

VII. Ut faciliori negotio circa admissionem ad Ordinis nostri habitum res expediri, viderique possit, an accedentes admittendi sint, vel non, utantur Examinatores cum iis formula hujusmodi Examinis.

Postquam accedens responderit, quo nomine vocetur? Quot ætatis Annos habeat, cujus Ritus, & unde sit inprimis, interrogetur de impedimentis quæ juxta Constitutiones nostras aditum ad Religionem præcludunt. Jnterrogetur vero ad dicendam veritatem obstrictus, & hac præmissa declaratione, quodsi ad quæsita mendacium dixerit, & id postea patuerit, statim, ac aliter rem se habere constiterit, e Tyrocinio ejiciendus sit.

Jn interrogatione autem servetur decentia, & prudentia, ne quæ ipsis obsunt, & obstant impedimenta, facile se ipsis intelligant; id autem propterea, ut, ne, si hæc intellexerint, veritatem celandi occasionem accipiant.

Si quod statim ab initio fuerit detectum impedimentum, non est cur ulterius in Examine procedatur, sed accedens salutaribus, si opus fuerit, instructus

ſtructus conſiliis, ſive, ut ajt S. Pater, admonitus, & melior effectus cum solatio spirituali dimittatur.

Nullo adinvento impedimento, ulterius interrogetur, quibus de cauſis Monaſticæ vitæ genus elegerit? An aliquo metu, coactione, vel honorum cupiditate? An ſtudio vitæ perfectioris? num deliberaverit, & quandiu de Monaſtica vita amplectenda? num ad illam a quopiam, præſertim a noſtris inductus, ſive motus fuerit? ſi negaverit se a quopiam e noſtris impulſum fuiſſe, examinetur ulterius. Si vero affirmaverit, tempus aliquod ipſi ad deliberandum permittatur, ut se solo ac ſi a nemine motus fuiſſet, ea de re cogitet, enixe interim Divinum lumen implorando, quo videre poſſit, quid saluti animæ ejus expedientius futurum ſit, manere in Sæculo, an eidem renuntiare: ſi poſt talem deliberationem ſenſerit se spiritu roboratum, ac judicaverit expedire ſibi Sæculum relinquere, petieritque ad Monaſticam vitam nobiſcum admitti, tunc progrediendum erit in examine, & quidem, ſi Litteris ſtuduit, quærendum, ubi eis operam dedit? quem progreſſum in ſtudiis fecit? num ulterius erudiri velit? Ex sermone autem, judicii, & ingenii conjecturam faciant. Num habeat teſtimonium in ſcripto a Scholæ Præfecto ſibi datum de sua capacitate, profectu, & morum probitate: item num habeat Litteras commendatitias.

Si ad laicalem ſtatum admitti petet, interrogetur ſimiliter juxta præmiſſa, at quatenus ſtatui ipſius conveniunt: & inſuper, num artem aliquam Mechanicam calleat, vel illius diſcendæ ſtudio tenatur? Num sciat legere, & scribere? & hujus rei experimentum facere jubeatur. Num sorte sua, ſive ſtatu laicali contentus futurus ſit? Obſervetur præterea, num ad devotionem ſit propenſus? quibus valeat viribus, num idoneis ad ſuſtinendos labores pro ratione sui ſtatus subeundos: num ex animo eiſdem se devoveat?

Tandem dabunt operam, ut qui examen subeunt, rationem noſtri inſtituti, Regulas, & vota, nec non difficultates, & incommoda, quæ in Monaſticæ vitæ genere occurrere solent, summatim bene intelligant: nec omittant plura, vel pauciora, ſi opus fuerit juxta Perſonarum qualitatem. & capacitatem explicare, atque in alia etiam inquirere, ſi prudentia, & neceſſitas poſtulaverit.

Porro omnes, & ſingulas reſponſiones suas ipſe accedens, ſi artis scribendi gnarus eſt, Litteris manu ſua mandare jubeatur. Subſcribere autem non tantum ipſe, sed etiam Examinatores tenebuntur, qui ibidem suum etiam annotabunt judicium, quod ferent de admittendo, ſive rejiciendo, accedente.

Caveant autem Examinatores, ne quæ munera, seu dona sibi sigillatim, sive universim oblata intuitu receptionis, & admissionis recipiant, nisi forte Ecclesiæ, vel Sacristiæ, vel Monasterio ipsi pietatis causa sponte aliquid datum fuerit.

Regulæ Magistri Novitiorum.

De iis, quæ ad ejus Personam vel Officium pertinent.

I. Quoniam S. Pater Noster *Reg: Fus:* XVI. Tyronibus vult præfici virum, qui ætate sit provectior, cæterisque experientia præstantior, qui etiam lenitatis testimonium habeat, qui Paterna clementia ac perito sermone corrigat juvenum peccata, atque singularia remedia singulis delictis adferat; ideo volumus, ut Magister Novitiorum sit minimum quinque supra triginta annos natus, in decimo saltem a professione anno constitutus, vir Theologicis disciplinis excultus, orationi, aliisque pietatis operibus deditus, qui prudentia polleat, severitatem condire sciat, charitate, & studio disciplinæ regularis ferveat, moribus gravis, & comis sit, denique ita probitate spectatus, ut facile sibi apud Tyrones reverentiam, & amorem conciliare queat.

II. Habeat præsto Socium, fidelem in munere suo adjutorem a Provinciali designatum. Habeat etiam aliquem Fratrem ex Novitiis antiquioribus in virtute probatum, & prudentem, qui secundum præscriptum obedientiæ, significet omnibus pulsu campanulæ exercitia exteriora, & qui dispenset Novitiis præcepta sua, & quasi manu ducat illos, cum opus est, ad ea facienda.

III. Jn munere suo, quod est viam perfectionis secundum præscriptum Regularum, & Constitutionum nostrarum Novitios edocere, observantiam disciplinæ Monasticæ ab iis exigere, ac in defectus ipsorum summa charitate, & discretione animadvertere, plenam habeat authoritatem, neque ulli, præter ipsum fas sit, quocunque obtentu in regimen ejus se ingerere, exceptis Proto-Archimandrita, Visitatore Provinciali, & Superiore immediato, quorum refert interdum requirere, quo pacto se gerant tam Tyrones, quam ipse etiam Magister: Nihil tamen servandum præscribat Novitiis, nisi per ipsorum Magistrum.

IV. Mulctas tamen pœnales, sive pœnitentias in Novitiatu tantum suis Novitiis imponere poterit, extra vero non nisi consulto & consentiente Superiore.

V. Confessiones Novitiorum, qui ad ejus curam pertinent, poterit exci-

epre

pere, nunquam vero Ordinarium Pœnitentiarium eorundem agere.

VI. Libros ascetarum habeat selectissimos, ac spiritui instituti nostræ conformes, in eorumque lectione diligenter versetur, ut obices, fraudes, offendicula; quæ in via Spiritus intercurrunt, non ex usu tantum, sed etiam ex lectione intelligat.

VII. Præterea ad officium suum pertinentes habeat, *1mo.* Librum, in quo examen accedentis ad Religionem annotabit, præsertim, locum, Annum, mensem, & diem nativitatis, inspecto Metrices testimonio, quod unusquisque deferre tenetur. *2do.* Librum, in quem referet Annum, mensem diem, imo etiam horam ipsam, qua quis ad habitum admissus fuit. *3tio.* Librum, cui cum subscriptione ipsius Novitii inscribi curabit supellectilem omnem, & quid quid quisque secum adferet. Quæ supellex in communi Novitiorum vestiario per integrum probationis tempus asservetur, ut in integro possit restitui, quoties Novitius sponte sua, vel Religionis voluntate fuerit dimissus. *4to.* Librum, in quo describet culpas in Capitulo unicuique palam dictas, tempus quoque absolutarum spiritus recollectionum, quæ quolibet trimestri perfici consueverunt. *5to.* Librum, in quo scribi, subscribique curabit, manu ipsius Novitii Professi Annum, mensem, Diem, solemnium emissorum votorum, vel si scribendi fuerit imperitus, circa Crucis signum ab eo appositum, manibus Testium ad eum effectum rogatorum.

De Tyronum Domicilio.

VIII. Novitiatus sit in loco ab habitatione Monachorum Professorum discreto, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatatas, quot numero erunt Novitii.

IX. Adsit in eo Conclave paulo grandius, quod vulgo dicimus commune, in quod ad spirituales collationes faciendas, instructiones magistri audiendas, lectiones, cæterasque communes functiones obeundas se Tyrones recipere possint.

X. Præterea si commode fieri potest, habeatur peculiare Oratorium, quo convenire possint, dum vel in ceremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendi sunt, vel orationi, statisque Precibus vacandum ab ipsis est.

XI. Cella Magistri sita sit inter Oratorium, & Commune fenestrellis velo tenui obductis instructa, per quas commode ab ipso perspici possit, quomodo in utroque loco gerant se Novitii, quidve agant ibidem.

XII. Tria præterea adsint separata cubicula, unum scilicet pro Socio Magistri, alterum pro infirmis, tertium ad commodum eorum, qui Sacris se se excolunt exercitiis.

XIII. Optandum esset, ut & hortus peculiaris haberetur pro Novitiis, qui tamen

qui tamen, si haberi non poterit, communem Monasterii ingredi poterunt, dummodo detur opera, ut Tyronibus in illo existentibus, nemini aditus ad eum pateat, etiam ex Monachis Professis, quod curæ erit Magistro vel Socio ejusdem.

XIV. Locus Novitiatus sit continuo obseratus, nec, exceptis Proto-Archimandrita, Provinciali ac Superiore locali, liceat cuipiam pedem in eum introferre sine expressa Superioris facultate, quam is, ex gravi solum causa, impertiatur. Clavim proinde clausuræ Tyronum Domicilii Magister apud se semper asservet, neminique ingressum permittat, quin fuerit primum edoctus de legitima ingrediendi facultate.

De probatione admittendorum.

XV. Si Superior, re cum Magistro, ejusque Socio collata accedentem retinendum, & ad examen generale admittendum in Domino judicaverit, accedens in habitatione ad excipiendos accedentes designata, aut in cella aliqua seorsim constituatur, concesso aliquot dierum spatio, ut hospitum more possit in ea diversari.

XVI. Detur illi pars prima Constitutionum nostrarum Communium seorsim descripta, ut Summam Regulæ nostræ, & quæ ex Constitutionum nostrarum Præscripto agenda, vel fugienda ipsi erunt, tum difficultates per otium incipiat perspicere, & intelligere.

XVII. Tertio ab adventu die ad examen vocetur, illudque subeat, juxta formulam in Regulis Examinatorum præscriptam.

XVIII. Postquam ab Examinatoribus in Domino statuetur, accedentem non esse rejiciendum, sed admittendum, ad Magistrum pertinebit, ante omnia, ut vult S. Pater Noster, eundem exercendis abjectioribus officiis admovere, advertat tamen, ut ab iis fiat totum potius ad propriam cujusque humilitatem, quam pro aliqua Monasterii necessitate.

XIX. Post humilitatis experimentum uno alterove die captum, exercitia spiritualia continuanda per octiduum aggredi jubeatur, quo expleto tempore, generalem totius anteactæ vitæ confessionem faciat, vestem cum Monastico habitu commutet, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiat, & inter Novitios cooptetur.

XX. Ut exteriore habitu admissi ad chorum, & studia Litterarum profitenda a Novitiis Laicis possint internosci, illi zona in Novitiatu utantur coreacea, hi vero e segmento panni longiore, cum pendulis a latere sinistro globulis precariis, vulgo Rosariæ sive Coronæ dictis: Insuper Laici etiam Professi signum Clericale deferre, hoc est coronas radere non audeant, quód quidem

quidem perpetuum erit status Laicalis discrimen. Clerici tamen Novitii statim a Professione ad se succingedos assument tæniam textam laneam.

De institutione & Probatione Tyronum.

XXI. Ut institutionis suæ fructum consequatur, imprimis det operam, ut Tyrones bene calleant doctrinam Christianam: Quare bis eandem in hebdomada omnibus per dimidiam horam clara methodo explicabit: in qua, ut magis Tyrones progrediantur, juvabit jubere, ut aliquid temporis tribuant ei discendæ, ac memoriæ mandandæ, ac ut statis temporibus, quod didicerunt, recitent, uno interrogante, & aliis respondentibus, vel vicissim se se interrogantibus, & vicissim respondentibus.

XXII. Doceat præterea, qua ratione puritas animi conservari, Sacramenta cum fructu frequentari, Libri ascetici utiliter legi, Sacrum pie audiri, decenter eidem ministrari, chori officium devote peragi, conscientia mane & vesperi bene discuti possit, & debeat.

XXIII. Maxime autem curet, ut modum mentaliter orandi, ac bene meditandi perspectum pro suo captu habeant omnes, tam choro & Scholæ addicti, quam Laici, utque ejus amore capiantur, persuasi ejus ope solum perfici in Sanctimonia animas, quemadmodum noster S. Chrisostomus Hom. t de Orat. in illud Psal: 7. *Confitebor*.

XXIV. Inculcet sæpissime, ut juxta Legem S. Patris instit: Monach. C. 3. nihil per contentionem, ac vanam gloriam efficiant, sed propter Deum, & ad placendum ei: scilicet, ut in singulis operibus suis puram intentionem habeant, Deumque ipsum, qui merces eorum est, unice respiciant.

XXV. Explicet ipsis quam sæpissime pretium, utilitatem, necessitatemque obedientiæ Superioribus suis, quæ virtutum omnium custos est, & fundamentum, excitetque ut in ejus exercitio juxta præscriptum S. Patris Nostri Reg: Fus: 28. ad interitum usque pergant, memores Domini, qui factus est obediens usque ad mortem: Hinc identidem præbeat ipsis occasionem exercendi obedientiam tentando ipsos ad spiritualem profectum, ita tamen, ut, quod præscribit, juxta uniuscujusque vires, & ad prudentiæ regulas metiatur.

XXVI. Summo studio adnitatur, ut præcipuam animorum pestem superbiam scilicet, & jactantiam, quam maxime reddat Novitiis exosam, & fugiendam: Quare non solum crebris exhortationibus, sed etiam, quod monet S. Parer Noster per humilitatis practica exercitia, obsequia scilicet abjectiora prudenter injuncta, animet, & ducat Novitios ad verum contem-

ptum sui. sincerumque eorum, quæ Sæcularibus honorifica sunt, despectum.

XXVII. Commendet identidem ipsis interiorem Spiritus culturam, doceatque, ut exteriori etiam compositione, modestia scilicet, verecundia, & gravitate ostendant, se pietatem, religionemque, quam amplexi sunt, non solum amare, sed omnibus etiam reddere velle commendatam.

XXVIII. Exterioris quoque munditiei, & honestatis amorem eis instillet, & uti in vestium vilitate paupertatem colant, non sordes quærant, enixe commendet.

XXIX. Exercitia spiritualia singulis secundum uniuscujusque dispositionem, & captum tradat, eo tamen, quo procendunt, ex usu nostro ordine, & tempore, nisi tempus trimestre, necessitas muniendi cujuspiam adversus tentationes, vel alia gravis spiritualis causa anteoccupari juberet.

XXX. Libros, qui ad spiritus profectum maxime faciunt, unicuique præscribat: deligat vero eos, qui spiritui Monastici instituti nostri conveniunt, ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacunque demum ratione quidquam detrimenti capiant.

XXXI. Agat cum quolibet singulatim, saltem unoquoque trimestri post absoluta spiritus exercitia, suaviter ad animum suum, quoad omnes defectus, & bonos conatus, juxta præscriptum S. Patris Nostri Reg. Fus. 26. aperiendum erigendo, ut omnes perspectos habeat, quo omnibus magis prodesse possit.

XXXII. Præsertim cognoscere studeat, quam rationem quisque teneat in oratione tam mentali, quam vocali: item in lectione spirituali, & examine conscientiæ: Quem resistendi tentationibus modum servet: acquirendis virtutibus, qua ratione operam det; videatque an in his omnibus ita se gerant, ut ab ipso edocti sunt; Quem fructum capiunt ex meditationibus, frequentia Sacramentorum, humilitatis, obedientiæ, & patientiæ exercitiis, ut scilicet profectum singulorum perspectum habeat, & quo ipsis juvandis opus sit, exacte intelligat.

XXXIII. Unicuique pro prudentia, & indigentia singulorum moderetur exercitium spontanearum corporis afflictionum per utilia jejunia, metaneas &c. Detque operam, ut precibus ipsorum Novitiorum ad id faciendum impellatur. Caveat tamen ne nimio mortificationum usu vires debilitentur, & e contra, ne neglectu earum fervor spiritus intepescat, aut obex ponatur in perfectione progressui ampliori.

XXXIV. In correptionibus discat, juxta monitum S. Patris Nostri culparum rationem habere, paternam lenitatem, vividam compassionem, dulcedinem

dinem demonstrare, ne confidentiam, quam in aperiendis apud eum animis suis habere debent, penitus tollat, vel imminuat.

XXXV. Præter collationum fructuum, quos ex meditatione percipiunt, curet, ut conferant inter se etiam fructus lectionem & exhortationum. Quæ collatio utilissime poterit peragi hac ratione, ut scilicet postridie repetitis per unum aut duos a Magistro designatos documentis iis, quæ in lectione vel exhortatione pridie accepta sunt, proponat aliquis, quomodo vitium aliquod evelli, aut virtus acquiri possit: aut quomodo vincatur talis tentatio, vel difficultas, quæ media vel remedia in re posita adhibenda sint, & alia id genus. Atque his expositis curet Magister, ut ipse constituat, quid tenendum sit.

XXXVI. Diligenter dispiciat toto Novitiatus tempore indolem, & genium singulorum: Quodsi quos vel minus idoneos oneri Monastico observaverit, vel nullum specimen solidæ probitatis, præsertim obedientiæ, & patientiæ edere viderit, nec adhibita aliqua ulteriore eorum probatione spem ullam emendationis conceperit, re tota coram Deo considerata, & collata cum Examinatoribus foras mittat.

De regimine, & disciplina exteriori Tyronum.

XXXVII. Ordinem diurnum domesticum secundum agendarum rerum modum a Capitulo Provinciali apposite ad locum Tyrocinii præscriptum religiose exigat, & servari curet, nec si, qua in re dispensandum interdum videretur, id faciat inconsulto loci Superiore.

XXXVIII. Novitios familiaritatem secum habere non sinat, sed ut silentium invicem servent, advigilet, excepto recreationis tempore, & quo alia ex causa loqui necesse est.

XXXIX. Nec permittat ullam cum Monachis Professis consuetudinem, aut colloquutionem, multominus faciat potestatem externos, sine gravi necessitate adeundi, ad eos divertendi, vel apud eos commorandi, nisi cum renuntiationis, aut dispensationis bonorum temporalium negotium transigendum esset; Quo tempore ad Superiorem pertinebit designare ei Socium Monachum Professum prudentia præditum, ætate, & moribus gravem, qui consilio ei sit, & auxilio.

XL. Si Novitio, interdum eum adeuntes Consangvineos vel amicos, alloquendi potestas facienda videretur, curet, ut cum Monacho aliquo Professo a Superiore designato id fiat, & quidem breviter, nisi aliter peculiares ob causas permittendum judicaret Superior.

XLI. Non sinat quoque Novitios designari in Socios nostris, qui adeunt domos sæcularium, aut aliquibus extra Monasterium addici obsequiis, quæ necessitatem important agendi cum externis. Possunt tamen intra Monasterium obire

obire ministeria Hypoecclesiarchæ, & Curatoris Refectorii, sed & in his crebra fiat mutatio.

XLII. Laici tamen, qui legere non didicerunt, exercendisque servilibus necessariis artificiis destinati sunt, possunt in suarum artium officinis in labore manuum cum Sæcularibus ejudem exercitii sociis occupari, dummodo a meditationibus, exhortationibus, & publica lectione non absint: contubernales vero sive socii morigeri sint.

XLIII. Omnes Novitii tam Clerici, quam Laici, qui nullam manualem artem callent, jubeantur aliquam, quæ præcipuo vitæ nostræ instituto non nocet, ut sunt in Constitutionibus nostris generalibus Cap. 5. recensitæ, certo tempore discere quotidie, ut habeant tandem, quo & otium depellant, & Regulæ Basilianæ satisfaciant.

XLIV. Novitii non careant hebdomadaria cessatione bis in hebdomada, in qua intermissa fructuum collatione, & aliis pomeridianis exercitiis, aliquid honestæ recreationis domi vel foris possint sumere.

XLV. Singulis quoque diebus habeant statim a prandio unam integram recreationis horam, qua liceat ipsis mutuo colloqui, dummodo simul plures non conveniant, quam quatuor, aut quinque, nisi aliter Magistro videretur. Qui, quomodo Novitii sermonem suum ad animi remissionem spirituali lepore condire, ut vult S. Pater Noster Const: Monast: Cap: 12. Evangelico sale debeant, viva voce exponere, ac alia, quæ ex Regula Ejusdem S. Patris in recreationibus servanda & fugienda sunt, diligenter commendare in exhortationibus suis non omittat.

De iis, quæ ad Professionem Tyronum pertinent.

XLVI. Sciat Novitios Clericos post unum probationis expletum Annum, mathematice de momento in momentum computandum, posse institutum nostrum profiteri, idest ad solemnem Professionem admitti: Laicos autem intra duos annos probationis.

XLVII. Etsi vero secundum Regulam Basilianam Professionês Monachorum, ab eo tempore admitti posint, quo ætas rationis complementum habuerit, sive ut ait S. Pater Noster, quo supra Decimum Sextum, vel Decimum Septimum Annos ratiocinationum suarum jam fiunt arbitri, quia tamen ex eodem S, Patre Nostro Locum ad Romanos scribentis Apostoli Pauli, subjici nos & potestatibus cunctis supereminentibus, mundanis inquam, jubentis Const: Monast: Cap: 22. urgente, bene noscimus, nos obstringi Lege Divina ad obediendum Principibus temporalibus, in iis quæ prohibita haudquaquam sunt, idcirco, ubi Leges Principum provecti orem ad solemnem Professionem exigunt

gunt ætatem, omnimoda ipsis præstetur obedientia.

XLVIII. Porro sub finem Tyrocinii dentur professuro legendæ Regulæ, Constitutionesque Congregationis Nostræ, ut videat bene, & consideret, quo se obstrictum velit. Apto tandem spatio temporis interjecto examinetur a Magistro, an statuerit omnino apud se vivere, & mori in Congregatione Nostra? Num suppetere sibi vires sentiat corporales, & spirituales ad ea perferenda, quæ vel graviora, vel laboriosiora in regulis, ac Constitutionibus videntur? an iis omnibus contentus sit? Num aliquid dubii, vel difficultatis circa ea habeat?

XLIX. Præterea examinabit, num sufficienter doctrinæ Christianæ præceptis excultus sit. Nemo enim idoneus ad Professionem Instituti nostri habendus est, qui tantum in Doctrina Christiana progressum non fecit, quantus est necessarius ad eandem rudibus bene & fundatè tradendam.

L. Interea de singulis Professuris ad Provincialem scribet, ut de ejus consensu vota emittere possint. Qui consensus tamen non est censendus sufficiens, nisi accesserit quoque consensus Patrum, qui Capitulum constituunt Monasterii. Porro in Monasteriis, in quibus Tyrocinium ponitur vitæ nostræ Monasticæ, non omnes, qui in iis habitant, constituunt Capitulum Monasterii, sed ii solum, qui Authoritate Capituli Provincialis in istud Monasterii Senaculum cooptati sunt. Ac licet, dum de admittendo ad Professionem agitur, omnes ejusdem incolæ Monachi, etiam Laici, tertium a Professione egressi annum Capitulo Monasterii interesse teneantur, ipsorum tamen est, consultivum duntaxat ferre suffragium, & viva voce: cum eorum, scilicet Capitularium Patrum suffragia secreta esse debeant, & definitiva, ita tamen, ut rem non decidant, nisi fuerint medietate plura. Si quo tamen casu evenisset, ut essent paria, ad Superiorem pertinebit, dato iterum suo novo suffragio rem de admittendo ad Professionem; vel non, concludere.

LI. Si Novitius habuerit bona aliqua hæreditaria, mobilia, atque immobilia, moneatur, eum ipsis intra duos Menses, qui proxime Professionem antecedunt, renuntiare debere. Magister vero, & Superior dent operam, ut istiusmodi renuntiatio fiat servatis omnibus, quæ de jure tam Ecclesiastico, quam Civili Patrio exacte servanda sunt.

LII. Si qui juventutem nondum egressi ad studia Litterarum satis apti, aut saltem ad studium Theologiæ Moralis non inepti se redigi per Professionem in statum Laicalem petierint, non facile Magister annuat, sed moneat, ut se duci sinant circa famulandi Deo modum, secundum quod Superioribus visum fuerit. Si aliqua tamen in eo illustriora vocationis Divinæ vestigia cernerentur, rem cum Superiore conferre non omittat.

LIII. Neminem, qui operam dat arti ingenuæ ac liberali, a Professione Clericali repellat, sicut ad profitendum nomen inter Clericos, neminem admittat, qui quacunque ratione illiberalem colit artem, licet ab hujusmodi hominibus nullum de non ambiendis Ordinibus votum exigi debeat.

LIV. Laici ante Professionem examinentur, num deliberatum habeant animi propositum vivendi ac moriendi in statu Laicali, & an omnino sorte Marthæ contenti futuri sint, nullas exemptiones, atque privilegia expetendo, sed omnem sui curam Superioribus relinquendo. Examina autem omnia Novitiorum notentur scripto, ut constet.

LV. Omnes Novitii tam Clerici, quam Laici priusquam vota emittent, sacris exercitiis per octiduum se colligant. Et quo, in proposito non errent, rem suam precibus, & qui poterunt, Sacrificiis, assumptisque voluntariis carnis afflictationibus enixe Deo commendent, quo sibi luculentius voluntas Divina innotescat, & ne quid per raptum, ut loquitur S. Pater Noster in re tanti momenti factum, a nobis videatur.

LVI. Omnibus ante Professionem perspectum facere curet, quod votorum renovationes deinceps ab ipsis de more faciendæ vim obtineant primæ Professionis, si ex aliquo forte defectu ea vi sua fuerit destituta.

LVII. Professio emitti non debet, nisi in manibus Superioris, quo nomine intelligitur Proto-Archimandrita, Provincialis, & Superior localis: Potest tamen emitti etiam in manibus Magistri ipsius, aut alterius Monachi Sacerdotis Professi, sed ab eorum aliquo designati. Fiat autem præsente Cætu Monasterii, ex quo Monachus Professurus deligat sibi duos, qui cum ipso teneantur peculiari suæ de Professione facta authenticæ declarationi in Libro, tanquam Testes rogati, postea subscribere manu propria, ut & ipse profitens.

LVIII. Laici vero solemnia vota nostra emittentes non solum subscribant se tali die, & Anno emisisse vota, sed etiam se in statu Laicali perpetuo servire Deo decrevisse. Id quod testes etiam suis firmabunt subscriptionibus. Quodsi Laici profitentes scribere non nossent, in testium, qui se subscribent, præsentia, sua manu Crucis signum apponent.

LIX. Novitii infirmi ante completum Tyrocinii Annum vi morbi in periculum mortis adducti, modo habeant a jure ad Professionem requisitam ætatem, possunt ex concessione Pii V. propter Indulgentiam vota Religionis Deo nuncupare. Si quis tamen ex illis convaluerit, non obstante prima nuncupatione ad solemnem, exacto probationis Anno Professionem faciendam omnino teneatur.

Regulæ Socii Magistri Novitiorum.

I. Is

I. Is Hieromonachus sit, triginta minimum Annos natus, ultra sexennium a Professione progressus, in rebus spiritualibus exercitatus, & quam proxime accedens ad eas virtutes, & dotes, quas in Magistro Novitiorum requirit regula officii ejus Prima.

II. Magistro Novitiorum sit subordinatus, ita tamen, ut altius etiam Superiori sit subjectus, non item Vicario, si is fuerit distinctus a Magistro.

III. Ut idoneum se præstet Magistri adjutorem, lectione diligenti familiares sibi reddat regulas ejusdem, nec non Libros Asceticos, qui ad directionem Tyronum juxta spiritum Instituti nostri non parum faciunt: Probatas quoque Novitiatus consuetudines non ignoret.

IV. Intelligat ad suum munus imprimis pertinere, cum prudentia, ac charitate Tyrones dirigere in exteriori disciplina Monastica exacte servanda ad præscriptum Constitutionum, Regularum, Ordinationum Capitularium, & approbatarum loci consuetudinum; Præsertim vero modestiam eos religiosam edocere, ut in omnibus externis actionibus, in omnibus gestibus, ac motibus, in omnibus demum conversationibus Nostrorum eluceat decorum cum humilitate, & religiosa maturitate ita conjunctum, ut omnibus pariat ædificationem.

V. Quantum vero cura sua extendere se possit, debeatve circa directionem Tyronum interiorem, discat ex Magistro, nec ab eo præscriptos sibi limites transiliat.

VI. Attendat potissimum iis, qui veniunt, & admitti petunt ad vitam Monasticam, ipsosque summa cum charitate ea doceat, quæ ab ipsis scienda & servanda sunt, secundum tamen præscriptum a Magistro sibi datum doceat, & juxta ejus Regulas.

VII. Tyronibus, dum chorum adeunt, aut foras deambulatum eunt, adsistat semper. Ubi vero more, ac usu receptum non est, ut Tyronum recreationi post prandium intersit ordinarie, curet saltem, ut intersit sæpe, doceatque exemplo suo, quomodo tempus illud utiliter, & juxta Regulam transigendum sit. Extraordinariæ quoque Novitiorum relaxationes, quæ ex probatis locorum consuetudinibus indulgeri solent, ut spiritus refectioni, non effusioni deserviant, ipsius erit attendere.

VIII. Ipsius quoque est tonorum omnium chori nostri disciplinam Tyronibus tradere, arte canendi Hirmologii, Rituumque scientiá eosdem imbuere, ut etiam audire, dirigere, ac corrigere cum tenorum fit exercitium, quod ne intermittatur, nisi festis ac recreationum diebus studiose advigilet.

IX. Pensa eorum, quæ a Magistro memoriæ mandari, ac edisci jubentur, ipse stato tempore exigat. In doctrina vero Christiana explicanda, in exer-

citiis

citiis spiritualibus tradendis, in dicendis exhortationibus, in Laicis erudiendis, si Magistro placuerit, uti ejus opera, ex judicio ejus cuncta faciat, nec a forma præscripta discedat.

X. Omnia Novitiatus loca frequenter circumspiciat, præsertim vero Cellulas Novitiorum, Conclaviaque ipsorum, exercitiis, & usibus destinatá, ut videat, an munda ac composita omnia sint ad ædificationem.

XI. Solicitus sit de fovenda mutua inter Tyrones charitate, reverentia vero erga Magistrum, & Superiorem. Pœnitentias autem, si quas juxta præscriptum eorum injunget, correptionesque quas faciet, citra ullam animi concitationem injungat, & faciat, ut omnes intelligant ex spiritu charitatis ad animæ eorum salutem ista proficisci.

Regulæ Instructoris recens Professorum.

I. Ejus muneris est, spiritum, quem Tyrones in prima sui institutione hauserunt, firmare, ac efficere, ut ad majus Divinæ gloriæ incrementum, Congregationis autem nostræ spirituale solatium, is majores quotidie vires sumat, & altioribus in singulis figatur radicibus.

II. Cum secundum recens Professorum Tyrocinium poni debeat, vel citra studia Humaniorum Litterarum, & Moralis Theologiæ, vel in aliis primariis Monasteriis, hinc munus obibit istud vel Professor, si Neo professi Scholastici sunt, vel Vicarius, si non sunt.

III. Quis quis fuerit, habeat oportet zelum spiritualis suorum Tyronum profectus, & erga eos observare studeat ea, quæ secundum regulas Magistri Novitiorum commode observari poterunt.

IV. Imprimis, diligenter curet, ut Neo professi singulis sui triennii Annis duo in spiritualibus exercitiis ponant octidua, & quidem, si scholæ addicti sint, semel ante anniversariam instaurationem cursus studiorum, & iterum in Quadragesimæ feriis festum, si commode fieri poterit, Paschale præcedentibus. Si autem Scholastici non sunt, semel ineunte Quadragesima, iterum vero in Septembri feriis memoriam Gloriosissimi Martyris Nostri Josaphat consequentibus. Sciat autem nec sibi, nec Superiori in binis his exercitiis cum recens Professis dispensare licere, nisi aliquando justis ex causis aliud ipsis peragendi tempus decernendum videretur.

V. Alia etiam injungi poterunt exercitia, quæ ad perfectam ipsorum abnegationem conferunt. Ad prudentiam tamen Instructoris pertinebit, ita ea viribus cujusque, ac dispositioni adtemperare, ut omnia serviant ad majorem eorum profectum, & ædificationem, non ad destructionem.

VI. Collationes fructuum tam ex meditatione, quam ex lectione spirituali perceptorum

perceptorum etiam in Neo-professorio non omittantur, quamquam breviores esse debeant. Interdum quoque ad eum modum, quem præscribit Regula Magistri Novitiorum XXXIX. interrogentur.

VII. De aliquo doctrinæ Christianæ Capite, saltem semel in hebdomada inter se tractent, deturque opera, ut familiæ rudiori domesticæ eam quot diebus per vices dispensent.

VIII. Artes manuarias, quarum rudimenta in primo Tyrocinio, singuli posuerunt, ut perficere, ac elimare stato tempore, hoc est manuum operi designato diligenter studeant, advigilabit: Ad alia vero exercitia corporalia, nisi valde moderata sint, & non qualia Novitiorum, caveat, ne obstringat.

IX. Tonorum chori Nostri, & cantus Hirmologici cæptum in Tyrocinio studium curet, ut pari ab illis, ac in ipso Novitiatu continuetur diligentia, moneanturque hi præsertim, qui Morali Theologiæ dant operam, se ad ordines Sacros nunquam admissum iri, nisi chori nostri scientiam, quantum satis est fuerint assequuti.

X. Non permittat autem ullis communibus extra chorum, & Refectorium, Patrum Conventibus interesse, nisi aliter Superior justam aliquam ob causam expedire judicaverit: Nec addicantur ullis tam intra, quam extra Monasterium obsequiis, quæ necessitatem important agendi cum externis, exceptis Laicis, ad eum modum, qui Regula Magistri Novitiorum XLVI. præscribitur, & Theologiæ Moralis studiosis exceptis, qui circa sua studia munus possunt gerere tam Hypo-Ecclesiarchæ, quam etiam Curatoris Coquinæ, & Refectorii.

XI. Adnitatur quoque, ut suam exactam obtineat observantiam Regula Magistri Novitiorum XLI. & duæ sequentes.

FORMULARIUM

Congregationis Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni continens Formulas præcipuorum Actuum, & jurium jurandorum.

Formula Capituli Generalis.

Qui vetera rerum in Ecclesia gestarum monumenta evolvit, bene novit jam inde a temporibus Constantini Magni fuisse in Oriente Congregationes complurium Monasteriorum sub unius Regulæ moderamine, ac sub unius Abbatis, ut nunc dicimus, Generalis cura. In vita Posthumii legimus Quinque Monachorum Millia ipsi subjecta fuisse. *Macarius* ut loquuntur Acta ejus, *ab Illustri Viro Antonio* Monachorum fere Quinquaginta Millia susceperat gubernanda. Ruffinus Auctor est, Ammonio tria Millia Tabennosiotarum, quos

 progenuit

progenuit Celeberrimus Pachomius, paruisse. Eodem referente fuit Seraphion, qui Monachos ad Decem Millia regebat. Ut omittam Hilarionem in Palæstina, Theodosium, Euthymium, Sabbam, qui innumera condiderunt Monasteria, & eis cum imperio præfuerunt.

Cum verò Monasteriorum consociationes sub uno Generali Capite sine collatione in commune Consiliorum, & sine aliquo Præfectorum delectu firmis nequeant niti radicibus, res dubitationem non admittit, quin in Oriente statim ab initio Monachismi, fuerint etiam singulares Monachorum Conventus, sive Capitula, ut nunc dicimus, statis indicta temporibus, in quibus de rebus ad disciplinam Congregationum suarum pertinentibus inter se conferrent, ac bono earum ordini consultum irent.

Certè tales fuisse Conventus prodit S. Hieronymus, dum in Præfatione ad Regulam S. Pachomii Nro 7. scribit: Tabennosiotas, exceptis iis, qui in Monasteriis necessarii erant, congregari interdum consvevisse ad Quinquaginta fere Millia hominum, ut in Monasterio, in quo omnium Monasteriorum degebat diebus Paschæ eorum Caput, sive Generalis, cum ipso agerent: Num: 8. quoque tradit, Mense Augusto fuisse apud eosdem Capitulum, in quo *instar jubilei remissionis dies exercebantur, & disponebantur Monasteriorum Capita, Dispensatores, Præfecti, Ministri, prout necessitas postularet.*

Ad luculentissimum ejus rei præbet nobis argumentum Ipse S. Pater Noster Basilius Magnus, qui postquam Regula Fusio i 35. utilitatem conjunctionis, sive Congregationis Monasteriorum omnium sub unius Generalis Præfecti cura, & regimine eggregie commendasset, & votum suum, ut non modo, quæ in uno loco, seu Provincia, sed etiam, quæ diversis in locis sive Ditionibus constituta essent Monachorum Cænobia ab una tantum cura, sive ab uno Præfecto Generali in spiritus consensione, & pacis vinculo regerentur, cujus demum voti compos factus fuit Justiniano Magno imperante, constitutis Monasteriorum Exarchis, qui ea, uti Generales regerent, & Apocrisiarchis, qui eadem ut Provinciales obambularent, visitarentque, Teste Novella ejusdem Imperatoris 132. Qui, inquam, Magnus Parens Noster, postquam desiderium omnium Monasteriorum uniendorum sub una spirituali cura declarasset, tandem Regula fusiori 54. aperte statuit, necessarios esse eorum, qui sic conjunctis præficiuntur Monasteriis, Conventus, sive Capitulares Congressus, ut de negotiis suis inter se colloqui possint. En verba S. Patris hujus Regulæ = „ Operæ pretium est autem Fratrum Præfectos non„ nunquam statis quibusdam temporibus, & locis in unum convenire: in qui„ bus res præter rationem occurrentes, moresque tractatu difficiles, & quomodo „ singula gesserint, sibi invicem exponant: ut si quis in aliquo deliquerit aliquan-

„ do

„ do, id certissime detegatur multorum judicio, contraque, si quid recte factum „ sit, id plurium testimonio confirmetur. „

Ad hujusmodi Monachorum Conventus, sive, ut nunc dicimus Capitula, voluisse S. Patrem Nostrum, ut creationes etiam Præfectorum, id est Magistratuum pertinerent, discimus ex Reg: Fus: 43. quæ ita loquitur: = „ Oportet Præ„ fectum esse non sibi sumentem præfecturam, sed qui delectus sit ab iis, qui „ primas obtinent in aliis Fratrum Conventibus = „ Non poterat enim talis delectus institui, nisi Cætu ex Capitibus aliorum Monasteriorum coacto, & in suffragium vocato, quod maxime proprium, & peculiare est Capitulo. Huc pertinet etiam Regula Brevior 104. cui postquam S. Pater interrogationem præmisisset, quomodo debent Fratribus munera, & officia committi, utrum a solo Præfecto ita judicante, an etiam a Fratribus suffragium ferentibus = : Respondet: „ Si unusquisque ea, quæ sentit aliis proponere edoctus est, quanto magis, quæ „ sunt hujusmodi, ea fieri debent adhibito eorum, qui ad hoc apti sunt judicio. „ Quare Dei negotium secundum Deum concredendum est iis, qui se jam osten„ derint credito munere fungi posse, modo Domino grato: & in summa ne„ cessarium fuerit Præfectum in omni negotio Sacræ Scripturæ meminisse, quæ sic habet = Fac omnia cum Consilio =. *Eccl: 32. v. 24.*

Quare cum liqueat ad Capitula nostra pertinere, non solum excubare pro observantia disciplinæ, sed etiam Monasticas Præfecturas, habito Personarum delectu, dispensare, ea quæ de observandis in electionibus tradit S. Pater Basilius, hic annectimus = = =

„ Expendendum est circumspectius, ad quid quisque idoneus sit, sicque com„ mittendum munus quodlibet, ut ii, qui cuipiam committunt, quod ei non „ convenit, nequaquam veluti mali, & animarum, & mandatorum Domini di„ spensatores condemnentur, nec ii quoque, quibus munus committitur, ex„ cusandi peccati rationem hinc invenire videantur. Reg. Brev: 149.

„ Quoniam prorsus convenit Cætum Præposito obedientem esse, ac sub„ ditum necesse est imprimis talem eligi vitæ hujus moderatorem, ut illius vita „ iis, qui ad ipsum respiciunt, sit cujusvis virtutis exemplar: Et ut ait Apo„ stolus, qui sobrius sit, temperans, modestus, & ad docendum idoneus; sic „ meo quidem judicio exploranda est & hujus vita, non solum an temporis spatio „ senectam attigerit, accidit enim cum canitie etiam, ac rugis inveniri juveni„ les mores, sed præsertim, an mores, & agendi ratio per modestiam, & „ gravitatem incanuerint, ut quidquid ab illo dicitur, & efficitur, pro Lege „ Conventui sit & pro Regula. Inst: Monach: Cap: 4. Nro. 3. Reliqua vide supra ad Partem. 2.

§ I.

Quando, & a quo Capitulum Generale cogendum est.

1. Capitulum Generale cogendum est ad exitum Proto-Archimandritâ perveniente muneris sui, post Capitula Provincialia proxime ante absoluta. Quodsi ob pestem, bellum aliaque similia impedimenta cogi non posse tempore sibi constituto videretur, poterit in aliud tempus differri, at indicato primum impedimento Metropolitæ Nostro.

2. Capitulum ejusmodi indicendum est ad diem augustissimi honoribus in Cælum transitus Virginis Matris consecratum, id est ad diem 15. Mensis Augusti, secundum fastus nostros. Indici autem debet a Proto-Archimandrita, vel Vicario Generali per Epistolam Encyclicam Trimestri ante diem istum in Provincialibus Capitulis promulgatam.

3. Quia vero ad Metropolitam, tanquam membrum Congregationis Nostræ præstantissimum, & principem pro Legibus, incolumitateque ejus ex Delegatione Apostolica Excubitorem, Capitulis Nostris Generalibus per se vel per alium, dummodo is alius sit Episcopus Ritus ac Professionis nostræ, Monastica disciplina excultus, pertinet præsidere, eapropter caveat, sive Proto-Archimandrita, sive Vicarius Generalis, ne Monachi vocentur prius ad Capitulum, quam Metropolita ea de re cultus, honoris, & observantiæ causa, conventus, ac consultus fuerit.

4. Capitulum Generale cogendum est Brestæ, vel in Alba Ducali, nec, si quid causæ fuerit, peti poterit diversorum Locorum designatio, nisi de consilio Metropolitæ, tamquam Delegati Apostolici, & exquisita sententia officiorum Provincialium, ac duorum Abbatum Antiquiorum.

§ II.

Qui, & quot vocari debeant.

5. Ad Præscriptum Capituli Nostri Generalis Torokanensis (quod facta Congregationis Nostræ in Quatuor Provincias distributione statuit, ex causis gravissimis Comitia Nostra Generalia minori Mohachorum Numero esse inposterum celebranda) interesse Capitulo Generali debent, non plures universim, quam duo supra Quinquaginta Vocales.

6. Porro in hujusmodi numero inclusus habeatur Proto-Archimandrita cum Quindecim Congregationis Nostræ Archimandritis, Consultores Generales Quatuor, Provinciales recens electi Quaturor, Ex-Provinciales, proxime munere suo defuncti totidem, atque alii Viginti quatuor Monachi, ex singulis seni deligendi, & designandi Provinciis.

7. Ut autem delectus eorum, qui ex Provinciis designandi sunt, certo definitus

finitus habeatur, volumus, ut ex Consultoribus Provinciarum recens in hunc Ordinem cooptatis, eligatur unus: ex Consultoribus unus, ex Superioribus duo, ex Classe bene de Provincia meritorum unus, denique ex Classe Magistrorum Novitiatus, Professorum, Concionatorum, & Missionariorum unus.

8. Etsi vero nefas sit tam Abbatibus, quam aliis Monachis ex unaquaque Provincia Vocalibus declaratis, Generali Capitulo non interesse, quia tamen possunt aliquando Canonica intervenire impedimenta, quominus ipsis liceat ad Capitulum se conferre, idcirco, ne præscriptam inter Vocales Provinciarum æqualitatem interdum vacillare contingat, dent operam Provinciales, ut præter Vocales designatos, & in Capitulis Provincialibus delectos, duos in promptu habeant a se, suisque officiis decretos, a Proto-Archimandrita autem probatos Viros, qui in casu absentiæ aliquorum e Provinciis suis Vocalium, sex vel septem saltem ante electiones perficiendas diebus, commode absentibus substitui, debitaque intra numerum Vocalium ipsi loca occupare possint.

9. Quodsi hujusmodi providentia consuli servandæ Vocalium æqualitati non posse aliquando accidisset, Provinciales in tractu Capituli, dum adhuc per tempus licebit, rem conferent inter se, ac, si facta collatione substitutionem commode non posse perfici, intellexerint, quot substituendos viderint ex una Provincia desiderari, tot sinent abesse ex suis Vocales, præmissa temen sibi solutione impensarum, quas sive pro Vocalibus, sive pro Substituendis in promptu habendis suæ fecerunt Provinciæ.

10. Si quis Vocalium die ad conveniendum præstituto non venerit, nec adesse ante hebdomadam electiones præcedentem curarit, moram suam, si Abbas fuerit, coram officio Generali, si alius jure suo, vel electione Vocalis, coram officio Provinciæ purgare, pœnamque pro merito culpæ, si qua admissa fuerit, subire teneatur. Si autem prorsus abfuerit, nec legitimas absentiæ suæ causas dederit, is si Abbas fuerit, præter pœnam suspensionis ab usu Pontificalium per semestre, etiam pecuniaria mulcta pro rata parte sumptus ex raudo Provinciæ in substituendos impensi æstemata efficiatur. Si vero e Superioribus electus, vel Vocalium ex aliis Classibus rite delectorum Superior, quoties absentiæ ipsorum causa extitit, præter pœnam pecuniariam, pari ratione taxatam, officio etiam suo ad lapsum turni privetur.

11. Si quis vero legitimitatem absentiæ probare voluerit, sciat non satis esse id se velle docere testimonio suarum comparate Communitatum, sed etiam teneri jure jurando fidem firmare, si id necessarium ad hoc, ut de re constet, ii, ad quos de jure pertinet, judicaverint.

Parenthesis.

Pro præsenti, ac inpost duraturo Nostræ Congregationis statu nimirum, quousque non nisi a duabus Provinciis Lithvana & Polona, Comitia Nostra Generalia celebrabuntur, novissimum Capitulum Generale Zidyczynense novam Patrum Capitularium seu Vocalium schedam, idque ex mandato Sæ Congregationis de Propaganda Fide sibi delato, instituit, & ad numerum Monachorum, jus veniendi pro Capitulo Generali habentium, præter officia tum Ordinis, tum Provinciarum, sexagenarium reduxit. Porro pro Capitulis Provincialibus eundem Patrum Vocalium numerum dispartitum, seu præter officium Ordinis, & officia respectivarum Provinciarum, Trigenarium servari, modo, qui sequitur, determinavit.

Scheda Patrum Vocalium ex Provincia Lithvana.

1mo. Reverendissimum Officium Ordinis & Provinciæ.

2do. Reverendissimi Abbates: Zydyczynensis, Braslaviensis, Grodnensis, Pińsco-Leszczynensis, Kobrynensis, Dorhobuscensis, Dermanensis, Polocensis, Trocensis, Dubnensis, & Czereiensis.

3tio. AA. RR. PP. Superiores: Wilnensis, Zyrovicensis, Bytenensis, Torokanensis, Berezvecensis, Chełmensis, Borunensis, Bialensis, Wladimiriensis, Antopoliensis. Breslensis, Rożanensis, & Minscensis.

4to. Magistri Novitiorum, Bytenensis, & Berezvecensis.

5to. Professores Theologiæ duo, Professor Philosophiæ Antianus unus, & Concionator Wilnensis.

Scheda Patrum Vocalium ex Provincia Polona.

1mo. Reverendissimum Officium Ordinis & Provinciæ.

2do. Reverendissimi Abbates: Ovrucensis, Mielcensis, & Kanioviensis.

3tio. AA. RR. PP. Superiores: Poczajoviensis, Luceoriensis, Ostrogiensis, Zahoroviensis, Białostocensis, Zahaycensis, Camenecensis, Szarogrodensis, Lubarensis, Poddębcensis, Cremenecensis, Barensis, Lublinensis, Humanensis, Puhinensis, Hoscensis, & Cracoviensis.

4to. Magistri Novitiorum: Poczajoviensis, & Białostocensis.

5to. Professores Theologiæ duo. Professor Philosophiæ Antianus unus. Missionarii Antiani duo. Concionator Antianus unus, Præfectus Scholarum Antianus unus. Professor Scholarum publicarum Antianus unus.

§ III.

De rebus agendis postquam omnes convenerint.

12. Die ad conveniendum constituto Sacrum imprimis fiat solemne de

Spiritu

Spiritu Sancto, quo completo pulsetur campana, ad cujus signum omnibus, qui jus suffragii ferendi habent, congregatis, cantetur Hymnus, quo de more Spiritus Sancti auxilium imploratur, post quem singuli capiant sua loca, ordine nimirum isto.

13. Post Metropolitam sive Ejus subdelegatum sedeat primo loco Proto-Archimandrita, sive ejus vices gerens, ad dexteram Proto-Archimandritæ sive ejus vicesgerentis sedeat Superior Ex-Generalis, tandem sedeant omnes Abbates secundum suam antiquitatem. Et ad sinistram omnes Provinciales, Consultores, Ex-Provinciales, Ex-Consultores juxta Provinciarum gradum, tandem hic inde cæteri Vocales, unusquisque pro suo gradu, & dignitate.

14. Facto ad eum modum consessu, præmissoque sermone brevià Præside loco, & tempori congruente, statim procedatur ad lectionem schedæ Patrum Vocalium ex Provinciis congregatorum.

15. Mox Provinciales exhibebunt Acta Electionum in Capitulis respectivis Provincialibus peractarum, ut dispiciat Generale Capitulum, num Vocalium designationes rite, & ad suffragia medietate plura factæ sint.

16. Tandem Capitulum quadripartietur numerum Abbatum provinciatim, qui quoniam impares numero sunt, nec æqua ratione in Provincias tribui possunt, idcirco Proto-Archimandrita, si alias simplex Monachus fuerit, unius Abbatis loco semper pro tempore Capituli habeatur in ea Provincia, ex qua assumptus est, ut quatuor Abbates in singulas Provincias dari possint. Quodsi ex Abbatibus non ex simplicibus Monachis Proto-Archimandrita delectus esset, pertinebit eo tempore ad Superiorem ex Generalem unius Abbatis locum occupare, ad Capitulum vero Provinciale duobus deligendis Superioribus tertium adjicere, & ad Capitulum Generale mittere, quo sua suffragantium perstet in integro æqualitas.

17. Abbates in aliarum familiam Provinciarum pro tempore nimirum Generalis Capituli adoptati jus jurandum mox dabunt de fide Provinciæ servanda, in cujus quique censum venient, ut & de cavendo, ne quid universim statuatur Constitutionibus Congregationis, quod vel Legibus Ditionis, per quam funditur Provincia, vel statui ipsius Provinciæ adversaretur.

18. Deinde instituatur electio Bidellorum sive atriensium, qui sint duo, unus ex Provincia Proto-Archimandritæ munus suum explentis, alter vero ex Provincia creandi Proto-Archimandritæ recentis.

19. Tum pari ratione eligantur duo Notarii Capituli. Qui tamen munus non aggrediantur suum, nisi jure jurando interposito ad verba formulæ officio præscriptæ suo.

20. Tandem

20. Tandem octo, scilicet Bini ex singulis Provinciis designentur Hieromonachi, qui copiam excipiendarum Confessionum sibi factam habeant, quo spirituali Patrum congregatorum commodo melius consultum iri possit.

§ IV.

De Electione & potestate judicum Capitularium.

21. His omnibus absolutis, Judicum Capitularium celebretur electio. Quæ per secreta fiat suffragia, eaque medietate plura. Quatuor vero duntaxat eligantur secundum ordinem & gradum Provinciarum, ita tamen, ut tres decidendi potestatem habeant, Quartus vero decisiones notandi. Et notandi quidem provincia pertinebit ad eum, qui ordine electionis erit ultimus: Judicandi ad Superiores isto ordine: Præsidendi autem, & judicandi simul ad primum in ordine: hoc est ad assumptum ex Provincia suo munere defungentis Proto-Archimandritæ.

22, Judices Capitulares statim, ac eorum perfecta Electio fuerit, juramentum ad formulam suam, simul præeunte verba Præside Capituli, dicent: Notarius autem ad formulam sibi peculiarem suum seorsim dabit.

23. Judicium eorum duplex erit; unum ut dispiciant, an causa in jus adducta talis sit, quæ ad forum Capituli pertineat: In quo si rem esse dubiam fuerit judicatum, ulterius non progrediantur, sed hoc judicium suum statim referant ad plenum Capitulum, ut quod facto opus sit, ipsum consideret, ac statuat. Alterum, ut cum constiterit, rem eos posse judicare, tum deliberent, ac sententiam dicant. Non prius tamen sententiam dicant, quam bene consideratis ultro citroque adductis rationibus, & quidem scripto, non voce expositis, ne qua temporis jactura fiat. Facta quoque partibus vicisim sibi ad rationes, sive argumenta respondendi potestate, quod semel, ac iterum tantum permitti poterit, caveant, ne declamando id fiat, sed de scripto recitando.

24. Etsi in jure petentibus reddendo ea polleant authoritate, qua ipsum Capitulum; non prius tamen sua e Protocollo Decreta extradi permittant, quam coram toto Capitulo in ultima Sessione fuerint lecta & promulgata.

25. Locum exercendis judiciis suis aptum intra Monasterium Capitulare ipsorum erit deligere, sicut & tempus iisdem constituere. Curent tamen ita tempus Sessionum suarum ad Capitulares Sessiones accomodare, ut quominus ipsis tam partes, quam Judices interesse possint, obsit nihil.

§ V.

De his quæ postea agi debeant.

26. Electione Judicum absoluta, incipiant super rebus ad Monasticam observantiam, augmentum spiritus, & Congregationis incrementum pertinentibus deliberationes.

27. n

27. In quibus videatur imprimis, num aliquid sit, quod alicubi in grave Congregationis nostræ vergat damnum, quodque singulari industria avertendum vel curandum sit? tandem an Decreta, & Constitutiones Congregationis nostræ exequutioni mandentur? Quomodo in spiritu, & virtutibus juxta Regulam progressus fiat? Num aliqui alicubi occurrant abusus tollendi?

28. Interrogentur demum Provinciales, num aliquid in Capitulis suis Provincialibus commissum sibi habeant, quod vel declarandum, vel resolvendum, vel refigendum, aut denique opportune inposterum constituendum pro majori Congregationis bono, sive spirituali profectu videretur? atque alia id genus perpendantur: Perpensis autem, condantur Decreta, & Constitutiones necessariæ, dummodo congruant cum Sanctionibus Ecclesiasticis, nec Legibus Patriis adversentur.

29. Antequam vero hujusmodi Decreta ferantur, sententiæ Patrum omnium congregatorum explorentur, adeo, ut vim Constitutionis id solum obtineat, quod suffragiis medietate pluribus fuerit comprobatum.

30. Porro hæc suffragia secreto ferri debent; Quod & generaliter observandum est, ut, quæcunque in Capitulis Generalibus enascentur quæstiones, semper per secreta definiantur suffragia.

31. Suffragia isthæc scripto, aut per calculos in urnam conjectos, ferantur, deliberationes tamen scribendo, & dicendo expediri possunt. Quodsi dicendo habendæ fuerint, hic servetur in dicendo ordo: Post Proto-Archimandritam scilicet, vel ejus vices gerentem loquatur Superior ex.Generalis, tandem primus ex Abbatibus, tum primus ex constituentibus Consultoria, exin secundus ex Abbatibus, post eum alter ex constituentibus Consultoria, & sic alternatim juxta gradum quisque suum ad finem usque, quem deliberationi imponere ad Præsidem Metropolitanum pertinebit.

32. Præterea Deliberatores adnitantur, ut sententias suas candide, libere, servato decore, & modestia, paucis, & prudenter aperiant: ut dicentes non interpellent, ut primum dicta non repetant cum tædio aliorum, neve quid, quod ad rem non facit, intermisceant.

33. Deliberatione ad calcem perducta, si quid constituendum esset, quod alicui Provinciæ, vel cum Legibus, aut moribus Ditionis suæ, vel cum statu ipsius Provinciæ pugnare videretur, licebit eidem adductis rationibus se excipere, cui exceptioni Capitulum Generale interea deferre, aut saltem exequutionem Legis in ea suspendere non abnuat, donec verificatis in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ rationibus constiterit, Legem in ea locum habere posse.

§ VI.

Quomodo ante Electionem procedendum.

34. Quoniam Generale Capitulum spatio duarum duntaxat hebdomadarum conclusum esse debeat, hinc Patres Congregati dabunt operam, ut deliberationes suas mature expediant, ac commodum electionibus peragendis locum relinquant.

35. Imprimis autem deliberationibus absolutis indicatur dies, quo Proto-Archimandritæ instituenda sit Electio. Quo tempore Electores Patrem Luminum suppliciter exorent, ut in re tanti momenti, suo ipsis sit præsens auxilio, & secum ipsi reputent, quem ejusmodi muneri, aliisque Generalibus officiis præfecturi sint, suo tamen diffisi judicio, capiant informationem etiam ab aliis de dotibus eorum, qui rem gravem, ac insignem Religionis Magistratum sint administraturi.

36. Porro informationibus capiendis integer próxime Electionem præcedens indulgeatur dies. Capturi autem informationem, meminerint modestiæ, prudentiæ, & charitatis Religiosæ; Quare de iis solis Personis quærant, quæ ipsis plane notæ non sunt, & ab iis, qui suffragium ferre debent, easque bene norunt; Tum denique circa ea tantum, quæ ad rem præsentem conferunt, videlicet: Num praxi notitiaque rerum Congregationis Nostræ sit instructus? Num in Congregationem suam conservandam, ejusque bonum, ac præsertim spiritum promovendum studio singulari feratur? Quomodo diligat Ritum suum? Num ab inordinatis animi passionibus sit liber, & in agendis negotiis solers, ac strenuus? An prudentia polleat, quæ Viros decet summam Religionis administraturos? Qua præditus sit doctrina, ac præsertim rerum spiritualium cognitione? Qua morum honestate? Et cætera, quæ par est habere eos, qui occasione sui muneris magna agere, & cum hominibus varii status, ac conditionis versari tenentur.

37. In istis informationibus, si quid forte acceperint, quod ex justitia & charitate secreto teneri debet, id cum aliis, præterquam consilii gratia & suppresso nomine informandis cum Electoribus, non communicent, idque in virtute Sanctæ obedientiæ, siquidem res fuerit gravioris momenti.

38. In informationibus, quæ mutuo dabuntur, vel accipientur, nullus se eligi directe, aut indirecte, per se, vel per alium suadeat ac procuret: si quis autem secus agere deprehensus fuerit, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna soli Præsidi reservata præcipimus, ut via secretissima indicetur Præsidi Capituli.

39. Præses accepto criminis indicio indicem examinabit, num non odio, inimicitia, vel alio pravo animi affectu motús rem denuntiet. Stringet eum tandem ad dicendum juramentum super eo, quod verum deferat, nec calumniari velit, sed Præcepto solum morem gerere; Præcipietque testes ejus rei proferri, quos ejusdem conscios noverit.

40. Vocabuntur subinde testes, & a Præside singuli separatim examinabuntur

tur, præmiſſo jure jurando de re nemini, præter Præſidem revelanda, de veritate dicenda, deque iis omnibus indicandis, quæ ad rem spectare intellexerint.

41. Teſtium abſoluto examine, ſi de crimine delato satis Præſidi conſtare videretur, accerſetur ipſe in crimen vocatus, & interrogabitur, num paratus ſit in foro Paterno se reum criminis admiſſi confiteri.

42. Si scelus agnoverit; monebitur, ut det quantum maximam poteſt operam, quo suffragia favore sui nefarie subnata ad alium idoneum traducantur.

43. Quodſi intra scrutationem suffragiorum oſtenderent se vota pro accuſato, Præſes legenda tantum curabit vota collata in alios, data vero pro accuſato reticebit, ac Patribus commendabit, ut ad novam procedant electionem, ſiquidem prior nulla ſit, utpote incompleta.

44. Alias quoque suffragationes toties irritas declarabit, quoties comparuerint vota accuſato suffragantia.

45. Quodſi accuſatus se ambitus crimine adſtrinxiſſe præciſe negaret, tempus aliquod indulgendum ei erit, ut rem secum reputet, & videat, quo in periculo ſit. Si vero etiam ita volet pertinaciter adverſus juramento obfirmata tendere teſtimonia, forum Paternum commutandum erit judiciali, & reus actus exæquo judicandus.

§ VII.

De Electione Proto-Archimandritæ.

46. Die Electioni Proto Archimandritæ deſignata, poſtquam Electores præmiſſa Exhomologeſi, & Liturgia, aut sumpta S. Communione ad ſignum Campanæ in locum Capitulo celebrando deſtinatum convenerint, facta de more Spiritus S. invocatione, atque impertita a Præſide ad effectum Canonicæ Electionis tantum abſolutione, suo ſinguli ordine conſideant.

47. Facto conſeſſu, Proto-Archimandrita suo se Magiſtratu abdicabit, eumque in manibus Capituli reponet alteri, juxta Leges tradendum.

48. Tandem scrutatores procedent in medium, suumque jusjurandum dicent in verba formulæ muneri præſcriptæ suo. Sunto autem præter Præſidem Sex scrutatores, scilicet duo Abbates vocatione majores, unus nimirum ex Provincia de Præfectura decedentis Proto-Archimandritæ, alter ex mox eligendi Provincia, & totidem Provinciales, ac Conſultores Generales ex iisdem aſſumpti Provinciis.

49. Poſt juramentum Scrutatorum unusquisque Elector accipiat schedam nudam, in qua ante Dei obtutum conſtitutus, & re coram Deo conſiderata deſcribat eum, quem suo judicio, maturaque conſideratione idoneum eſſe intellexit, qui supremum in Ordine officium suſtineret.

50. Tem-

50. Tempore sufficienti interjecto, de sellis se movebunt Consultores Generales, qui Scrutatorum munere functuri sunt, & simul eodemque tempore unus a dextris, ubi Abbates, alter a sinistris, ubi Consultores considebunt, suffragia colligent.

51. Porro unusquisque Elector iaciens in urnam, suffragium suum jurabit in hunc modum: = = =

„ Ego N. N. advoco in testimonium DEUM in Trinitate unum me eum eligere „ in Proto-Archimandritam, quem non precibus, neque promissis, non muneribus, aut minis quibuscunque inductus, sed unice spectata Ecclesiæ Dei, & „ Congregationis Nostræ utilitate in conscientia magis idoneum judico.

52. Collectis schedis omnibus Scrutatores cum Præside accedent ad Altare, ibique cum iisdem Consultoribus primum schedas miscebunt, tum videbunt, num numero Electorum coæquentur; denique, in quem suffragia sint collata, scrutabuntur.

53. Comperto majorem imedietate eligentium partem in unum consensisse; scrutinium & electio, ut Canonice facta, a Præside promulgabitur.

54. Porro, si primo facto scrutinio electus non fuerit, statim fiat secundum, Et, si neque in secundo, statim fiat tertium; Si vero neque in tertio scrutinio, tunc immediate procedatur ad quartum: In quo tamen vocem passivam illi duo tantum habere possunt, qui in præcedenti tertio scrutinio plura præ cæteris vota habuerunt, ita, ut eorum alteruter necessario eligi debeat, in casu autem paritatis votorum, quæ forte contingat in hoc quarto scrutinio, Metropolitanus, vel qui Ejus nomine Capitulo præsidet, votum suum alterutri, quem in Domino magis idoneum judicaverit, adjciet, & is pro legitimo, ac Canonice electo ab omnibus habeatur.

55. Post quodlibet scrutinium suffragiorum, in quot, & quas Personas directa fuerunt, publicatio fiat, eaque facta protinus schedæ igni comburendæ tradantur.

56. Peracta legitime electione, & publicata, novus Proto-Archimandrita ad Altare majus accedat, & tactis de more Sacrosanctis Evangeliis, juramentum in manibus Præsidis ad præscriptum Formulæ præstet. Sumat deinde insignia suæ dignitati consentanea, annulum videlicet, Crucem, Mandiam, Mitram, & pedum Pastorale, tum ad locum sibi præparatum conscedat, excepturus Obedientiam, quam tam Abbates, quam alii Vocales singuli genuflex circa osculum dexteræ manus Ei exhibere tenebuntur.

57. His peractis Præses intonabit. *Te Deum laudamus* quod omnes usque ad. *Salvum fac*. cantu prosequantur; ubi autem ad eum Hymni locum ven-

tum

tum fuerit, electus Proto-Archimandrita accepta Pixide, in qua Venerabile asservatur, ter pro more conversus ad Patres concinat Ipse dictum versum, atque cum ejus tertio cantu, impertiatur benedictionem, qua facta reliquum hymni absolvatur & Sessio ad diem posterum prorogetur.

58. Facta porro legitima promulgatione Proto-Archimandritæ electioni omnes acquiescere teneantur, nec ulli sub pæna excommunicationis latæ sententiæ Sæ Sedi reservata, liceat suffragium suum revocare, novam electionem tentare, aut contra factam, quacunque ratione reclamare.

59. Porro Proto-Archimandrita eligendus est servatis stricte inter Provincias vicibus, ita, ut post istud octennium, quo turnus cadit in Polonam Provinciam, in aliud octennium delegatur Proto-Archimandrita ex Provincia albæ Russiæ, tanquam parte Lithvanæ Provinciæ: tum ex Galiciana uti parte Polonæ Provinciæ: Tandem ex Provincia Lithvana. Quo denique circulo isto circumacto, redeat turnus ad Polonam Provinciam.

60. Eligi nunquam debet in Proto-Archimandritam Episcopus, sed simplex duntaxat Monachus, aut Abbas, dummodo Professi sint, ætate, regulari disciplina, moribusque graves.

61. Potest tamen eligi quisque absens, dummodo is Professus ejus Provinciæ sit, cujus vices sunt, & nihil obsit, quominus eligi possit.

62. Absens in Proto-Archimandritam electus, si per tempus licet, & commode fieri potest, invitandus est ad Capitulum, ut ante oculos Patrum omnium juris jurandi religione se suamque fidem obstringat: sin minus, pertinebit ad Capitulum designare quempiam, qui ejus juramentum excipiat. Interim vero primus Congregationis Consultor obibit Proto-Archimandritæ vices, donec Electus absens muneris sui exercitium per juramentum adierit.

63. Etiam absente in Proto-Archimandritam Electo, Hymnus Ambrosianus decantabitur, clauso tamen Sacro Tabernaculo; Cum salutationi, quæ fit a Præsente intra Hymnum cum venerandis Christi Mysteriis, locus in hoc casu non sit.

64. Licet in hunc usque diem Turnus Officii Proto-Archimandritalis maneat spatio Octennii definitus, si tamen rebus Congregationis expedientius demum visum fuerit, Eum protendere in duodennium, licebit futuro Generali Capitulo id statuere, dummodo cautum sit, ne postea producatur, aut contrahatur, priusquam omnes in orbem Provincias æquali temporis spatio circumierit.

§ VIII.

De electione Officialium Generalium, scilicet Consultorum

& Procuratoris Generalis.

65. Electio ejusmodi Officialium fiat pariter per secreta suffragia majoris partis medietate eligentium.

66. Quæ de suffragatione, suffragiorum collectione, & scrutatione, nec non scrutationum publicatione superiore Paragr: 7. in Electione Proto-Archimandritæ dicta sunt, hic etiam locum habent omnia, excepto, quod nulla Electores Lege jurandi in electiones suas adstricti hic sint.

67. Porro eligi primum debent Consultores singuli, singulis scrutiniis, Quatuor autem esse debent pro numero Provinciarum, idque pro insequente Octennio Primus ex Polona Provincia tamquam Comprovincialis Proto-Archimandritæ: Secundus ex Provincia Albæ Russiæ, Tertius ex Provincia Galiciæ, Quartus denique ex Lithvana Provincia: Qui Ordo deinceps constanter immutabitur secundum vices Officii Proto-Archimandritalis, ita, ut Comprovincialis Proto-Archimandritæ Consultor semper futurus sit primus, ille autem secundus, qui ex Provincia in sequentem Turnum datura Proto-Archimandritam assumetur: Tertius ex illa, in quem Tertius cadit Turnus: Quartus autem, qui designabitur ex Provincia recens suo munere defuncti Proto-Archimandritæ.

68. Procurator Generalis eadem ratione deligetur, qua Proto-Archimandrita, scilicet servatis suis inter Provincias vicibus, ita, ut post lapsum hujus Octennii, quod Procuratorem habebit ex Lithvana Provincia, deligendus sit ex Provincia Galiciæ, tandem ex Provincia Albæ Russiæ, denique ex Polona Provincia.

69. Hi singuli scilicet tam Consultores, quam Procurator Generalis post sui electionem juramentum ad præscriptum formularum comparate suarum in manibus Præsidis emittent.

§ IX.

De iis, quæ post Electionem tractantur.

70. Peractis Electionibus Officialium Congregationis designetur a Præside dies, quo in subsidium animarum Patrum & Fratrum Congregationis nostræ, vita Defunctorum, funebre fieri debeat Sacrum, cum solemni Pannychide ab omnibus Patribus Capitulariter decantanda, qui dabunt operam, ut privatis quoque orationibus, ac Sacrificiis illo die suam in pios eosdem manes charitatem faciant probatam.

71. Interim vero pertinebit ad Capitulum Generale videre quid sit respondendum Litteris ad se scriptis, tum Insignes Congregationis nostræ Benefactores ad merita, & suffragia Congregationis admittere: Novas fundationes a Capitulis Provincialibus admissas rati habere: Rationem visitationum a Provincialibus, ut & accepti ac expensi ex raudo, si opus fuerit, exigere: Decreta

Judicum

Judicum Capitularium promulgare, & cætera, quæ occurrerint minoris momenti expedire.

72. Omnibus vero ad calcem perductis legentur a Notario Capituli Acta ejusedm Capituli, atque manibus Præsidis, Proto-Archimandritæ, ex-Proto-Archimandritæ, duorum Abbatum scrutatorum, & officialium, tum Congregationis: tum Provinciarum, nec non Notarii Capituli subscribentur; tum habebitur brevis a Præside sermo tempori congruus; quo completo gratiæ agentur Deo per Ambrosianum Hymnum, & cum isto cantu finis Capitulo imponetur.

73. Caveant autem Patres, ne prius a loco discedant Capituli Generalis, quam absolutis etiam Provincialibus Capitulis rite dimissi fuerint.

Formula Capituli Provincialis.

§ I.
Quando, & a quo cogendum est?

1. Capitulum Provinciale bis sub unoque Proto-Archimandrita celebretur: semel trimestri ante Capitulum Generale ad eligendos Provinciales, Provinciarum Administros, mittendosque cum jure suffragii ad Capitulum Generale Vocales: Atque iterum quarto a Generalibus Congregationis Comitiis Anno elabente.

2. Jus Capitula Provincialia indicendi Proto-Archimandrita habet. Curandum autem est, ut ad unum eundemque in omnibus Provinciis indicentur diem, nisi alicubi pestis, bellum, aliave gravis ratio illud differendum in aliud tempus suaderet.

3. Ad eundem spectabit Proto-Archimandritam locum Capitulis Provincialibus celebrandis aptum, auditis Provincialibus designare, suas vero tam mature edere Encyclicas, ut singuli per easdem, vocati se commode ad locum & diem, quo celebrandum erit, conferre possint.

§ II.
Qui præsidere, & interesse debeant.

4. Jus Capitulo Provinciali præsidendi obtinet Proto-Archimandrita. Sed quoniam eodem tempore omnibus interesse per se ipsum non potest Capitulis, eapropter ibi per se præsidebit, ubi res, rationesque loci sic ferent, vel prudentia postulabit, reliquis vero præerit per Delegatos.

5. Præsidum delegandorum delectum instituet cum suo Consultorio, ita tamen, ut deligi non possit alius, nisi vel Ex Proto-Archimandrita, vel Abbas, vel Consultor Generalis, vel Ex-Provincialis, aut Vir in Ordinem benemeritus, probitate, prudentia, & doctrina conspicuus.

6. Obser-

6. Observandum illud quoque erit, ut Præsides Capitulorum Provincialium delegati sint extranei, hoc est non ex iis assumpti Provinciis, quarum Capitula directuri sunt, sed ex diversis.

7. Quodsi forte evenisset, ut Præses a Proto-Archimandrita delegatus ad diem constitutum non veniret, expectandum erit uno alterove die; Si autem ne ita expectatus se ostenderit, Patres ad electionem per secreta suffragia faciendam procedent, ac Præsidente Provinciali, creabunt ex sua Provincia sibi Præsidem ab Ipso Provinciali diversum, qui ad tractanda Capituli gubernacula concursu suffragiorum medietate plurium, magis idoneus judicabitur.

8. Capitulo Provinciali præter Præsidem, Provincialem, Abbates, ac Officiales Provinciæ, intererunt cum jure suffragii omnes ii, quibus jus interessendi annexum est.

9. Quoniam vero officiales Provinciæ vi muneris sui Vocales præfici regendis Monasteriis aliunde vocalibus solent, idcirco ne Vocalium legitimus in Capitulo desideretur numerus, Ex-officiales sive Ordinis, sive Provinciæ, habita ratione officiorum, quæ gesserunt, & antiquitatis re ipsa in locum Superiorum Vocalium officia Provinciæ exequentium substitui debent. Quodsi ipsi Ex-officiales Vocalibus præessent Monasteriis, vel adesse Capitulo recusarent, Officialium localem vocalitatem in Capitulo supplebunt, vel Benemeriti de Provincia Patres, vel Ex-Professores Theologiæ, qui per Quadriennium saltem prælegendæ Theologiæ cum laude incubuerunt.

10. Cavetur quoque ne in locum eorum, qui legalitate impediti Capitulo interesse nequeunt, alii substituantur, præterquàm Viri graves, & rerum periti, uti sunt Ex-officiales, Ex-Superiores, Ex-Professores, aliique similes, dummodo ob delictum, his muneribus privati non fuerint.

11. Porro Substitutiones hujusmodi facere pertinebit ad Provincialem, ejusque Consultores, ita tamen, ut de substitutionibus, quæ extra Capitulum fieri solent, Proto-Archimandrita certior reddi semper debeat.

§ III.

De rebus agendis postquam convenerint.

12. Die ad conveniendum præfixo post Sacrum solemne de Spiritu S. decantatum, fiat Patrum consessus, in quo statim ad ea, quæ quasi in vestibulo, ac prolimine tractari consueverunt, hoc est ad electionem Notarii Capitularis, qui unus & juratus: Atriensium, qui duo: Confessariorum, qui quatuor: & Judicum Capitularium, qui tres numero, juratique esse debeant, procedatur.

13. Postea incipiat Capitulum deliberare de rebus, quæ vel domesticum Provinciæ ordinem, vel bonum ejus, vel denique regularem concernunt disciplinam.

14. Ac

14. Ac imprimis inquirat, quemadmodum se habeat totius Provinciæ disciplina, quid de ea sciatur, quid audiatur, quid ipsemet Provincialis in Monasteriis observaverit? An vigeat ubique Constitutionum tam generalium, quam particularium observatio? an notetur alicubi frequens earum transgressio, vel neglectus?

15. Videat deinde, num aliquid sit, quod alicubi in grave Provinciæ vergat damnum, ac qua averti vel curari possit ratione?

16. Raudum illud, quod, ut utiliorem Ecclesiæ, Patriæ, & Religioni faciat provinciam, in missiones juvenum ad Gymnasia Exotica pro addiscendis Linguis, aliisque comparandis disciplinis contribuunt pro modulo suo Monasteria, item quot dependunt in itinerarias Provincialis impensas, in stipendia Officialium, & Procuratorum, inque alios sumptus Provinciæ communes: Raudum illud, inquam, videat, quemadmodum se habeat; Hic conferat rationes inter Provincialem, & Depositarium Raudi statis temporibus initas, ut constet tam de summa accepti, & expensi, quam de eo quod residuum fuerit, vel etiam, si quid debiti maneat.

17. Raudi quoque subsidionalis perspectas habeat sibi Capitulum rationes: Si quod tamen ope Provinciæ peculiari indigere adverterit Monasterium, nec ex raudo hujusmodi subveniri posse intellexerit, non sinet in Provincia desiderari illam charitatem, quam, proposito membrorum corporis exemplo, ut invicem sibi etiam Monasteria contestentur, magnopere optat S. Pater Noster, dummodo ipsum Capitulum statuat, quid in eo casu, & qua proportione a singulis Monasteriis præstari debeat. Quod faciet etiam, si quando contribuendum erit in sumptus Provinciæ communes.

18. Si quas novas offerri contigerit Fundationes, intelligat, quid ad commune bonum, utilitatemque publicam ex eis speretur, an præditæ dote congrua, & alendis minimum Octo Monachis sufficientes? An locus sit salubris? quæ conditiones exigantur? aliaque huc pertinentia expendat, ut eas vel admittat, vel rejiciat.

19. Si aliqua Eleemosyna offerretur Monasterio cum onere perpetuorum Sacrorum, statuet Capitulum, quot habita, & Summæ quæ offertur, & loci cui offertur, ratione, Missæ perpetuæ admittendæ sint: Et si designandum erit Officium Provinciale, ut cum Largitore Eleemosynæ rem hujusmodi transigat, mandare officio non omittat, ut curet, quo ab eodem Benefactore fiat Monasterio expressa potestas, numerum Missarum inposterum servata proportione minuendi, si censum a summa diminui, ita volente Lege Patria, postea contigisset.

20. Videat, an nova aliqua introducenda sit in Provinciam consuetudo, aut vetus quæpiam abroganda: Quod non faciat, nisi ex gravissimis causis, &, ut loquitur S. Pater Noster, ad fidei ædificationem.

21. Cogitet de bonarum artium, ac Litterarum promovendo incremento: Et quoniam pro Regionum, temporum ac Personarum varietate in Ordine, & statutis horis studio tribuendis, in repetitionum, disputationum, aliarumque exercitationum ratione, in ipsis quoque vacationibus varii esse possunt mores, Capitulum Provinciale, si quid in sua Provincia magis expedire ad majorem in Litteris profectum intellexerit, committat Provinciali, ut ea demum, consulto officio suo, eorumque capto consilio, quos bene de re judicare posse intellexerit, statuat, quæ ad omnia particularia descendant, dummodo quam maxime ad communem studiorum nostrorum rationem accedant.

22. Sciat Capitulum Provinciale ad se etiam pertinere Monasteria, in quibus studia aperienda, vel locanda sint, designare; Duobus Novitiatibus totidem loca in sua Provincia deligere; Numerum alendorum in singulis Monasteriis Monachorum definire, ordinem, quo, pro locorum varietate, & necessitate Sacra fieri, aut aliæ piæ devotiones persolvi debeant, præscribere, rationem commodorum hyemalium comparate ad suas Provincias pro Monachis præfinire, qua ratione de loco ad locum mittendi sint, statuere, deque istis omnibus sigillatim ubi opus fuerit, deliberare debere, ac decretum, sive ordinationem ferre.

23. Quid quid ordinaverit, & decreverit, commendabit Provinciali, ut id Monasteriis, ac Superioribus manifestari, & ubique in Libro ad id designato describi faciat, quo facilius memoria teneri, & executioni mandari possit.

24. Etsi ad quodvis Capitulum Provinciale vocati Abbates, & simplices Superiores Monasteriorum, antequam iter suum surripiant, domi cum suis Consultoribus, adhibitisque aliis Patribus, quos bene de rebus Religionis judicare existimaverint, deliberationem facere teneantur, an aliquid sit, quod ad Capitulum Provinciale deferri debeat, id tamen præstabunt quam diligentissime ante Capitula, quæ præcedunt proxime Generale Capitulum, ut scilicet res in Capitulis Provincialibus suis momentis diligenter expensæ, tandem ubi opus fuerit, Generali Capitulo exponi possint, quo vel Lege caveantur, vel apertius declarentur, vel immutentur, aut temperentur.

§ IV.

De Electionibus.

25. Quæ de observandis ante Electionem, sive informationibus capiendis superius dicta sunt, hic pariter, servata proportione locum omnia habeant.

26. Die faciendis Electionibus constituto, postquam Missa solemnis, Exomologesis, Sacra Synaxis, aliaque quæ electionibus de more præmitti solent, fuerint præmissa, imprimis procedatur ad electionem Provincialis, quæ ad plura medietate secreta, ac jurata suffragia, fiat, ad eum modum, qui in formula Capituli

pituli Generalis pro electione Proto-Archimandritæ præscribitur.

27. Excipe numerum Scrutatorum, qui in electionibus Officialium Provinciæ dimidio est minor, componiturque ex Præside Abbate antiquiori uno, Proto-Consultore, & Secretario Provinciæ.

28. Provinciali electo, publicato, jurato, & recognito, fit gradus ad electionem officialium Provinciæ, scilicet trium Consultorum, ac unius Secretarii. Qui pariter eligi debent ad plura medietate secreta suffragia, non omnino tamen jurata.

29. Singuli singulis eligantur scrutiniis, quæ si ter in cujuspiam electione irrita & vana evaserint, ad eum terminanda erit modum electio, quem in eo casu teneri debere diximus in formula Capituli Generalis.

30. In Capitulo Provinciali, quod proxime Generale antecedit, electis officialibus Provinciæ procedatur ad electionem Vocalium cum jure suffragii ad Capitulum Generale ex Provincia mittendorum. Qui vero eligi debeant in formula Capituli Generalis Paragraf: 11. Num: 7. dictum est.

31. Tametsi ii tantum, qui in Capitulum jus ingrediendi habent, suffragium activum ferre possint, passivo tamen, etiam hic gaudent absentes, assumique possunt ad officia Provinciæ, dummodo nullum Canonicum ipsis obsit impedimentum: Pertinebit autem ad Capitulum Provinciale, designare unum aliquem, coram quo absens electus, si commode vocari ad Capitulum, & venire non poterit, suum emittat juramentum

32. Cavendum vero est, ne ad Officia Provinciæ assumantur, qui docendo, prædicando, Missiones exercendo vel alia quapiam ex voluntate Superiorum ratione, laudabiliter, & cum fructu laborando, nondum post exactum studiorum cursum sexennium meritorum compleverunt. In computatione tamen hujus sexennii non est non habenda ratio eorum laborum, qui intra studiorum curriculum in tradenda doctrina Christiana, aut in docendis inferioribus studiorum classibus, cum laude, & sine dedecore ullo insumpti fuere, adeo, ut in hujusmodi Monachis facto post studia sexennii complemento sufficiens non modo ad officia Provinciæ, sed etiam ad Superioratus, & Congregationis munera habilitas reputetur.

§ V.

De agendis post Electionem.

33. Peractis Officialium electionibus ad alias designationes, sive electiones veniendum est. Ac imprimis designetur Fiscalis Provinciæ, tandem sex eligantur Judices a Proto-Archimandrita confirmandi, qui incorrigibiles suæ Provinciæ una cum Provinciali ejicere possint, accedente ejusdem Proto-Archimandritæ approbatione. Tum designentur Viciniarum Seniores de quibus agitur in Regula Superiorum

XXXIII.

XXXIII. & Conſtitutione III. Tit: de obedientia. Exinde declarentur, qui ingredi debeant in Monaſteriis Novitiatuum Capitula eorum domeſtica cum jure ſuffragii deciſivi. Denique ſi numero Patrum Benemeritorum supplementis integrando locus eſt, decernantur, qui in iſtum numerum adſcribendi ſint,

34. Poſtea videatur quid reſpondendum ſit Litteris ad Capitulum directis, ac, ſi qui fuerint Patroni ita bene de Provincia meriti, aut ita futuri benevoli, ut communicatio cum ipſis bonorum ſpiritualium Provinciæ loco juſtæ gratiæ referendæ, debita eis videretur, expendatur, an cum ſuffragiis & quibuſcum, ac quotis elargienda ſit.

35. Omnibus his completis Acta Capituli publice legantur, nec non a Præſide Abbate ſcrutatore Provinciali, & electis officialibus Provinciæ, atque Notario Capituli ſubſcribantur.

36. Si Capitulum vero fuerit, etiam mittendorum ad Capitulum Generale electivum, iidem subscribent Actum quoque harum electionum ſeparatim deſcriptum Capitulo Generali exhibendum ad fidem iisdem faciendam.

37. Demum præmiſſa ad Patres Congregatos a Præſide brevi Paræneſi, gratiæ Deo per Ambroſianum Hymnum perſolvantur, ac cum cantu ipſius Capitulum diſſolvatur.

38. Caveant autem Patres, ne prius a loco diſcedant Capituli, quam Capitulum rite dimiſſum fuerit, neve Capitulum ultra duas hebdomadas protrahi ſinant.

Formula Canonicæ Viſitationis.

1. Finis Canonicæ Viſitationis Legibus Eccleſiaſticis introductæ, eſt, diſciplinam regularem, aut collapſam reſtituere, aut vigentem firmare, & ſtabilire.

2. Hoc igitur fine cum ad aliquod Monaſterium venerit Provincialis, imprimis Superiorem interroget, an aliquid urgeat, in quo prima cura poni debeat. Tandem cogendum curabit cœtum Monaſterii, eumque ſermone brevi alloquetur ad finem, & propoſitum inſtitutæ Viſitationis accomodato.

3. Mox adibit Eccleſiam, qua occuluſa, accedet ad altare majus, ut videat, quomodo aſſerventur Sacro Sancta corporis Chriſti Miſteria: Tum viſitabit Olea Sacra, Reliquias Sanctorum, Altaria, & alia, quæ tam in Eccleſia, quam in Sacriſtia ad cultum Dei pertinent.

4. Poſtea Perſonarum Viſitationem aggredietur, relinquens interea diligentiæ sui Socii luſtrandam, secundum Inventaria, ſupellectilem omnem Eccleſiaſticam, ut conſtet, quæ rerum acceſſio, vel deceſſio facta ſit.

5. Percurret cum Superiore Catalogum Perſonarum, petetque ab eo brevem de ſingulis informationem, imo, ſi judicaverit expedire, jubere poterit, ut eas ſcripto breviter complexas ſibi tradat, quas, ſi ſecretum poſtulaverint, clauſas diligen-

diligenter servabit, nec minimo cuiquam prodet indicio Superiorem, ut nec alios, qui aliquid ad se retulerint.

6. Tandem vocabit sigillatim omnes eo ordine, qui ipsi magis expedire videbitur, quamvis ita usu comparatum sit, ut ab ultimo vocatione Monacho Personarum incipiat Visitatio.

7. Quid vero a quoque in scrutiniis pro prudentia & rerum necessariis adjunctis interrogari possit, vel debeat, sequentia docebunt quaesita.

A. Quomodo Divinum peragatur officium, eaque, quae ad cultum Divinum pertinent, num servato tempore, ordine, graviter, devote, & ad aedificationem fiant?

B. An Divinis Officiis omnes interesse soleant, statoque tempore diligenter conveniant, qui tenentur?

C. An Ritus Sacri, & ceremoniae ex Instituto nostro serventur, & devote obeantur?

D. An Sacrum saltem diebus Festis cantetur?

E. An perpetuis Missarum obligationibus in subsidium vita functorum Fundatorum & Benefactorum, aliisque pro tempore accidentibus exactè satisfiat?

F. An a nostris Sacramenta frequententur, habeaturque Confessarius idoneus, cui confiteantur?

G. Num orationi mentali singulis Diebus vacetur, & publicum examen conscientiae suo tempore fiat?

H. Num spiritualia exercitia ab omnibus, & singulis per octiduum, ad praescriptum Constitutionum nostrarum peracta sint?

I. Num Conciones statis temporibus habeantur & doctrina Christiana exponatur extraneis, praecipue vero domesticae rudiori familiae?

L. Num lampas coram Sanctissimo altaris Sacramento jugiter, in Ambitu autem Monasterii ardeat temporibus constitutis?

M. An Constitutiorum non notentur aliquae transgressiones, clausura num servetur, an aliqua observentur ambitionis, proprietatis, aut familiaritatis incautae & minus honestae indicia?

N. An mutua pax & charitas vigeat inter omnes? quis profectus ipsorum in spiritu? quae occupationes familiares?

O. Collationes casuum num fiant statis temporibus, & utrum soleant eis interesse Sacerdotes omnes?

P. An sint aliqui, qui obtentu infirmae valetudinis languescant spiritu, detrectentque labores, ac occupationes Monasticas aspirantes ad otium?

Q. An communem mensam adeant, communique victu contenti sint omnes?

R. An communis victus sit talis, qualem statuta, & ordinationes Capitulorum præscribunt?

S. An in Refectorio eluceat religiosus nitor, ac mundities: Jejúnia Ecclesiæ, & silentium, num servetur in eo: Sacra lectio ad mensam, an habeatur constanter?

T. Quomodo Archivium Monasterii custodiatur, & Bibliotheca, an per incuriam non sint aliqua detrimenta allata?

U. Res familiaris quomodò procedat, num diligenter curetur, an aliqua acciderit ejus gravis imminutio, & dispendium, & qua de causa?

X. An reditus, & eleemosynæ Monasterii recte in libros rationum referantur, expendanturque fideliter in utilitatem, & commoda Monasterii?

Y. Superior an impleat officium suum immorigeros, & regularum transgressores an corripiat, & pro merito culpæ, num eosdem in spiritu charitatis, & lenitatis puniat?

Z. Num Monachis provideat necessaria; cum infirmis vero quomodo se gerat, & num dentur infirmi? Quos, si qui fuerint, Visitator benigne inviset, interrogabitque, an in eos debita charitatis officia exerceantur, dabitque operam, ut ne minimum ex necessariis ipsis desit?

AA: Num hospites externi excipiantur honeste, servataque modestia: Erga Monachos vero hospites, uti & pauperes advenientes, quæ charitas, & cura exerceatur?

EE. Num quid habeat vocatus dubitationis, aut difficultatis in rebus ad spiritum pertinentibus: an acquiescat in vocatione sua? an placeat ipsi locus, regimen, & cohabitantium cœtus? Immunis ne sit a vexationibus aliorum, quæ charitatem læderent: utrum aliquid ex necessariis ad præscriptum Constitutionum tribui solitis non desideret?

II. *Ubi sunt Parochiæ.* Num Parochus non desit officio suo, & an curet, ut per lectionem rëddat se ad inserviendum animabus magis, ac magis idoneum?

OO. *Ubi Scholæ.* An ab omnibus Magistris circa exercitationes Scholasticas diligentia servetur?

UU. *Ubi Scholastici.* Quid unusquisque de suomet in Studiis profectu censeat: An studium non sit ipsi impedimento in rebus spiritus?

8. Det vero operam Visitator, ut quæ circa Personarum visitationem servanda in Regulis Officii sui XCV. XCVI. & XCVII. præscribuntur, diligenter adimpleat.

9. Omnium quos visitat, postremus sit Superior Monasterii, qui visitandus erit non modo circa ea, quæ ex scrutiniis collecta sunt, sed etiam comparate ad ea, quæ ad Personam, & officium ejus adtinent, juxta Regulas officii sui.

10. Visitatione Personarum completa visitabit omnia, quæ sunt domi, ac imprimis

primis Cellas Monachorum, in quibus si quæ deesse viderit necessaria, provideri: si aliqua vero pugnantia cum paupertate, aut superflua haberi adverterit, divendi, ac in libros, vel quid simile a statu Monastico non abhorrens, impendi jubebit.

11. Visitabit Monasterii clausuram, & ambitum, videbitque an portæ sint decentes, & bene munitæ: scalæ an commodæ, curritoria an a quisquiliis, & telis aranearum purgata.

12. Visitabit Bibliothecam, Refectorium, coquinam, officinas, granarium, videbitque an omnia sint bene suo loco, & ordine composita, an non squallida, non sordida omnia: an aliqua non desint necessaria: an Ministri iis in locis gerant se singuli, juxta Regulas officii.

13. Postea per se, vel per Socium lustrabit Libros missarum non solum accidentium, & quæ indies celebrandæ offeruntur, sed etiam perpetuarum, videatque in altero libro qualiter ipsis ab ultima visitatione satisfactum sit. Si adverterit autem majorem numerum, quam cui possit a Monasterio brevi satisfieri, exequatur Regulam LXXIX. officii sui, in quo velut in re magni momenti diligens, ac solicitus sit.

14. Vocabit ad calculum Libros rationum, in iisque examinandis tenebit rationem præscriptam in Regula officii sui LXIV.

15. Videbit acta Monasterii, & expendet, num diligenter a Scriptore eorum memoratu digni eventus consignentur.

16. Examinabit Catalogum Patrum Congregationis Defunctorum, videbitque in Monasteriis curam Parochialem gerentibus, num libri Metrices Baptizatorum, Matrimonio conjunctorum, & demortuorum Parochianorum, debita cura, studioque, & scribantur, & asserventur.

17. His omnibus peractis, totum Provincialis, quod vidit, audivitque, secum expendet, & quæ cum solo Superiore Monasterii, quæ etiam cum Consultoribus, & quæ cum aliis particularibus sint transigenda, diligenter discernet.

18. Si quid necessarium fuerit in paratis scriptis pro bono Monasterii ordinare, bene perpensis rebus, statuat, & ordinet. Caveat tamen, ne novas ordinationes absque necessitate multiplicet, aut tales condat, quæ legibus nostris & Constitutionibus difformes sint, aut facile exequutioni mandari nequeant. Porro quid quid fuerit ordinatum, serio exequutioni mandetur, duret vero tamdiu, quamdiu ipsi Visitatori Provinciali visum fuerit.

19. Ad extremum cogi jubebit conventum Monachorum, brevemque ad eum sermonem instituet, in quo laudabit, quod rectum, religiosum, & honestum reperit, reprehendet vero, quod fuerit nostris Constitutionibus difforme, ac discrepans. Nec parcet culpis publicis, sed publice redarguet, sontesque ipsos non

non ſinet mitti impunitos ; Pacem denique, mutuam charitatem, & ſtudium majoris perfectionis omnibus commendabit, ac ſic Viſitationi finem ponet.

20. Si quid jurisdictionis suæ fines excedere invenerit, proceſſum inſtituet, & ad Proto-Archimandritam scriptum remittat. In rebus autem gravioribus suæ jurisdictioni subjectis judicet, puniatque, non aliter, quam Codex Epitimicus noſter velit.

Formula Delegatæ Viſitationis.

1. Viſitator Delegatus, ſi in artificio peragendæ viſitationis verſatus non eſt, accepto Delegationis Inſtrumento, ea imprimis, quæ ad bonam Viſitationem non parum juvant, prævideat, hoc eſt legendo percurrat formulam Canonicæ Viſitationis, Regulas Provincialis de Viſitatione, tum Regulas officialium Monaſterii omnium, quarum exequutionem urgere debet.

2. Ad locum poſtquam pervenerit, coget ad ſignum campanulæ Cœtum Monaſterii, coram quo inſtrumentum Delegationis suæ legi faciet, ac eo perlecto, coram eodem cujuscunque ille officii ſit, jusjurandum dabit de fidelitate in commiſſis ſibi servanda, deque secreto scrutiniorum nemini aperiendo, niſi Provinciali ipſi, præter caſum, quo in avertendo, ſine mora, aliter prudentia dictaret.

3. Præmonebit Superiorem, ut in promptu habeat quæ luſtranda sunt, uti libri miſſarum, rationum, supellectilis Eccleſiaſticæ, & domeſticæ, & id genus ſimiles.

4. Conferet se tandem ad Eccleſiam viſitandam, deinde ad examen, & viſitationem Monachorum, itaque se circa omnia geret, ut supra, circa viſitationem Provincialis præſcriptum eſt.

5. Scribet Viſitationem suam juxta hujusmodi formulam, aut ſimillimam --- Viſitatio Canonica Monaſterii NN. per me NN. Commiſſarium Delegatum Anno NN. Diebus Menſis NN.

Coram Cœtu Monaſterii ad solitum ſignum Die N. Menſis N. coacto, Inſtrumentum Delegationis meæ patefeci, legique feci, quo perlecto, conceptis verbis ex Formula juravi me fidelem in Commiſſis exequendis futurum, & secretum scrutiniorum servaturum. Brevi tandem sermone cohortatus sum, ut rem Deo commendarent, quæ dicenda vero de jure eſſent, ex charitate, & solius amore regularis diſciplinæ, dicerent, non autem ex odio, aut prava quavis alia animi affectione.

Poſtea viſitavi Eccleſiam, tum quæ ad Divinum cultum tam in ipſa, quam in Sacriſtia pertinent, reperi &c. (Deſcribatur hic ſtatus, in quo reperta sunt prædicta)

Vocavi tandem ſigillatim omnes incipiendo ab ultimo (exprimatur iterum ejus Nomen, Cognomen, & officium) Qui interrogatus super A. B. C. &c. Re-ſpondit

ſpondit ad A. (scribatur totum quod reſpondit) ad B. reſpondit &c. ſic deinceps.

Vocatus fuit secundo Pater, vel Frater N. N. qui ad A. Reſpondit N.N. ad б. N.N. &c. (& ſic ſinguli interrogandi)

Poſtea viſitavi Monaſterium, Cellas Monachorum, Refectorium, Coquinam, aliasque officinas, quas reperi &c. (deſcribatur ſtatus, in quo omnia ſigillatim reperta sunt.)

Tandem luſtravi Archivium Monaſterii, quod reperi bene clavi obſeratum, apto in loco repoſitum, bene digeſtum, ac integrum iuxta indicem (vel contra, ſi aliquid aliter repertum eſt) adii Bibliothecam, & vidi eam mundam, & compoſitam, Libros omnes in plateis juxta suum ordinem repoſitos, prohibitos seorſim obſeratos (vel contra ſi aliter deprehenderit) Ab ultima viſitatione auctam intellexi sequentibus Libris (Recenſeantur Libri, qui acceſſerunt vel ſi nulli acceſſerint) Ab ultima viſitatione nihil impenſum fuiſſe in libros cognovi, hinc & acceſſio librorum, quæ juxta Conſtitutiones, facienda erat, nulla facta eſt.

Examinavi Miſſas tam fixas, quam accidentales: Et fixis quidem diligenter satisfieri perſpexi, accidentalibus non item, quia major earum habetur numerus, quamſi a Sacerdotibus hujus Monaſterii commode poſſit satisfieri; Reperi enim Miſſas manuales ab ultima viſitatione obveniſſe tot, (scribatur numerus) ab eodem tempore abſolutas tantum fuiſſe (scribatur numerus) reſtare celebrandas tot (scribatur numerus) vel contra totum scribatur, ſi aliter totum fuerit deprehenſum.)

Luſtravi libros Rationum, & inveni ab ultima Viſitatione in raudum illatos fuiſſe Florenos tot: (scribatur numerus) Expenſos vero ab eodem tempore tot: (scribatur summa) Profuturis autem expenſis remanſiſſe tot (scribatur summa) Luſtravi Acta Monaſterii, librum collationis Caſuum, Catalogum Defunctorum &c (scribatur quod obſervatum fuerit)

Examinavi Sacerdotes è ſtudio Caſuum, in quod bene incumbere cognovi Patres N. N. N. N. Patrem vero N: & N. in tellexi parum de eo laborare, ut ope lectionis majores faciant in Theologia Morali progreſſus.

Examinavi (Ubi Studia e. gr: Philoſophica) Philoſophos, ac reperi Fratrem N. N. & N. N. in iis quæ hoc Anno audiverunt, mediocritatem exceſſiſſe, Fratrem N. N. mediocriter profeciſſe, Fratrem vero N. N. nec mediocritatem attigiſſe.

Quibus completis Conventum totius Cœtus Monaſterii coegi, abuſus, quos deprehendi improbavi, Decretum reformationis (ſi illius condendi poteſtas a Provinciali facta ſit) in hanc sententiam tuli (hic inſeratur hocce de verbo ad verbum Decretum) Decreto perlecto, exactam omnium, quæ in illo ordinantur,

execu-

executionem injunxi.

Religiosos N. N. qui publice deliquerunt publice admonui, & punivi poenitentia in hunc modum publicata (scribatur, poenitentia). Patres vero N. N. vel Fratres N. N. qui publica non sunt visi correctione indigere, privatim paterne corripui.

Ad extremum, studium majoris perfectionis, pacem, & mutuam charitatem omnibus commendavi, atque hæc omnia delegata mihi anthoritate peregi.

Actum in Monasterio N. N. Anno Dni N. N. Diebus Mensis N. N. In cujus rei fidem me subscribo N. N.

6. Porro sciat Visitator Delegatus, ea se duntaxat agere posse, quæ in Instrumento aperte demandata sibi habet. Si itaque delicta graviora judicandi nullam habuerit potestatem, processum solum informativum conficiet, eumque ad Provincialem cum tota causa mittet.

Habita autem de gravioribus delictis cognoscendis judiciumque ferendi facultate, id non faciat, nisi crimine per viam denuntiationis ad se delato, & reo plene convicto.

Formula Installationis Superiorum.

1. Cum venerit Commissarius ad Monasterium, in cujus regimen Superiorem novum missurus est, convocato Cœtu Monasterii Commissionis suæ Instrumentum promulgandum curabit.

2. Aggredietur tandem ad res omnes cum mobiles, tum immobiles collustrandas, & cum indicibus suis conferendas. Interim autem a Novo Superiore elenchum expropriationis, quemadmodum ultimo Anno a Provinciali, vel Superiore, cui suberat, fuerit recognitus, & subscriptus, exposcet, ac simul cum eodem installando Superiore recolet, ut si quid ab ultima recognitione, auctum, aut imminutum fuit, sive in pecunia, sive in alia supellectili, constet, & nova utriusque subscriptione firmetur.

3. Postea vocabit ad calculum ab ultima Provincialis Visitatione libros rationum, & quod facta accepti & expensi computatione patuerit reliqui esse, ad novas raudi rationes reponet.

4. Sit autem solicitus, ut defungens munere Superior pensiones Monachis Vestiarias impersolutas non relinquat, stipendia merita famulis persolvat; debita, si quæ contracta fuerint, expediat, ac rem omnem Monasterii quam ordinatissime Successori tradat.

5. Curet etiam, ut idem decedens Superior confectum quadriennii sui tempore generalem Monasterii statum, unum Successori suo in loco asservandum, alterum sibi Commissario ad Archivium Provinciæ remittendum tradat, utrumque sub-

scriptum

scriptum tam nomine suo, quam illorum etiam duorum Monachorum, quorum erat in omnia introſpicere, & deſcribere.

6. Præterea det operam, ut idem Superior Succeſſorem suum faciat plene de omnibus certiorem, quæ ad loci gubernationem comparate pertinent, uti de probatis Monaſterii circa victum, amictum, cultumqe Divinum conſuetudinibus, de intentatis Monaſterio litibus; de cenſibus, eorumque percipiendorum tempore, atque ratione; de operibus cœptis, quæ perfici par ſit; de Benefactoribus, & Amicis, quorum benevolentia conſervanda eſt; deque id genus aliis.

7. Inventaria rerum reviſarum, ſicubi nulla, vel minus accurata fuerint, de integro conficiendo curabit, memoriam suæ Inſtallationis in ipſis, æque ac in libris rationum faciet, ac totum Inſtallationis suæ actum Provinciali demum mittet.

8. Tandem convocato Cœtu Monaſterii, brevi sermone commendabit reverentiam, & obedientiam erga novum Superiorem, Eum in Poſſeſſionem, ac regimen Monaſterii traditione clavium mittet, atque ſic finem omnibus imponet.

Formula Renovationis Votorum.

„ - „ Ego N. N. viliſſimus peccator in Sanctiſſima præſentia tuâ Deus Optime Maxime conſtitutus, humiles Tibi ago gratias, quod me sola dignatione miſericordiæ tuæ vocare ſis dignatus, ad Ordinem Religioſum sub Regula S. Patris Noſtri Baſilii Magni; In quo quemadmodum ſemel me totum Tibi conſecravi, & vovi caſtitatem, Paupertatem, & obedientiam sub regimine Proto-Archimandritæ Congregationis Noſtræ, item non ambire ullas dignitates tam Eccleſiaſticas, quam Monaſticas, palam, clam, nec per me, nec per alium; Ita hæc „ omnia vota libens in præſentia renovo, & inſtauro. Suſcipe te precor Mi- „ ſericos Deus hoc innovatum spiritus mei Sacrificium, & gratia tua opitulari „ mihi perge, ut, quæ Tibi promiſi, fideliter te adjuvante adimpleam. Adnitere „ Tu quoque precibus Tuis Magne Pater Baſilii, ut hæc mea in Ordine Tuo „ votorum renovatio ſit mihi ſtimulus ad perfectius juxta ſtatum meum Deo ser- „ viendum, & guſtum Paterno cordi Tuo faciendum. Amen.

Formula Juramenti Proto-Archimandritæ.

„ - „ - „ Ego N. N. Ordinis S. Baſilii Magni Congregationis Ruthenorum „ Profeſſus electus in Proto-Archimandritam juro Domino Deo Uni & Trino, „ me omnimodam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, & Jllmo, & Reverendiſſimo Domino „ N. N. Metropolitano secundum omnia jura, Conſtitutiones, & Decreta a Sacra „ Sede Apoſtolica lata, ac juxta Præſcripta in Litteris. Fel: Record: Benedicti „ XIV. Decretalibus, quarum initium - Inter plures - & - Super Familiam, - „ aliisque

„ aliisque, obedientiam præstititurum, perseveraturumque in Unione cum Sancta „ Romana Ecclesia: Principi meo Dominatori & Reipublicæ meæ invictam fi- „ dem servaturum: Congregationis Nostræ Provinciis per æque addictum & „ fidelem futurum: In disponendis, ac præmiandis Personis justitiam distri- „ butivam sequuturum: de iis quæ secreta esse oporteat, taciturum, nemini- „ que malitiose, & in fraudem boni communis unquam proditurum: ac mu- „ nus Proto-Archimandritæ, in quem Capitulariter electus sum, secundum Con- „ stitutiones Congregationis Nostræ, & regulas officii mei a Sede Apostolica „ approbatas expleturum, sic me Deus &c.

Formula Juramenti Consultorum Congregationis.

„ - „ Ego N. N. Provinciæ N. Professus electus in Consultorem Congregationis Nostræ juro Deo Omnipotenti, in Trinitate Uni, me omnimodam Sanctæ Sedi Apostolicæ & Reverendissimo Proto-Archimandritæ secundum omnia jura, Constitutiones ac Decreta ab Eadem S. Sede Apostolica lata, ac juxta Præscripta in Litteris Fel: Recor: Benedicti XIV. Decretalibus, quarum initium Inter plures - & - Super Familiam - obedientiam præstiturum; Officium Consultoris fideliter gesturum, neque a Consultationibus sine legitimo impedimento absfuturum, propositaque in Consultationibus negotia diligenter pro viribus tractaturum, & super iis, secundum Deum & conscientiam absque omni spe, metu, & respectu Personarum, mere pro bono communi sententiam meam daturum; justitiam distributivam pro viribus observaturum; secretum tractatorum in consultationibus negotiorum malitiose, & in fraudem boni communis nunquam proditurum; Congregationis nostræ Provinciis æqualiter addictum futurum, Provinciæ vero meæ N. N. ex qua assumptus sum, negotia fideliter ac studiose Reverendissimo Proto-Archimandritæ expositurum; Acta Congregationis, quæ Litteris a me mandanda erunt, integra fide scripturum, neminique quidquam ex iis in fraudem aut damnum Congregationis propalaturum. Sic me Deus &c.

Formula Juramenti Procuratoris Generalis in Urbe.

„ - „ Ego N. N. Congregationis Ruthenorum Professus ex Provincia N. electus Capitulariter in Procuratorem Generalem totius Congregationis Ruthenorum. juro Deo in Trinitate Uni in nulla negotia, quæ inter Provincias (quod absit) controversa essent, directe vel indirecte, palam vel occulte me implicaturum: Illa vero duntaxat omnia negotia, quæ a Reverendissimo Proto-Archimandrita, & Religiosissimo Consultorto Ordinis mihi ad promovendum committentur, fideliter, & quo ad ejus fieri poterit, exacte promoturum: Insuper etiam Archivium Ordinis in Residentia Romana reperibile, tam quod in exordio officii mei

mihi

mihi ab anteceſſore conſignabitur, quam quod per turnum Procuratoratus mei accreſcet, fideliter conſervaturum, ac ſucceſſuro mihi Procuratori Generali conſignaturum: Rem domeſticam Reſidentiæ noſtræ Romanæ, præſertim quoad fidelem connotationem accepti, & expenſi, nec non quoad inſtaurationem & conſervationem ædificiorum, ac utenſilium ejuſdem Reſidentiæ, ut potis fuero, curaturum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Provincialium.

Ego NN. Ordinis S. Baſilii Magni Profeſſus electus in Viſitatorem Provinciæ N. juro Domino Deo in Trinitate uni me omnimodam S. Sedi Apoſtolicæ, & Reverendiſſimo Proto-Archimandritæ Congregationis noſtræ ſecundum omnia jura, Conſtitutiones, ac Decreta ab eadem Sa. Sede Apoſtolica lata, ac juxta præſcripta in litteris Fel: Recor: Benedicti XIV. Decretalibus, quarum initium - Inter plures - & - Super Familiam - obedientiam præſtiturum perſeveraturumque in Unione cum S. Romana Eccleſia: Provinciæ autem meæ addictum fidelemque fore, bonum ac incrementum illius publicum privato meo bono prælaturum, illudque pro viribus curaturum: Examina quæque muneri meo adjuncta, quoties ipſe examinavero, fideliter, & exacte peracturum, ſcrutinia eadem fidelitate adnotaturum, & ſecretum eorundem, prout etiam tractatorum in conſultationibus negotiorum ſervaturum, nec malitioſe, & in fraudem boni communis unquam proditurum: Juſtitiam diſtributivam pro viribus obſervaturum: Atque munus Viſitatoris Provincialis juxta Conſtitutiones Ordinis noſtri, & Regulas officii mei a S. Sede Apoſtolica approbatas expleturum. Sic me Deus.

Formula Juramenti Primi Conſultoris Provinciæ.

Ego NN. Ordinis S. Baſilii Magni Profeſſus, electus in Primum Conſultorem Provinciæ N. juro Domino Deo in Trinitate uni me omnimodam S. Sedi Apoſtolicæ & Reverendiſſimo Proto-Archimandritæ Congregationis noſtræ ſecundum omnia jura, Conſtitutiones, & Decreta ab eadem S. Sede Apoſtolica lata, ac juxta Præſcripta in litteris Fel: Record: Benedicti XIV. Decretalibus, quarum initium eſt - Inter plures - & Super Familiam - obedientiam præſtiturum: munus Proto-Conſultoris fideliter geſturum, neque a conſultationibus ſine legitimo impedimento abfuturum: Propoſita in conſultatione negotia pro viribus ingenii conſideraturum, & de iis, ſecundum Deum, & conſcientiam, abſque omni metu, ſpe, & reſpectu Perſonarum pure ſtudio boni communis ſententiam dicturum: Juſtitiam diſtributivam quoad ejus fieri poterit, ſervaturum, atque ſecretum tractatorum in conſultationibus negotiorum malitioſe, & in fraudem boni communis nunquam proditurum: Et, ſi forte munus Proviſitatoris ad me devolutum fuerit, illud ſecundum Conſtitutiones noſtras communes, & Regulas peculiares Viſitatoris Provin-

cialis a Sede Apostolica approbatas administraturum, bonumque Provinciæ publicum, meo privato antepositurum. Sic me Deus &c.

Formula Juramenti Consultorum Provinciæ.

Ego NN. Ordinis S. Basilii Magni Professus electus in Consultorem Provinciæ N. juro Domino Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me omnimodam S. Sedi Apostolicæ & Reverendissimo Proto-Archimandritæ Congregationis nostræ secundum omnia jura, Constitutiones, & Decreta, ab eadem S. Sede Apostolica lata, ac juxta Præscripta in litteris Fel: Recor: Benedicti XIV. Decretalibus, quarum initium est - Inter plures - & - Super Familiam -, obedientiam præstiturum: munus Consultoris fideliter gesturum: neque a consultationibus sine legitimo impedimento absuturum: Proposita in consultatione negotia pro viribus ingenii consideraturum, & de iis secundum Deum, & conscientiam, absque omni metu, spe & respectu Personarum pure studio boni communis sententiam dicturum, Justitiam distributivam, quoad Ejus fieri poterit, servaturum, atque secretum tractatorum in consultationibus negotiorum malitiose & in fraudem boni communis nunquam proditurum. Sic me Deus &c.

Formula Juramenti Secretarii Provinciæ.

Ego NN. Ordinis S. Basilii Professus electus in Secretarium Provinciæ N. juro Domino Deo omnipotenti in Trinitate uni, me omnimodam S. Sedi Apostolicæ & Reverendissimo Proto-Archimandritæ Congregationis nostræ secundum omnia jura, Constitutiones, & Decreta ab Eadem S. Sede Apostolica lata, ac juxta Præscripta in litteris Fel: Recor: Benedicti XIV. Decretalibus, quarum initium est. - Inter plures - & - Super Familiam -, obedientiam præstiturum: munus Secretarii fideliter gesturum: neque a Consultationibus sine legitimo impedimento absuturum, Proposita in consultatione negotia pro viribus ingenii consideraturum, & de iis secundum Deum, & conscientiam absque omni metu, spe, & respectu Personarum, pure studio boni communis sententiam dicturum: justitiam distributivam quoad ejus fieri poterit servaturum, atque secretum tractatorum in consultationibu negotiorum malitiose & in fraudem boni communis nunquam proditurum: Acta Provinciæ fideliter scripturum, nullique in præjudicium boni Provinciæ ex iisdem actis quidquam propalaturum: Raudum in sumptus Provinciæ communes a Monasteriis pendi solitum fideliter secundum Deum & conscientiam in librum rationum relaturum, nihilque ex eodem, præter pensionem in vestiarium mihi designatam, in proprium usum, & commodum conversurum. Præterea quoties ex delegatione Monasteria Provinciæ visitavero, aut vocatus fuero ad examinandos Religiosos ex Theologia Morali, nunquam tale examen diligenter peragendum me omissurum. Sic me Deus &c.

Formula

Formula Juramenti Judicum Capitularium.

Ego NN. electus in Judicem Capitularem, juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni me causas ad judicium Capitulare delatas una spectata ipsarum æquitate judicaturum: allegationes, & probationes ultro citroque adductas serio, & diligenter excussurum: Secretum tractatorum in judicio servaturum: munera non accepturum: Et nec ob spem, vel metum, ob amorem, vel odium a justitia discessurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Actuarii judiciorum Capitularium.

Ego NN. electus in actuarium Judicii Capitularis juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni me Partium expostulationes, & probationes, æque, ac Judicum sententias fideliter litteris mandaturum: nulla consilia in præjudicium justitiæ Judicibus daturum: secretum tractatorum in Judicio servaturum: Partibus ante publicatum in Capitulo Decretum sententias Judicum nec patefacturum, nec per Extractum extraditurum, ac nec muneribus, aut spe, nec amore, odio, vel metu ab Officio fidelitatis, & æquitatis abduci me passurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Notariorum Capitularium.

Ego NN. electus in Notarium Capituli, juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni me munus Notarii fideliter obiturum, & nihil, quod pluralitate Suffragiorum decisum non fuerit, pro deciso scripturum: Sicut nihil, quod decisum fuerit, omissurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Scrutatorum.

Ego NN. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me munus scrutatoris integra fide obiturum: hoc est: quod ad suffragia nec addam, nec minuam, nec aliter legam, quam scriptum in scheda suffragii fuerit: Studium in cognoscendis characteribus suffragantium nullum ponam, & si forte formas litterarum alicujus cognovero, hujusmodi notitiam secreto tenebo, nec ea unquam abutar, idest, ad favorem, vindictam, aut aliud proximi præjudicium numquam eam convertam. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Fiscalium.

Ego NN. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni me recursus Patrum & Fratrum ad me factos fideliter suscepturum, eosque, donec opportunitas se offerat aperiendi & promovendi, sub strictissimo secreto servaturum, promoturumque pro viribus in Officio N. absque metu, & respectu Personarum: Nec a fidelitate officii mei recessurum ob amicitiam, odium, promissiones, vel munera. Sic me Deus &c.

Formula

Formula juramenti Amanuensium Ordinis & Provinciæ.

Ego NN. designatus amanuensis Officii N. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me munus hujusmodi deligenter obiturum: Ea, quæ describenda mihi dabuntur, fideliter litteris consignaturum, Acta, & litteras secretas nemini revelaturum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Visitatoris Delegati.

Ego NN. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me munus Delegati Visitatoris diligenter obiturum, & secundum commissionem mihi factam fideliter exequuturum: secreta scrutiniorum nemini revelaturum, & non nisi soli Religiosissimo Provinciali in scripto traditurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Depositarii Monasterii.

Ego NN. electus in Depositarium Monasterii N. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni me reditus Monasterii communes, undecunque ii provenerint, fideliter in codicem accepti, sicut & quæ expendero, in codicem expensi relaturum, nihilque ad usus proprios, quocunque prætextu, ex reditibus, & raudo Monasterii conversurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Superioris pro munere Depositarii.

Ego NN. Superior Monasterii N. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me reditus Monasterii communes, undecunque ii provenerint, fideliter in Codicem accepti, sicut & quæ expendero, in codicem expensi relaturum, nihilque ad usus proprios, quocunque prætextu, ex reditibus, & raudo Monasterii, præter solitam vestiariam pensionem, conversurum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Examinatoris admittendorum ad vitam Monasticam.

Ego NN. juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me accedentes ad vitam Nostram Monasticam fideliter ad Præscriptum Regularum Officii mei examinaturum: judicium de admittendis, aut non, secundum Deum, & conscientiam daturum, &, si quid fuerit, quod secretum favore proximi oportebit esse, illud me omnino servaturum. Sic me Deus &c.

Formula juramenti Examinatoris Promovendorum ad Ordines, ad Cathedras Scholasticas, & Studia litterarum.

Ego NN. designatus a Religiosissimo Provinciali Examinator juro Deo Omnipotenti in Trinitate uni, me munus hujusmodi serio, diligenter, fideliter, & sine ullo Personarum examinandarum (vel Personæ examinandæ) respectu, peracturum: Judicia de habilitate earum (vel ejus) secundum Deum, & conscientiam daturum, atque Religiosissimo Provinciali significaturum. Sic me Deus &c.

SYNGRAMMA

SYNGRAMMA EPITIMICUM

Auctoritate Generalis Capituli Torokanensis.

RECOGNITUM

Textus Regulæ S. Patris Basilii Magni.

Quomodo convertemus peccantem, aut si non convertat se, quomodo cum illo agendum sit? R. Velut præceptum est Nobis a Domino, cum dixit: Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si vero non audierit, adhibe tecum etiam unum, aut duos; ut in ore duorum testium, aut trium, stet omne verbum: Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ. (a) *Regula Brev: 3.*

Peccatum omne Præfecto declarari oportet, sive ab eo ipso, qui peccavit, sive ab iis, qui conscii sunt: si ipsi non possint mederi, uti a Domino præceptum est: Enimvero vitium silentio dissimulatum morbus est in animo oblitescens: *Reg: Fus: 46.*

Præfectus, qui peccantes non redarguit, horrendum subiturus est judicium. Quamobrem cui demandata est communis cura, is ita afficiatur, quasi qui de singulis redditutus sit rationem. Quippe, si inciderit in peccatum Frater unus, nec tamen antea justificationem ei declararit, aut si lapsus in eo perstiterit, quod modum emendandi se ab eo non edoctus fuerit, sciat sanguinem ipsius ex suis manibus requisitum iri, ut scriptum est. (b) Et maxime, si quidquam eorum, quæ placent Deo, non ex inscitia neglexerit, sed potius ex eo, quod ob assentationem ad uniuscujusque vitia se se accomodet, disciplinæ integritatem labefactarit. *Reg: Fus: 25.*

Præpositus delinquentes non objurget aliqua animi commotione impulsus. Nam redarguere fratrem cum indignatione & ira, non est illum a peccato liberare, sed se ipsum delictis obstringere. Quamobrem dixit: In mansvetudine corripiat eos, (c) qui resistunt. Neque, si in contemptum veniat alicui, ob id præbere se vehementem debet: Ubi vero alium contemni viderit, erga eum, qui deliquit, declaret se benignum, ac indulgentem, quin potius, tunc in ipsum peccatum invehatur. Ita enim & suspitionem a se illam hominis se ipsum immodice amantis submovebit, & planissime se non peccantem odisse, sed peccatum aversari declarabit, qui scilicet diverse gerat in sua, & in alterius causa. *Reg. Fus: 50.*

De reliquo corrigat male affectos ad modum medicorum, non irascens de-

(a) Math: 18. v. 15. (b) Ezech. 3. v. 20. (c) 2. Timot. 2. v. 25.

bilibus, sed pugnans adversus morbum: Imo vero insurgat in vitia, atque severiore disciplina, si opus est, morbum animæ sanet: c. c. vanam gloriam, injungendis humilitatis exercitiis: otiosos sermones, silentio: immodicum somnum, vigiliis in precando insumendis: segnitiem coporeo labore, edacitatem indecoram, jejunio: murmurationem, separatione a reliquis. *Reg: Fus:* 51.

Quonam animo oporteat increpantem increpare? ℞. Erga Deum quidem, eo ipso, quem habuit David, cum diceret: *Vidi insensatos, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt*: (d) Erga eos vero, qui increpantur, habendus est hujusmodi animus, qualem induerit Pater, & Medicus commiserationi, & misericordiæ admixtum curans scilicet filium suum perite, & maxime, si adfuerit dolor, & curandi modus sine crutiatu adhiberi non possit: *Reg: Brev:* 99.

Si pii æqualiter sunt objurgandi, atque quivis alii indifferentes, quando in eodem utrique peccato deprehenduntur? ℞. Etiamsi idem peccatum esse videatur tum hominis indifferenter se gerentis, tum pii: tamen inter utrumque intercedit discrimen non mediocre. Pius enim, cum pius sit, laboretque simul, ac contendat, ut placeat Deo, casu aliquo, & fere quasi invitus aberravit, & lapsus est: Qui vero gerit se indifferenter, nullam neque sui ipsius, neque Dei rationem habens, atque vel ipso nomine id indicante, nullum discrimen ponens peccatum inter, & virtutem, præcipuis, ac ingentibus malis ægrotat... Quare etiam objurgandi modum erga eos, qui sunt hujusmodi diversum esse oportere puto. Pius enim quasi locali quodam præsidio indiget, & in ipsa re, in qua offendit, debet objurgationem sufferre: Indifferens vero,... aut tanquam contemptor... aut tanquam incredulus, & lugeri, & admoneri, & objurgari debet. *Reg: Brev:* 81.

Considerenda sunt etiam naturalia ætatis vitia, atque hoc pacto objurgationis modus ætati utrique conveniens, est definiendus. *Reg: Brev:* 82.

Quo animo, irrogatæ pœnæ perferendæ sint? ℞. Quemadmodum diximus, medelam infirmis a Præposito adferendam esse citra ullam animi concitationem: ita vicissim ab iis, qui curantur, mulctæ odii loco non sunt accipiendæ, neque cura ea, quæ ex misericordia ad animæ eorum salutem ab ipso adhibetur, ducenda est pro tyrannide. *Reg: Fus:* 52.

Quo animo debeat quis irrogatam sibi pœnam recipere? ℞. Eo scilicet, qui filio convenit ægrotanti, & in vitæ discrimen adducto, cum a Patre, & medico curatur, etiamsi amarus, acerbusque fuerit medendi modus, cum ei persvasum esse oporteat, diligi se, ac peritum esse objurgatorem, debeatque sanitatem cupere. *Reg: Brev:* 158.

Qui

(d) Psal: 118. v. 158.

Qui ægre fert increpantem se, qualis est? ℟. Neque novit periculum peccati, & maxime erga Deum, neque emolumentum pœnitentiæ, neque fidem habuit ei, qui dixit - *Qui vero diligit, diligenter castigat* (e): - Atque etiam semel ipsum constituit alienum a quæsitu illius, qui dixit - *Corripiet me justus in misericordia & increpabit me* - (f) Prætereaque, qui hujusmodi est, ejus consuetudo fratribus exitiosa est: Siquidem eos a suscepto certamine abducit. *Reg: Brev:* 159.

Si quis vitio cuipiam inemendabili obnoxius sit, frequentiusque reprehensus lædatur, an eum potius dimitti expediat? ℟. Peccantes cum mansuetudine, atque lenitate esse convertendos eo, quem Dominus indicavit, modo. Quodsi ei, ut convertatur satis non fuerit, plurium reprehensio, & objurgatio, quemadmodum Corinthio illi, qui ejusmodi est, tanquam ethnicus habendus est. Nemini autem ulla ratione tutum fuerit, eum, qui a Domino condemnatus est, retinere, cum dixerit Dominus, expedire, ut quis uno oculo, aut una manu, aut uno pede amisso in regnum ingrediatur, quam si uni ex his pepercerit, totus mittatur in gehennam ignis, ubi est fletus, & stridor dentium: Et Apostolus testificatur, totam massam modico fermento fermentari. *Reg: Brev:* 57.

Qui post primam, & alteram admonitionem permanet in delicto, suo indicandus Præposito, si forte eum a pluribus correptum pudeat. Quodsi ne sic quidem emendatus fuerit, deinceps excindendus est, ut scandalum, atque habendus pro ethnico ac publicano, ad securitatem eorum, qui obedientiam sibi studio habent, secundum id, quod dictum est: Impiis cadentibus, justi timore corripiuntur. *Epist: Select: in novo ordine* 22. *Nro* 3.

EPITIMIA

Sancti Patris, seu pœnæ contra delinquentes Monachos.

1. Si quis integra corporis valetudine precari, aut Psalmos ediscere neglexerit, *excusans excusationes*(h) *in peccatis*, is a reliquorum consortio segregetur, aut jejunet hebdomadam unam.

2. Si quis cum charitate objurgatur ob aliquod erratum, nec tamen objurgationem susceperit, summa cum reverentia rogans, & exposcens, ut delictorum sibi venia detur, is quoque a communitate separetur hebdomadam unam.

3. Si quis peccatum alicujus cognitum habuerit, neque correxerit ipsum aut redarguerit in pace cum charitate Christi, sed cum tristitia, ac molestia, quasi magis triumphet de Fratre, quam curet peccati auctorem, is etiam hebdomadis duas a cæteris sejungatur una cum eo, qui fuit in peccato deprehensus: Quandoquidem velut hostis, non ut Frater corripuit.

4. Si quis, quæ facere possit, a Fratre jussus eum afficiat contumelia, aut contradicat

(e) Prov: 13. v. 24. (f) (g) Psal: 140. v. 5. (h) Psal: 140. v. 4.

tradicat, neque morem gerat cum omni in Christo gaudio tamquam qui præfidens in suo abundet sensu, similiter hebdomadam unam segregetur.

5. Si quis inaniter garriat, aut sit facetiis deditus, non servans cum timore, ac tremore doctrinam Beati Apostoli, & Evangeliorum, is quoque ipse ab aliis separetur hebdomadam unam.

6. Si quis præter *etiam* & *non* aliud jus jurandum juret, & ipse a cæteris sejungatur unam hebdomadam.

7. Si quis quempiam deliquisse Fratrem conscius est, idque ei advenienti exprobraverit, veluti traducendi causa, ipse similiter veluti nulla miseratione commotus, & alienis malis lætatus a cæteris segregetur hebdomadam unam:

8. Si quis quempiam peccasse conscius est, eumque videt id indifferenter ferentem, nec cum cordis contritione, ac multis lachrimis Dominum placantem adhortetur, & admoneat ipsum, ut agat pœnitentiam, & pœnitentiæ ostendat opera. Quodsi his factis, neglexerit suam salutem, separetur prorsus, qui est ejusmodi, a communitate. Nam *modicum fermentum totam massam corrumpit*, (i) ut Vir Sanctus dixit.

9. Si quis exeat citra necessaria negotia, ac circumeat intempestive, segregetur, qui hujusmodi est, ut quiescant domi pedes ejus, (k) sicut scriptum est.

10. Si quis irascatur temere, nec actutum fratrem a se tristitia affectum consoletur, ut paccatum, quod in ipsum peccavit, condonet sibi, ipse similiter segregator hebdomadam unam.

11. Si quis fuerit a Fratre contumelia affectus, & a communitate rogatus, peccatum non condonarit, recordatus ejus, qui dixit: Si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Christus donavit, & ipse pariter a cæterorum consortio segregetur hebdomadam unam.

12. Si quis egrediatur e Monasterio non accepta benedictione, aut non dimissus ab Archimandrita cum precatione, a cæteris sejungatur.

13. Si quis possidet aliquid in Monasterio, aut extra Monasterium, cæterorum privetur consortio.

14. Si quis conjungens se cum aliquo, cogitat e Monasterio egredi ob aliud quoddam malum, sit excommunicatus.

15. Si quis ex cubiculorum Præfectis inveniat aliquem turbas excitantem, aut colloquentem in Dormitorio, & non ejicit ipsum extra cœtum, ipse careat Benedictione.

16. Si quis careat Benedictione castigationis gratia, & ex contemptu se non excusarit, & acceperit benedictionem, a cæteris sejungatur.

17. Si

(i Gal: 5. v. 9. (k) Prov: 7. v. 11.

17. Si quis apponit quidpiam in mensa, aut sibi ipsi, aut alteri, si non permissum fuerit sibi ab Archimandrita, privetur benedictione.

18. Si quis non data ab Archimandrita facultate, cum aliquo externo accedente, aut cum aliquo contubernali colloquitur exceptis iis, quorum hoc munus est, expers sit benedictionis.

19. Si quis abstulerit aliquid a Fratre, & occultaverit, careat benedictione.

20. Si quis, cum nulli pœnæ addictus sit, edit tamen non accepta benedictione, segregetur a cæteris.

21. Si quis benedictionem ordine suo non receperit, careat benedictione: sin autem necessitate cogente non occurrit, excuset se.

22. Si quis inveniatur noctu privatim cum aliquo degens, vel locum, ubi dormit, commutans, præter voluntatem Præpositorum, cæterorum privetur consortio.

23. Si quis absque permissu intrudit se in opus aliud, privetur benedictione.

24. Si quis permutet aliquid cum aliquo, aut quidpiam largiatur præter sententiam Archimandritæ, expers sit benedictionis.

25. Si quis absque scapulari in quocunque loco fuerit, privetur benedictione.

26. Si quis caruerit benedictione, & ægreferens vicissim redarguerit redarguentem, aut contradicens morem non gesserit, separetur a cæteris. Quodsi dixerit, redargui se immerito, causam notam faciat Archimandritæ, & quod ab ipso statutum fuerit, sequatur.

27. Si quis ex Scripturis contentiose disputat, careat benedictione: si vero commonitus perseveret, velut inobsequens, & contumax, cæterorum privetur consortio.

28. Si quis absit a mensis non dicta causa, maneat jejunus.

29. Si quis aliquid perdiderit, & hoc non invento, rem minime declararit Archimandritæ, privetur benedictione.

30. Si duo simul familiarem inter se consuetudinem habere comperiantur, & commoniti non secesserint, sint a cæteris segregati, donec corrigantur.

31. Si quis in tempore Communionis fratri alicui offensus, ei pacem non dederit, sit excommunicatus.

32. Si quis noverit fratrem, qui clam secedere e Monasterio velit, & non declararit Archimandritæ, aut Præfectis, a cæteris segregetur.

33. Si quis inventus fuerit loquens per Cellas, exceptis iis, qui eas

occupant, aut etiam custodibus silentii, sit benedictionis expers.

34. Si quis inventus fuerit detrahens cuipiam, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipsos, aut non indicans Archimandritæ, una cum ipsis excommunicetur.

35. Si quis ierit ad janitoris ædes sine permissu Præpositorum, privetur benedictione: Si vero ierit ad clausuræ januam, cæterorum privetur consortio.

36. Si quis dederit foris aliquid, aut acceperit præter voluntatem Archimandritæ, a cæteris separetur.

37. Si quis præter Præpositos, alicui ex peregrinis accedentibus obviam factus cum eo colloquatur, excepto, quod det pacem, sit benedictionis expers.

38. Si quis intempestive venit in culinam, aut cellarium, præter Præpositos, & disciplinæ curatores, privetur benedictione.

39. Si quis expergefactus ab aliquo in tempore ministerii, aut lectionis, ægre ferat, a cæteris segregetur.

40. Si quis præter voluntatem curatoris ægrotorum ingressus in valetudinarium, illic requiescat, careat benedictione: Si vero affligatur, aut ægrotat, indicet id prius valetudinarii Præfecto.

41. Si quis ex designatis ad serviendum in valetudinario, apponat quidquam fratri, præter sententiam illius, qui valetudinario præponitur, sit benedictionis expers.

42. Si quis ex ægrotantibus inventus fuerit quidpiam permutans præter voluntatem illius, qui valetudinario præficitur, aut alicujus ex designatis ad ministerium, careat benedictione.

43. Si quis inventus fuerit scribens, aut recipiens litteras, excepto Archimandrita, a cæterorum sejungatur societate.

44. Si quis mittit alicui munusculum, aut recipit quidpiam aliunde, præter Archimandritam, careat benedictione.

CAPUT PRIMUM.

De Correctione Fraterna.

§ 1.

De ordine Correctionis Fraternæ.

1. Memores Regulæ Brev: 4æ. etiam culpas Fratrum leviores nostri non dissimulent, sed aut benigna monitione, aut significatione aliqua prudenti erratum indicando, ad emendationem mutuo se se juvent, citra ullam tamen arrogantiam, & indignationem.

2. Sed cum Evangelicum correctionis ordinem nobis servandum præscribat S. Pater Noster, idcirco statuimus, ut si quis frater lapsus fuerit, is primo

primo capta loci ac temporis opportunitate, secreto a conſciis delicti admoneatur. Quod ſi in malo perſtiterit, iterum moneatur, sed coram Monachis authoritate gravioribus, ut vel moveatur eorum reverentia, vel teſtimonio convincatur, ſi negaverit. Quodſi etiam peccatum emendare neglexerit, ad Superiorem deferatur.

3. Si tamen error talis fuerit, ut monitio diutius produci non debere videatur, puta ſi delictum, *notorietate facti ſit*, & tale, ut per illud macula aſpergatur Monaſterio, scandalumque inde sequatur, omiſſo fratenæ monitionis ordine, ſtatim ad denuntiationem judicialem, de qua inferius dicetur, procedatur. Idem dicendum de delictis occultis, quæ bono adverſantur communi, triſtemque habent exitum, ut, quod abſit, proditio Patriæ, machinatio contra Superiores, turbatio pacis communis, seditio, & id genus alia.

4. Poterit tamen etiam delictum, ut loquimur, *Personale*, soli scilicet noxium delinquenti omiſſo fraternæ correctionis ordine, deferri ad Superiorem ut Patrem: *1mo*. Cum delicti conſcius, plus quam probabiliter cenſeat se solo, aut adhibito quoque duorum Patrum graviorum teſtimonio, non poſſe efficere, ut Frater revocetur ad bonam frugem, aut via ad malum præcludatur; Imo in hoc caſu tenetur ſtatim denuntiare Superiori, ut Patri. *2do*. Cum delictum occultum pendeat in futurum, ita, ut probabiliter vulgandum timeatur in dedecus Religionis: Quemadmodum propalari solent delicta carnis, & alia. *3tio*. Cum delicta levia, defectus regulares, & tranſgreſſiones tales ſint, ut ex earum denuntiatione privatus quidam tantum timeatur pudor, & moleſtia, nulla vero publica, aut gravis infamia; ſiquidem id ad bonam Monaſterii gubernationem, & conſervationem Monaſticæ diſciplinæ juvat quam maxime.

5. Nemo tamen teneatur denuntiare Superiori, ut Patri, ſi is paternis deſtituatur dotibus: puta, cum eſt garrulus, erga subditum male animatus, in conſiliis præceps, & ferox, secretorum proditor, atque hujuſmodi, ut publica & occulta indiſcriminatim proceſſibus pœniſque dirimat; nam talis denuntiatio tenderet ad Fratris infamiam, quo correctio fraterna non collimat.

6. Caveant etiam noſtri, ne Superiori denuntient delictum occultum fratris, cum poſſunt peræque bene vel melius se ipſis errantem, ad rectam viam reducere; Nam aliter Chriſti Præceptum violarent.

7. Caveant pariter, ne denuntient, cum delictum jam eſt emendatum, periculum relabendi remotum, ejuſque præciſa occaſio.

8. Etiam cum plane non conſtat, ſitne quis ad corrigendum, ſive monendum inidoneus, vel ſitne correctio fraterna nihil profutura, non prius denuntiandum

nuntiandum est Superiori delictum, quam tentata fuerit ejus emendatio; Obligatio quippe Præcepti Christi non tollitur per hujusmodi dubitationem.

9. Cum præceptum correctionis, sive monitionis fraternæ sit mandatum Divinum, ipsi quoque Superiores æquo ferant animo, si de suis occultis erroribus ipsos ab inferioribus moneri contigerit. Christus enim neminem a fraterna monitione exceptum voluit, & Regula S. Patris Nostri 27*ma*. inter fusiores aperte id præcipit.

10. Sciant autem inferiores non quemlibet id indiscriminatim præstare debere, sed eos tantum, qui inter fratres primas obtinent, ut monet ibidem S. Pater Noster. Sed & hujusmodi Monachus Superiorem moniturus non monitoris forma & more, sed cujusdam obsecrationis officium istud Evangelicum cum reverentia erga suum Superiorem expleat, & quidem secreto, ita, ut alius sciat nemo. Quodsi monitio effectum non fuerit lucrata, etiam atque etiam reverenter repetatur: Quodsi nec post alteram, tertiamve Superior se correxerit, res ad Provincialem deferatur.

§ II.
Quid agendum Superiori, cui ut Patri delictum revelatum est?

11. Dum omissa secreta monitione dafertur causa a Subdito ad Superiorem, ut Patrem, Superior sciat se primum debere privatam adhibere monitionem, cum in illo casu veluti succedat in locum & officium Patris, sic, ut non habeat jus illud delictum publicandi, sed tantum teneatur supplere, quod defectu spei emenditionis particularis Monachus non potuit adimplere.

12. Dum delictum defertur omnino occultum solique denuntiatori notum, Superior caveat, ne denuntiatum absolute reprehendat, sed sub conditione, ut, si scelus commisit, cautius deinceps vivat, & occasiones relabendi fugiat, multo magis caveat, ne sub præcepto obedientiæ interroget de peccato admisso, vel Consultores advocet, coram quibus corripiat, aut Visitatori indicet; cum id non esset aliud, quam Fratrem contra Præceptum justitiæ velle infamare.

13. Si subditus sponte peccatum suum fateatur, & se ad frugem bonam recipere promittat, paterne corripiendus est, ac sine testibus: Nam obtento correctionis effectu, adhibitio testium læderet charitatem.

14. Si delictum, quod facile per testes probari posset, se commisisse negaret subditus, Superior advocato uno, & altero præstantiori Monacho, severius denuntiatum objurgabit, pœnitentiam congruam, sed privatam injunget, monebitque salutariter, ne e. g. locum adeat, qui suspectus est, ut hæc & illa commercia fugiat &c.

§ III.

§ III.

Quæ ratio universim est tenenda in correptionibus Paternis?

15. Superior in corripiendis delictis zelo feratur prudenti, & discreto: Non eadem se semper gerat ratione; interdum erratum dissimulet, interdum ad tempus toleret, aliquando puniat, quandoque tantum reprehendat.

16. Nec cum omnibus eodem modo agat, aliqui quippe lenius admonendi, aliqui vehementius: Objurgantur aliter pii, & ferventes, aliter dormitantes in rebus spiritus, & quemadmodum ait S. Pater, indifferentes.

17. Habeat quoque rationes quantitatis, qualitatis, consuetudinis, facilitatis in delinquendo, scandali, mali exempli.

18. Item videat, num delinquentem pœniteat, num pideat, num is sponte sua veniam petat, & hujusmodi alia, ut prudenter pro varietate harum circumstantiarum statuat, mitiusne, an severius agendum sit.

19. Spectandum quoque est num peccatum publicum sit, vel occultum: siquidem publica acerbius, occulta benignius advertenda sunt.

20. Jllud autem regulariter servandum videtur, ut prius delinquens moneatur iam secreto, iam coram Senioribus, iam denique coram omnibus; Postea vero congrua animadversione plectatur, quo scilicet reus primo amoris significationem sentiat, deinde erubescat, tandem severitatem experiatut, sed quæ nullam gravem irroget infamiam, verum medicinalis tantum sit, & correctiva.

21. Si quis vero pœnitentiam medicinalem a Superiore impositam persolvere pertinaciter recusaret, is subeat pœnam duplo: Quodsi animo semel obstinato duplum etiam rejiceret, mulctetur triplo. Quodsi nec ita quidem de sua remitteret contumacia, pœna procedat in quadruplum: Si vero adeo pervicax, ac obstinatus esset, ut nec quarto monitus suam exuere vellet pertinaciam, segretur a cæteris, & jejunare in pane, & aqua jubeatur, donec ad bonam frugem se receperit, & injunctam pœnitentiam toties adimplere promiserit, quoties distulerit.

22. Universim Superiores caveant, ne corripiant reos ira indignationeque commoti, sed diligenter adimitantur medicum, prout monet S. Pater Noster imitari, qui non irascitur debilibus, sed pugnat duntaxat adversus morbum: Misericordes se proinde, lenes, & mansuetos præbeant, ita tamen, ne minimæ indulgentiæ rei fiant, quam magnopere Reg: Brev: 4. execratur S. Pater Noster.

CAPUT SECUNDUM
De correctione Judiciali.

§ I.

De natura Judicii Monastici.

1. Cum Judicium Monasticum sit Summarium, differatque a Judicio plenario

 sive

ſive ordinario, in quo ad unguem obſervari debent omnes ſolemnitates ordinis judiciarii; Hinc de jure naturali hæc ſunt, quæ ad ejus pertinent ſubſtantiam. 1. Querela per accuſationem, denuntiationem, aut inquiſitionem propoſita. 2. Citatio rei, ne inauditus condemnetur. 3. Probatio cauſæ ex perte actoris. 4. Neceſſaria defenſio ex parte rei. 5. Prolatio ſententiæ ex parte Judicis. 6. Juſtæ admiſſio appellationis.

2. Præterea jure Pontificio requiritur ad judicium ſummarium: 1. Juramentum de calumnia, ſive quod quis malo zelo ad accuſandum non moveatur. 2. Ut petitio, ſeu querela Actoris ſcripto, aut verbo expoſita, continuo actis inſeratur. 3. Ut judex ſententiam non memoriter, sed in ſcripto proferat.

3. Omitti proinde in eo poſſunt omnes actus, qui potius ſubtilitatem juris reſpiciunt, quam facti veritatem, ut ſunt: Porrectio libelli, litis conteſtatio, teſtium ſuperflua multitudo, prolixæ delationes, jurgia advocatorum, Citationum intervalla, ſententiæ interloquutoriæ &c: quæ ſunt meræ ſolemnitates, nec ad eſſentiam juris ſpectant. Si tamen ſolemnitates iſtæ, ſive in parte, ſive in toto, partibus non contradicentibus adhiberentur, proceſſus non redderetur irritus.

§ II.

De Judice ejusque Officio.

4. Cum Superiores locales non habeant jurisdictionem quaſi Episcopalem, sed inferiorem, quali pollent Archi-Presbyteri, & Curati, quibus in jure comparantur; Hinc licet poſſint quotidianos ſubditorum errores corrigere, leviores pœnitentias injungere &c: non poſſunt tamen delicta, quæ graviorem vel graviſſimam merentur pœnam, judicialiter cognoſcere: hoc ieſt: Proceſſus formare, teſtes cum juramento examinare &c. sed id ſciant competere soli Proto-Archimandritæ, & Provincialibus.

5. Si tamen interdum res urgeret, & de corpore delicti conſtaret, poterit Superior de conſilio ſuorum Conſultorum remedium aliquod præſens morbo adhibere, maxime ſi timeretur fuga, ſcandalum, vel grave detrimentum, dummodo ſtatim de his Provincialem faciat certiorem, ut is pro suo zelo, ac prudentia ſtatuat, quod, habita cauſæ ratione, videbitur poſtea expedire.

6. Quodſi Provincialis totam authoritatem ſuam Superiori locali delegaret, & ſic illum ſuum Commiſſarium inſtitueret, poterit proceſſum incipere, eumque concludere ad præſcriptum delegationis suæ.

7. Quoniam vero niſi actutum de corpore delicti aliquando caperetur informatio, ejus cognitio deperiret, vel non ita clare appareret, poſſunt & debent Superiores locales delegata auctoritate Provincialis, corpus delicti in ſcripturam redigere, & proceſſum informativum inſtituere Provinciali conſignandum, ſic tamen, ut

ut reum citare, aut in eum ſententiam ferre, vel aliqua pœna in Conſtitutionibus noſtris expreſſa, mulctare non poſſint.

8. Licet omnes Superiores Noſtri, ubi de levium, mediarum, & gravium culparum correptione agitur, formam judicii ſervare non teneantur, poſſintque, exceptis gravibus, pro quibus pœna ex ſcripto pronuntiari, ut & eorum probatio deſcripta haberi debet, leves & medias culpas, pœnitentiis viva voce, & ſine ſcripto prolatis, corrigere, ii tamen, ad quos ut judices pertinent graviora, & graviſſima ſubditorum delicta vindicare, formam, ac ordinem judicii ſummarii omnino ſequantur, cum judicium, ſine ulla forma factum nullum ſit.

9. Quia vero triplici ratione contra delinquentes agi poteſt, ſcilicet per viam accuſationis, denuntiationis judicialis, & per viam inquiſitionis; Hinc bene perſpecta ſibi habeant, quæ de hujusmodi procedendi modis Paragr: in ſequentibus dicentur.

10. Præterea judex noſter in judiciis exercendis ne erret, ſciat se primo ad Conſtitutiones noſtras recurrere debere, ut videat, quid in iis de delicto, cujus reus convincitur, ſpeciatim notetur. Si nihil in illis haberetur, ad jus commune gradum faciat: Eo autem deficiente, ad jus Civile, hoc eſt: ad jus illius Ditionis, per quam unaquæque funditur Provincia: Illo autem propoſitæ rei non reſpondente, ad prudentiam, & charitatem, tum ad conſilium Conſultorum, ut ex eorum ſententia pœna delicto commenſurari valeat.

11. Sciat quoque judex noſter ipſum non debere judicare secundum privatam ſcientiam ſuam, ſed ſecundum ea, quæ ſervato juris ordine, ſibi tanquam Perſonæ publicæ, Communitatis vices gerenti nota, & probata fuerint. Hinc etſi ſciret reum, quia e. g. vidit, ſontem eſſe, ſi tamen in proceſſu probetur innocens, caveat, ne pœna graviori afficiat; Quamquam in eo caſu poterit Paterna admonitione, & extra ordinaria leviori pœna in eum animadvertere.

12. Caveat judex noſter, ne, ut audiat juſtus, utatur nimia ſeveritate, & inde immanis animadverſor potius, quam juſtus judex evadat; Sicut contra, nè nimia utatur lenitate, indulgentius agendo, quam ipſa delicta expoſcant, & Religionis bonum poſtulet. Sed regia via incedat miſcendo miſericordiam cum juſtitia, quod aſſequetur, ſi ad ultionem delicti nunquam deſcendet propterea, ut vindictam principaliter ſumat, ſed ut malum corrigat, ſcandalum avertat, & Provinciam, ſive Congregationem ſuam omni vitio liberatam, quietam, tranquillam, & irreprehenſam reddat.

§ III, De modo procedendi contra delinquentes per viam accuſationis.

13. Per viam accuſationis proceditur, dum publicæ vindictæ cauſa. defertur delictum

delictum rei ad judicem ab eo, qui legibus accusare non prohibetur, & delatum crimen certis argumentis se probaturum pollicetur.

14. Accusatio non videtur esse in usu apud Monachos, nec videtur expediens, tum quia quasi semper odium pariat, & paci ac tranquillitati Monasticæ adversetur; Tum quia nullum est vitium, quod per viam denuntiationis judicialiter curari, ac ita puniri non possit, ut vel violatum bonum commune, vel læsum jus tertii reparari nequeat.

15. Si tamen aliquando per solam denuntiationem bono communi, vel bonæ famæ Virorum probatissimorum consuli non posset, poterit admitti, dummodo non fiat ex odio, sed bono zelo.

16. Ad legitimam autem accusationem requiritur primo, ut fiat in scriptis. 2. Ut exprimatur Annus & dies, quo intruditur. 3. Nomen accusatoris, & accusati. 4. Species delicti. 5. Locus & tempus, puta Annus & Mensis, quo delictum commissum est. 6. Subscriptio accusantis.

17. Quamvis vero hæc de jure communi requirantur, quia tamen Regulares ad omnes juris apices in suis judiciis non tenentur, ideo notant Doctores, nec eos teneri ad observanda in accusatione omnia, quæ legibus præscribuntur.

18. Jllud tamen ad solemnitatem pertinet quam maxime substantialem, ut accusatio fiat in scriptis ab accusante, vel per Notarium in scriptum redigatur, quod accusator subscribere teneatur; quo constet, quid accusator probare debeat, quidve negare nequeat, si in probatione deficere eum accidisset.

§ IV.

De modo procedendi per viam Denuntiationis.

19. Per viam denuntiationis proceditur, dum quis Superiori, ut Judici indicat delictum, non tamen more accusatoris se inscribit, sed judici relinquit, velitne, vel debeat ipse in delictum, & in personam delicti ream inquirere.

20. Cum secundum communissimam Theologorum sententiam nequeat præscribi regula generalis in denuntiationibus correctoriis, pertinebit proinde ad prudentiam, & conscientiam tam denuntiantis, quam Superioris, cui denuntiatur, statuere, an ille denuntiationem judiciariam facere, hic vero, ut talem admittere debeat.

21. Delicta ut diximus cap: 1. hujus Codicis. Constit: 3. notoria notorietate facti, primas partes tenent, quæ nullo servato ordine correctionis fraternæ ad Superiorem immediate deferri possunt, & debent Superiori ut judici, quo, ut ait Apostolus. *peccantes coram omnibus arguantur, ut & cæteri timorem habeant*. (a)

(a) 1. ad Timoth: 5.

22. Delicta

22. Delicta item contra bonum commune facientia, quæ eodem loco recensita dedimus, regulariter sine secreta admonitione statim denuntianda sunt Superiori ut judici, ut contra illa, & personas suspicione laborantes instituatur inquisititio generalis, sive specialis, utque ita avertantur damna, quæ timentur sequutura.

23. Delicta quoque occulta, quæ adversantur bono tertii, possunt judicialiter deferri, non servato ordine correctionis, sive admonitionis fratenæ. Cum, ut commune habet, potior habenda sit ratio tertii innocentis, quam famæ delinquentis.

24. Caveant tamen nostri, ne etiam hujusmodi delicta occulta statim deferantur, si firma spes est, per secretam admonitionem Fratrem, ad bonam frugem revocatum iri, mala vero, sive damna averti posse. Nam si, cum communi, vel privato tertii bono fama Fratris bene servari potest, charitas sane postulat, ut relicta denuntiatione judiciali, tamquam medio severiori, eligatur medium mitius, scilicet correctio fraterna, aut Paterna tantum.

25. Si denuntiator vir est malevolus, & litigator, denuntiatio non est admittenda. Pariter nullus eidem locus conceditor, cum denuntiatus est vir gravis, recti exempli, & morum longo vitæ tempore probatorum. Si tamen denuntians munus accusatoris, & pœnam talionis, quoties in probatione deficeret, vellet subire, poterit admitti denuntiatio.

26. Jllorum quoque, qui facta semel denuntiatione, non cessant iterum, & sæpius, coram, & per litteras rem urgere, denuntiationes, ut suspectas rejiciat Superior. nisi eis subscribant sub pœna talionis; siquidem sub specioso denuntiationis nomine re vera partes agunt accusatoris.

27. Debet etiam Superior, antequam denuntiationem admittat, denuntiantem interrogare, an correctionem fraternam præmiserit, & si illam omissam invenerit, judicialem denuntiationem non admittat, sed vel fraternæ eam loco habeat. aut denuntianti præcipiat, ut quod omisit prius expleat.

28. Admissa denuntiatione, ut legitima, ne peccet contra justitiam & religionis bonum, causam prosequatur, ita tamen, ut ad vindictam peccati publicam non procedat, nisi delictum, quod denuntiatum est, sit publicum, vel reus laboret infamia, vel contra eum sit semiplena probatio, aut indicia sufficientia; Nam si horum nihil adsit, vindicta publica non spectat ad bonum commune.

29. Potest tamen in tali casu Superior monere reum denuntiatum, & severius objurgare, habita ratione semiplenæ probationis, aliquam etiam corectionem secretam adhibendo ad timorem, & ad medicinam in futurum, non item

 in vindi-

in vindictam .

30 . Si reus judicialiter denuntiatus agnoscat suum delictum , & promittat emendationem , ac satisfactionem , Superior , etsi non possit punire publice , bene tamen privatim , & ad medelam in futurum .

31 . Si denuntiatus pertinaciter neget delictum , nec testibus convinci possit , non est amplius contra eum procedendum , nisi laboret infamia .

32 . Si autem duorum testium convinci possit testimoniis , nihilominus præfracte neget , nec ullam spondeat emendationem , sed suum delictum defendat , & minitetur se pejora admissurum , si cum eo agatur asperius ; fiat transitus à via denuntiationis , ad viam accusationis , denutiante vel Fiscali sumente munus accusatoris .

33 . Si delictum notorium denuntiatum est , cum in notoriis non observetur ordo juris , agnita notorietate facti , & interrogato reo , an aliquid in defensionem sui adferre possit , si nihil tale attulerit , Superior statim procedat ad condemnationem , & pœnam delicto debitam commetiatur .

34 . Delictum quod adversatur bono communi , vel tertii , estque tale , ut efficaciter emandari non possit per correctionem Paternam , si denuntiatur à subdito Superiori , ut Patri , Superior non tenetur ratam habere hujusmodi denuntiationem , sed imposito præcepto , cogere potest subditum , ut relicta denuntiatione fraterna , faciat judicialem , cui præcepto , nisi ob grave aliquod inde sequuturum malum excusetur , subditus obedire tenetur .

35 . Si denuntiatio fiat judicialis delicti occulti , quod per testes probari potest , reparari autem , & emendari nequit , nisi officio Judicis , tenetur Superior denuntiationem , ut judicialem admittere , contra , non tenetur , ut talem admittere , si vitium illud occultum Paterna correctione sanari , & damna averti possunt .

§ V.
De modo procedendi per Inquisitionem Judicalem .

36 . Differt Inquisitio Judicialis a Paterna , quam Visitatores adhibent in Canonica Monasteriorum visitatione , quod hæc instituatur ad regularis disciplinæ observantiam stabiliendam moresque Paterne corrigendos ; Jlla autem fiat ad vindictam publicam , & ad noxas juridice mulctandas : Item quod Paternam perficiat solus Visitator , & sine juramento ; cum in Judiciali dicta singulorum medio juramento excipere debeat Scriba seu Notarius .

37 . Duplex autem est Inquisitio judicialis : Generalis , & specialis : Generalis est : cum inquiritur generaliter tam in delicta , quam in personas : Ut , num servent mandata Dei , & Ecclesiæ , Regulas , & Constitutiones Monasticas . Etsi vero certum sit , ad Inquisitionem generalem Paternam non requiri , ut præcedat

præcedat aliqua infamia, aut clamorosa insinuatio, propterea quod fiat ex mero officio Visitatoris; Ad judicialem tamen inquisitionem Generalem necesse est, ut Judex moveatur saltem iis, quæ succedunt loco infamiæ, sic tamen, ut ad hanc inquisitionem sufficiat quodcunque indicium, præsumptio, confusus rumor, aut suspicio utcunque fundata.

38. In hac Generali Inquisitione crimina oculta nec inquierenda, nec patefacienda sunt, nisi de illis præcedat infamia, aut probabilis suspicio. Nam cum occulta cadant sub præceptum correctionis fraternæ, sicut Superior, nullum de iis jus interrogandi habet, ita nec subditi obligationem manifestandi: secus dicendum de delictis notoriis & diffamatis: Hæc enim, sicut quæri possut a Superiore, ita a subdito debent aperiri.

39. Quia vero ex inquisitione generali fit certior judex, vel de quibusdam delictis gravibus certo commissis, & si author eorum incertus sit: vel de quodam certo subdito, quod se magno quodam scelere obstrinxerit, sive sciatur, sive nesciatur, cujusmodi sit; hinc si causam ulterius via juris se debere prosequi judicat, procedit inquisitione speciali, vel pure tali, hoc est: quæ inquirit & incertum delictum personæ, & incertum ejus auctorem: vel mixta, id est: qua vel specialiter inquiritur in delictum, & generaliter in auctorem: vel contra, specialiter in auctorem, & generatim in delictum. Ad quas instituendas cum aliunde etiam frequenter moveri soleat judex regularis, hinc ad clariorem earum notitiam assequendam, sequentes usui sunto Paragraphi.

§ VI.
De modo procedendi per Inquisitionem specialem, quo ad delictum, & Generalem quoad personas & e contra.

40. Cum ad aures Judicis defertur fuisse alicubi aliquid admissum scelus, puta mutilationem, vulnerationem, furtum &c. cujus auctor ignoretur, judex in rem inquirere volens, videre debet, an delictum sit facti permanentis, id est, quod post se relinquit vestigium, ut vulnus; vel facti transeuntis, quod vestigium non relinquit, ut blasphemia, furtum, &c.

41. Si delictum sit facti permanentis, processum nequit instituere, nisi prius per inspectionem facti constiterit de delicto. Itaque si aliquis fuerit vulneratus, Judex una cum Notario ad hoc assumpto vulneratum accedet, & inspecto vulnere, ac bene considetato, omnia a Notario diligenter describenda curabit. Quodsi propter adhibita emplastra vulnus ipsum videri non possit, istum quoque obicem adnotabit.

42. Tandem ipsum vulneratum, delato ei juramento super dicenda veritate, interrogabit: Quomodo ita vulneratus sit; quo tempore, quo loco, &

a quo

a quo, si novit: Quodsi nesciat, quem credat fuisse, & quare ita credat.

43. Postea examinabit simili adhibito juramento cœtum Monasterii, sive Monachos ejus incolas tam de facto, quam de scientia, & credulitate, ac de causa scientiæ, & credulitatis, donec auctor nominetur, & infametur, seu donec contra aliquem sufficientia fuerint reperta indicia: atque tunc contra illum specialis formabitur inquisitio.

44. Si vero delictum fuerit facti transeuntis, ex. gr: furtum per fenestram, aut alio modo perpetratum, sic, ut sceleris admissi nullum appareat vestigium: Vel si quis nemine præsente alium percusserit sine ullo vulnere, livore, aut cicatrice: cum de delicto minime constet, neque testis ullus de facto adsit, aliter procedendum est: scilicet: tenetur tunc ille, cujus res furto periit, vel qui percussus fuit, illud Superiori tanquam Judici, scelus admissum denuntiare, Superior autem ut rite procedat, debet primum examinare per testes idoneos, an is, qui denuntiat, sit bonæ famæ, & opinionis, ut in actis legitime constet, an illi credendum sit: alias quippe processus velut super nihilo fundatus, esset ipso jure nullus.

45. Hinc in tali casu Judex testes aliquos adhibebit, ac admonitos, & juratos interrogabit. 1. An sciant causam suæ vocationis. 2. An sciant v. g. Petro furtum factum: vel Paulum fuisse percussum? 3. Unde id sciant? 4. Cujus opinionis & famæ sit ille apud ipsos, & apud alios? An non homo sit talis, qui mera fundat mendacia? 5. An norint ipsum, res, quas clam sibi dicit ablatas habuisse? Quomodo istud sciant, vel quare ita credant? 6. An modo tales res non habeat? 7. An credant, fuisse furto ablatas, & quare ita credant? &c. hujusmodi.

46. Fama denuntiantis probata, & habita utcunque notitia de corpore delicti, ipse denuntians vocandus est a judice, & delato ei juramento super veritate dicenda interrogandus est. 1. An vere res talis, ac talis sit sibi furto surrepta? 2. Quem credat furatum fuisse, & quare ita credat? aliaque indicia deponat necesse est, si quæ habet, ac testes nominet, qui factum, aut delinquentem nosse possunt. Denique testes illi vocandi, atque super ipso facto interrogandi de credulitate, causa credulitatis &c. repertoque aliquo, qui ex indiciis in suspicionem sceleris vocatur, poterit contra eum formari inquisitio specialis, de qua inferius.

47. Cum vero ad Judicem perfertur in aliquo Monasterio esse quosdam certos Monachos, qui minus religiose vivant, & scandala committant, ignoretur tamen, quænam, & qualia ista scandala sint, judex in id inquirere volens, sciat se processum incipere non posse, nisi vere præcedat infamia, & clamorosa insinuatio, hoc est, rumor, qui talem infamiam ad ipsius aures non semel, sed sæpius detulerit.

47. Cum

48. Habita vero ista clamorosa insinuatione, tenetur Monasterium illud accedere, ac in vitam taliter infamatorum inquirere per testium juratorum examina, atque veritatem cognoscere, ut scandalo occurrere possit.

§ VII.

De modo procedendi per viam Inquisitionis specialis tam quoad Personas, quam quoad delicta.

49. Processum per hujusmodi Inquisitionem pariter nequit judex inchoare, nisi infamia, seu clamorosa insinuatio, vel indicia manifesta præcesserint.

50. Infamia est communis rumor sparsus de aliquo delicto commisso; qui ut judicem ad inquirendum movere possit, necesse est, ut ortum suum habeat non a malevolis, invidis, improbis, & vilibus, sed a probis, & honestis hominibus: ut sit dissipatus per majorem partem Communitatis, in qua inquirendus moratur, & ut sæpius fuerit auribus Judicis insinuatus.

51. Indicia vero sunt quædam circumstantiæ, ex quibus cum fundamento colligi potest, quis sit auctor criminis. Hæc autem ut sufficiant ad procedendum via inquisitionis specialis, debent esse non levia, sed gravia, & hujusmodi, ut æquivaleant infamiæ: Quod obtinetur tunc, cum sint adeo publica, & multis nota, ut per se ad aures judicis perveniant, & cum tam gravia sunt, ut communiter cum delicto jungi soleant, vel cum ita violenta sunt, ut se ipsis moveant animum ad credendum absque alia investigatione.

52. Semiplena probatio, id est testimonium unius testis occulti, & jurati, licet sufficiat ad incipiendum processum via accusationis, non tamen sufficit ad inchoandum via inquisitionis.

53. Si infamia perveniat ad aures judicis non per se, sed per unius, aut alterius denuntiationem, Judex non prius incipiat inquirere de reo, quam eadem infamia probata fuerit idoneis testibus juratis, & rite examinatis: Tunc enim infamia non est per se publica, consequenter, per publicam probationem debet ei innotescere.

54. Quodsi Judex ordinarium inquirendi munus committat alteri, affirmans sibi constare Petrum v. g. esse infamatum de delicto N. Commissarius non tenebitur inquirere de infamia, sed supponet eam esse notam & probatam, consequenter immediate inchoabit judicium inquirendo specialiter in delictum Petri.

55. Potest tamen Judex, nulla præcedente infamia, modo adsint aliqua indicia, & conjecturæ, inquirere in reum, quando delictum vergit in commune damnum reipublicæ, ut est machinatio alicujus gravis nocumenti contra Religionem: vel periculum imminet gravis infamiæ, aut scandali Religionis. Quoties vero non redundant in nocumentum reipublicæ, vel alicujus innocentis, sola atro-

citas criminum non sufficit ad inquisitionem specialem, nisi præcesserit infamia, aut sufficientia indicia, vel quid aliud vices infamiæ absolute supplens, ut iam dictum est.

56. Nec ad hoc, ut de aliquo inquiri possit specialiter, satis est, quod sint contra illum scriptæ litteræ sine Nomine Auctoris, etiamsi in his litteris notati sint aliqui testes conscii illius delicti. Imo juxta aliquos, ne Paterne quidem contra sic infamatum procedi potest: Sed verius est paterne moneri talem posse, verum sub conditione, si illud scelus admiserit.

57. Quodsi litteræ subscriptæ quidem sint, sed nomine fictitio, suspendendum erit judicium, & inquirendum num hujusmodi nomine quis vocetur: Quodsi non inveniretur, pro fictitio habendum erit, & litteræ comburendæ, sed inquirendum restabit, quis eas scripserit, ut pœnis mulctetur. Quodsi auctor repertus, & is fassus fuerit, procedendum erit, prout de jure. Tales enim litteræ tunc loco accusationis, vel denuntiationis habendæ erunt.

CAPUT TERTIUM

De Ordine practico Judicii criminalis summarii.

§ I.

Quomodo inchoari debeat Judicium criminale?

1. Judicium criminale incipit a querela, sive accusatione, aut eo, quod vicem accusatoris, sive delationis sustinet, ut dictum est.

2. Cum incipit proprie per accusationem, accusatore comparente, poterit formula inhoandi Processus servari hæc, vel similis: „ Accusator scribit - Religiosissime Pater Provincialis. „ Ego infra scriptus accuso R. P. sive F. N. N. „ quod scandalosum habeat commercium cum quadam fæmina Nomine Agata N. „ quæ habitat in Civitate N. quam præfatus P. N. sæpe adit, osculatur, inhoneste „ tangit &c. Quod per testes idoneos probare paratus sum: Quare ne crimina „ inulta maneant, neve scandala præbeantur, Religiosissimam Paternitatem Ve„ stram rogo, ut illum testibus examinatis ad præscriptum constitutionum no„ strarum punire velit. Quod quidem exposco, nullo motus odio, aut vin„ dicta, sed solo justitiæ studio, ac pia in Deum, Nostramque Religionem vo„ luntate. In quorum fidem hirographum istud do, & me subscribo Anno Dni„ N. Die N. Mens: N. P. N. N. „

Quem porrectum libellum Judex accipiat, & scribi jubeat hoc modo: - „ In „ Nomine Domini Amen: Anno N. Die N. Men: N. in Monasterio N. cum „ P. N. porexisset Religiosissimo P. Provinciali Libellum accusatorium contra P. „ N. N. in sententiam hujusmodi - Religiosissime P. Provincialis. Ego infra scri„ ptus &c. (scribatur integra accusatio, sive Libellus accusatorius) Et insti„ terit

„ terit procedi contra ipsum per testes prout in Libello examinandos, Religio„ sissimus P. Provincialis eidem P. significavit, ipsum teneri ad pœnam talionis, „ in defectu probationis, subeundam, & quod velit eidem se subjicere, jussit, „ ut inferius se subscriberet. Cui obtulit etiam juramentum, quod non animo „ calumniandi querelam suam deferat, prout juravit &c. Et cum hac duplici cau„ tione accusationem ratam habuit, & Processum juridicum instituendum decrevit. Actum in Monasterio N. Anno, Mense, & Die ut supra. - Ego P. N. N. „ subscribo, & subjicio me pœnæ talionis, si in probatione defecero. Pater. N.N. „ Provincialis, P. N. N. Actuarius.

3. Si processus instituendus est per viam denuntiationis judiciariæ, hæc vero „ fiat oretenus, formula hæc vel similis observari potest: - In Nomine Domini „ Amen. Coram Religiosissimo Patre N. N. Provinciali ejusque Consultorio com„ paruit P. N, N. ac denunciavit judicialiter P. N. N. magna se cum fæmina A„ gatha N. N. familiaritate conjunxisse, & turpiter agere non sine gravi aliorum „ scandalo: His verbis - „ Religiosissime P. Provincialis: Cum P. N. N. admonu„ erim, & fraterne corripuerim de inhonesto cum muliere impudica commer„ cio, & nihil profecerim; hinc Religiosissimæ Paternitati Vestræ id nenuntio, „ ut castigetur, emendetur, & scandalo occurratur - - Quo audito Religiosissi„ mus P. Provincialis, serio & graviter adhortatus fuit P: N. N. denuntiantem, „ ut memor Dei sui judicis, non ullo pravo animi affectu, sed studio justitiæ, „ & Religionis zelo negotium denuntiationis aggrediatur. Demum indixit de„ nuntianti juramentum, quod dictum Patrem N. N. fraterne monuerit, & cor„ rexerit, is autem meliora sapere neglexerit; & quod, non odio, aut calu„ mniandi studio, sed charitate, & bono zelo impulsus, illum detulerit; prout „ tacto pectore, aut Evangelio juravit.

Et quia idem Religiosissimus P. Provincialis acceptata denuntiatione plenius „ ab eodem denuntiante edoceri voluit de circumstantiis facti, de quo denun„ tiavit P. N. obtulit ipsi juramentum etiam de veritate dicenda ad faciendas „ sibi interrogationes, prout juravit &c. Interrogatus autem fuit. 1. Quæ sit „ illa Persona, quam denuntiat, cujus Professionis, gradus, ætatis, & officii: „ An bonæ sit famæ, vel malæ, an processata aliquando fuerit: Respondit &c. „ 2. Unde sciat, quæ denuntiat: Respondit &c. 3. In quibus circumstantiis, „ id quod denuntiat, est commissum, puta in quo loco, domo, parte domus, „ quo tempore, Anno, Mense, die, an noctu, an interdiu: Respondit &c. 4. „ Per quæ indicia, aut testes hoc delictum probari possit, & debeat: Respondit &c.

Talia vel similia pro variis delictorum circumstantiis formentur interroga-

toria, eaque cum responsis ab Actuario adnotentur, exprimendo quoad ejus fieri poterit, eadem prorsus verba denuntiatoris, etsi barbara, & non satis emendata essent. Descriptis autem responsionibus, præleget eas, ut & interrogationes ipsas denuntiatori Actuarius, ut si quid perperam respondit, corrigere possit, & simul, ut judex advertat, an nihil ex necessariis omissum sit. Tandem ita actum concludet: - „ Quibus per me infra scriptum receptis, & de-
„ nuntianti prælectis, cum noluisset aliquid addere, vel demere, se subscripsit,
„ & dimissus est. Acta sunt hæc in Monasterio NN. Anno, Mense, die, &c. Ego
„ NN, affirmo, quod denuntiavi, & deposui. P. NN. Provincialis. Pr:
„ NN. Actuarius. „

4. Dum vero denuntiatio facta est per litteras, actis inseratur sub hac forma. - „ In nomine Domini Amen. Cum Religiosissimus Pr: Provincialis ac-
„ cepisset Litteras a Pre. NN. in quibus denuntiabatur, quod Pr: NN. su-
„ spectum haberet commercium &c. volens malo pro virili parte occurrere,
„ venit ad Monasterium N. ibique de hac causa certior fieri volens, ad se
„ arcessi jussit scriptorem prædictarum Litterarum, quarum erat tenor talis
„ (Describantur Litteræ, quantum ad rem pertinent) a tergo autem. Reli-
„ giosissimo Patri Provinciali NN. &c. „ Et exacto juramento, cum inter-
„ rogavit: 1. An sciat suæ vocationis causam? 2. An scripsit ad Pro-
„ vincialem Litteras. & quas, vel an eas ab alio scribi fese fecit? 3. An re-
„ cordetur, quod fuerit argumentum ipsarum? 4. Quid movit illum ad
„ scribendum? 5. An sciat alios ea de re scripsisse, & quomodo id sciat?
„ 6. *Ostensis Litteris*: An eas cognoscat a se scriptas? 7. An totum,
„ quod exposuit, verum est? 8. An ille, contra quem scripsit, sit suus ini-
„ micus? 9. An eum de tali crimine monuit? 10. An non animo calumi-
„ andi, seu injuriandi, & vexandi, sed bona fide delictum fratris denuntiet?
Act: &c. Pr. NN. denuntiator &c. Pr. NN. Provincialis Pr. NN. Actuarius.

5. Si Provincialis procedat per viam inquisitionis Generalis, poterit Processus hoc modo inchoari. - „ In Nomine Domini. Cum ad aures Religio-
„ sissimi Patris Nostri Provincialis non semel rumor confusus pervenisset,
„ multas. & graves transgressiones, & scandala vigere in Monasterio N.
„ quæ seriam postulant correctionem, volens pro munere, mala hujusmodi radicitus
„ evellere, decrevit generalem & juridicam Inquisitionem tum in caput, tum
„ in membra Communitatis ejusdem Monasterii instituere. Anno igitur N.
„ Mense, die, &c. ad prædictum contulit se Monasterium; & convocato
„ Cœtu ejusdem Monastico, omnibus Visitationem intimavit, exhortatione præ-
„ missa, ne, quæ tacenda sunt, dicerent, sed ea tantum indicarent, quæ de
jure

„ jure Superioribus aperiri debent, eisdem injungens, ne ullo modo revelanda „ celarent, vel inordinata affectione contra suos Fratres moverentur, aut „ aliquid contra justitiæ, & charitatis Præceptum effutirent. Eodem igitur die „ vocatus comparuit in cubiculo coram eodem, & me actuario infra scripto Pr. „ vel Fr. NN. cui delato juramento de veritate dicenda, prout juravit, fuit „ interrogatus: An in illo Monasterio Divinum officium, oratio mentalis. & „ alia pietatis exercitia debite celebrentur? Respondit &c. Interogatus an Re„ gulæ & Constitutiones, observentur? Respondit &c. An vigeant transgressi„ ones Votorum, & an aliquod scandalum commissum sit in, vel extra Mo„ nasterium? Respondit &c. Et sic deinceps interroget generatim; diligenter „ autem caveat, ne inquirat de aliquo in peculiari. Quodsi visitatus ex se de„ poneret aliquod scandalum commissum fuisse, delinquentem vero non indica„ ret, debet Judex Visitator inquirere, a quo fuerit scandalum commissum, „ quo loco, quo tempore, qua occasione, coram quibus, quomodo hoc „ sciat? An de tali scandalo sit publica, vel privata notitia? An Superior „ localis delinquentem punierit, vel correxerit? & an delinquens se deinceps „ emendarit? Atque hac ratione interrogandi sunt alii Monachi juxta ordi„ nem, debentque eorum dicta, per extensum describi verbis deponentium „ propriis, quoad fieri poterit. Examen autem terminandum erit hoc modo - „ Et sibi prælecta per me Actuarium sua depositione, cum noluisset eidem aliquid addere, vel demere. subscripsit, & dimissus est: Ego Pr. NN. affirmo, ut supra. Ego NN. Provincialis. Ego NN. Actuarius.

6. Cum proceditur via inquisitionis specialis quoad personas, & Generalis quoad delicta, sic Processus institui poterit. - „ In Nomine Domini. „ Anno, Mense, Die - Cum ad aures Religiosissimi Patris Nostri Provincialis „ pervenisset non semel, sed sæpius a probis, & honestis viris, quod in „ Monasterio N. PP. NN. nequiter vivant, & quædam patrent scelera, adiit „ istud Monasterium, assumpto me Secretario Provinciæ in Actuarium, ut „ videret, an res se ita haberet, ac ut scandalo pro virili parte obviam „ iret. Inquirere itaque volens in infamatorum consuetudinem, ac vitæ ratio„ nem, illos, qui sunt prædictis familiariores examinavit, & in testes adhi„ buit: Et primo acciri jussit Fr. NN. Laicum, cui detulit juramentum de „ dicenda veritate, quo præstito interrogatus fuit 1. An quomodo, & ex quo „ tempore cognoscat Patres NN. 2. Cujus opinionis ac famæ, tam apud „ se, quam apud alios ipsi sint? 3. Cur ejusmodi infamia laborent? 4. A „ quo tempore hæc de iis opinio circumferatur, & quomodo id sciat? 5. „ An de aliquibus delictis in particulari sint diffamati, & unde hoc sciat? „

Atque hac ratione examinari poterunt alii : qui depositionibus suis una cum Provinciali, & Actuario subscribent.

7. Quando proceditur via inquisitionis specialis quoad delictum, Generalis vero quoad Personas, potest sic Processus formari - „ In Nomine Domini: „ Anno, Die, Mense: Cum ad aures Religiosissimi Patris Provincialis pervenisset P. vel F. NN. fuisse in Monasterio N. vulneratum, assumpto me Secretario Provinciæ in Actuarium, ad prædictum Monasterium, ibique ad Cellam „ Patris NN. se contulit, eumque in lecto decumbentem reperit gravi vulnere in dextra maxilla affectum. Quo vulnere per eundem Religiosissimum „ Provincialem inspecto, ac examinato, patuit gladio illud inflictum, & „ oblongum ad duos circiter digitos fuisse. Et delato per eundem Religiosissimum Provincialem juramento de veritate dicenda Pri. NN. vulnerato, „ prout tacto pectore juravit, illum interrogavit. 1. Quonam pacto, & a „ quo tempore sic vulneratus esset? Respondit: - Dum e. g. nocte illa, vel „ illa pergens ad matutinum, meæ Cellæ januam clauderem, tale vulnus accepi. Interrogatus. 2. Quis eum vulnerasset? Respondit: nescio, carebam enim lumine, is autem statim fugit. Interrogatus. 3. Quem credat, seu suspicetur fuisse, qui eum sic vulneravit? Respondit Pm: N. „ fuisse puto, eo quod pridie rixati essemus, & ille mihi minatus sit: Interrogatus. 4. An aliquis adfuerit, quando contentionem cum Patre N. „ habuit? Respondit adfuisse PP. N. & N. Interrogatus: 5. An animo calumniandi, aut odio P. N. nominaverit? Respondit: propterea se eum „ nominasse, quia credebat eum id fecisse, non tamen ex odio, aut studio „ calumniandi. Quibus acceptis responsionibus idem P. Provincialis eundem P. „ N. vulneratum ad patientiam ferendam veniamque percussori tribuendam est „ adhortatus. Acta sunt hæc in præfato loco Monasterii Anno, Die, Mense, & per „ me Actuarium supra dictum descripta. Pr: NN. Provincialis. Pr: NN. Secretarius Provinciæ, & Actuarius, Pr: NN. puta vulneratus.

„ Postea Religiosissimus Pr: Provincialis in Cellam suæ solitæ residentiæ se „ recepit, ubi matura de patrato delicto deliberatione instituta, cum vidisset „ illud adeo esse grave, ut sine maxima Dei & proximi injuria nequeat tolerari, pro indicando delinquente, testes examinari statuit, & quidem eodem loco, & die vocandum ad se curavit A. R. Pm. NN. ejusdem Monasterii Superiorem, eique de veritate dicenda, oblato juramento, quod & „ præstitit, interrogavit illum. 1. An & quomodo cognoscat Pm: NN. „ (ponatur hic nomen vulnerati) 2. An illum sciat fuisse vulneratum? 3. „ Quo pacto id sciat? 4. An audiverit dici? 5. A quo, ubi, qua occa-

„ sione

„ sione, quibus præsentibus? 6. An eum cum aliquo contendisse sciat: cum „ quo, qua occasione, quibus præsentibus? 7. Quomodo sciat? 8. An „ illum a Patre NN. (ponatur hic Nomen, quem vulneratus nominavit tan- „ quam Auctorem criminis) existimans fuisse vulneratum &c. Et sic ordine „ examinandi sunt alii: qui suis depositionibus una cum Provinciali, & A- „ ctuario subscribent. „ -

8. Quodsi Provincialis ita sit impeditus, ut per se corpus delicti inspicere, & examinare non possit, ac proinde id alteri committat, poterit ita inchoari processus. - „ In Nomine Domini. De mandato Religiosissimi Patris „ Nostri Provincialis in præsentia Reverendorum Patrum NN. testium, ac „ Notarii NN. ad hoc assumptorum, Visitatus est a me in Monasterio N. in „ loco N. Pr: NN. in lecto decumbens unicó vulnere in dextra maxilla &c. „ Ut superiore Nro 7. dictum est. (Formam autem incipiendi Processum) in inquisitione Generali, quoad Personas tantum, si delictum sit facti transeuntis, ex dictis hic. Cap: 2. se ipso quisque concipere poterit.

9. Quando proceditur per viam inquisitionis specialis, tam quoad Personas, quam quoad delicta, hæc vel similis forma adhiberi poterit. - „ In „ Nomine Domini. Cum Religiosissimus Pr: NN. Provincialis fama deferente, „ clamorosaque insinuatione prosequente, non semel, sed sæpius, non a „ malevolis, verum a probis, & honestis viris accepisset quod Pr. NN. in Mo- „ nasterio N. Nomen Domini impie blasphemare cum audientium non parvo „ scandalo audeat; habito maturo consilio, & assumpto me NN. Secretario „ Provinciæ in Actuarium, decrevit ad hoc scandalum tollendum contra Pm: „ NN. super eo inquirere, ac omni meliori modo, juxta juris nostri præ- „ scriptum, & Constitutiones procedere. - „

Quodsi famam probari, adeoque in eam prius inquiri oporteat, subjungatur. - „ Itaque videre volens, an res ita se haberet, de infamati consuetudine, „ ac vitæ ratione, nonnullos ejusdem Monasterii Monachos examinavit, ac in „ testes adhibuit. Et primo vocari jussit Pm: NN. &c. conformiter ad ea, „ quæ hoc capite Nro 6. dicta sunt.

„ Postmodum scire volens an famæ tam perversæ veritas ipsa respondeat, „ testes super ipso facto examinavit. Et primo vocatus est Pr: NN. cui de- „ lato juramento super dicenda veritate, quod & præstitit, interrogatus est. „ An sciat causam suæ vocationis? 2. An cognoscat Pm: NN. & a quo tem- „ pore? 3. An illum unquam blasphemantem audiverit; quas blasphemias „ protulerit, quo loco, quo tempore, quibus præsentibus, quoties? &c. 4. An illum „ reprehenderit, & quid ille dixerit? „ Debent singuli suo examini sibi præ-

lecto

lecto subscribere. Solet etiam, dum testes examinati dimittuntur, praeceptum illis imponi, ne de his alicui loquantur.

10. Ad hunc modum proceditur etiam cum Provincialis cognito ex visitatione & inquisitione Generali aliquo delicto notorio, atque infamato, quod nec Paterna, nec judiciali correctione fuerit emandatum, commutandum judicabit forum Paternum Judiciario, ac inquirere volet specialiter tam in personam, quam in delictum.

§ II.

De Examine Testium.

11. Si Processus instituitur per viam inquisitionis specialis, vel mixtae, formulas jam habet descriptas Paragr: praecedente, ut & ea tradita Cap: Superiori, quae sunt necessaria ad hujusmodi inquisitionum notitiam. Si vero procedatur per modum denuntiationis juridicae, haec forma adhiberi poterit. - „In „Nomine Domini: Anno. Die, Mense: Ut officii sui partes postulant, pro„videre de justitia volens, juridicas super dicto N. (exprimatur) informa„tiones capiendas decrevit, propterea ad testium examen censuit deveniendum. „Quamobrem acciri jussit. Pm: NN. Testem super isto delicto a denuntia„tore productum aetatis Annorum 30. Religionis vero 10. Cui obtulit de veri„tate dicenda juramentum, prout & juravit: Et primo quidem interrogatus „est, An sciat causam suae vocationis? An cognoscit Patrem NN. Cujus „famae sit Pater iste apud ipsum & alios? An scit ipsum habere commer„cium cum faemina. NN. Quomodò id sciat &c. An viderit e. g. quo loco, „& tempore viderit? An alii essent praesentes, & qui? An amore, odio, „vel alia animi motus passione talia deposuerit? Tum Religiosissimus Pr: Pro„vincialis mandavit dicto Patri NN. ut proprio examini subscriberet, prout le„ctis eidem prius dictis depositionibus propria manu subscripsit. Qua subscri„ptione habita, eum dimisit, praecipiens ei, ne cui de his loqueretur. Actum „Die, Mense, Anno quibus supra. Pr. NN. Testis. Pr: NN. Provincialis. „Pr: NN. Actuarius.

12. Quodsi procedatur per viam accusationis, simili modo formari poterit formula mutando ly a denuntiatore, in ly ab accusatore.

13. Testibus ab accusatore productis, eo quo dictum est modo examinatis, debet Judex eorum depositiones considerare, ut sciat, quid agendum sit. Nam si eos aut singulares, aut discordes, aut varios, aut vacillantes, aut alias nihil concludentes invenerit, accusatum vocare, aut reum constituere, vel interrogare non debet, sed accusatore vocato, illum poterit admonere, ut vel ab accusatione desistat. vel alios testes producat. Quodsi destiterit, & humiliter se gesserit, poterit mitius Provincialis cum illo agere, levem aliquam ei poenam

ei pœnam irrogando, aut etiam impunitum, sed graviter admonitum dimittendo pro sua prudentia, quia tunc accusatus non est gravatus.

14. Quodsi accusator in sua persistens malitia testes proferret alios, qui tamen etiam nihil examinati concluderent, pœna talionis, aut alia gravi extraordinaria plectendum eum statuet, cum illius suo jure id poscat malitia.

15. Quodsi testes contestes fuerint, id est tales, qui de eodem facto, loco, tempore, persona, aliisque circumstantis ad facti substantiam pertinentibus, & necessariis deponerent, aut eorum alter omni exceptione major, ita deposuerit, ut factum ipsum concluserit: aut ex testium dictis indicia aliqua gravia, ac ita sufficientia adfuerint, ut iis motus Judex judicaret reum de jure esse constituendum, illum citare, ac vocare debet formatisque ex testium depositionibus, Capitulis illum examinare, ac interrogare debet, modo qui sequitur.

§ III.

De citatione & examine Rei.

16. Captis informationibus per superius expressos modos procedendi, si contra aliquem sint indicia gravia, vel semiplenæ probationes, ante omnia citandus est reus priusquam aliud contra ipsum intentetur.

17. Si absens fuerit, poterit citari per Epistolam a Provinciali per aliquem fidelem ei consignandam, ut ad Provincialem veniat tractaturum cum ipso de re quadam peculiari, tacita vel intimata causa speciali contenta in Processu. Si vero fuerit præsens in Monasterio, per quemlibet Monachum poterit vocari, ut veniat ad Provincialem.

18. Si reus citatus compareat, Judex ante interrogationem aperiat ipsi statum causæ suæ sub universalibus terminis nullo expresso non solum nominé, sed neque etiam dicto testium, nulloque detecto particularium certo indicio, sed tantum in genere dicat, ipsum apud se esse diffamatum, haberique contra eum semiplenas probationes, ut cogitet, quid respondere teneatur, cum talis status causæ id requirat.

19. Si reus sponte, & humiliter sine ulla jussione Provincialis confiteatur delictum, non est ulterius procedendum ad alias probationes, sed statim ex sui oris confessione per sententiam definitivam condemnari potest, mitius tamen: Quæ sententia in scriptis concipi & prælegi debet.

20. Si nihil ipse de delicto suo dicat, ad interrogationem procedendum est. Et quamquam ipsi juramentum de dicenda veritate circa interrogationes imponi possit, ordinarie tamen imponendum non est, propter vitandum periculum perjurii, nisi pertinaciter crimen negaret, & veritas aliter elici non posset.

21. Forma examinandi, & interrogandi reum hujusmodi esse potest: – „ In „ Nomine Domini Amen. R. P. NN. Hieromonachus sive Laicus ætatis suæ „ 40. Anno, Religionis vero Vicesimo, denuntiatus, vel accusatus, de „ furto e. gr: vocatus, ac personaliter constitutus coram Religiosissimo Patre „ NN. Provinciali, monitus, quod contra eum essent indicia sufficientia, & „ testes fere convincentes, ac delato eidem juramento de veritate ad interro- „ gationes dicenda, prout tacto pectore, vel (si sit Laicus) tacta S. Cruce „ juravit (si tamen juramentum necesse sit adhibere, ut superius dictum est) „ ad opportunas interrogationes, respondit, ut sequitur. 1. Interrogatus: „ An sciat, vel conjiciat suæ vocationis causam? 2. A quo tempore in Mo- „ nasterio hoc commoretur? 3. An audiverit in isto Monasterio furtum esse „ commissum? 4. An in Cella Patris NN. viderit talem rem? 5. An sciat „ quis eam abstulerit? 6. An ipse non surripuerit? &c. Quodsi crimen „ fateatur, ponatur in fine. – „ Quibus habitis, Religiosissimus Pater NN. „ Provincialis jussit eidem Patri, ut proprio examini subscriberet, prout le- „ ctis prius sibi dictis ejus depositionibus subscripsit. P. NN. examinatus. P. „ NN. Provincialis. P. NN. Actuarius „ – Qua subscriptione habita Reli- „ giosissimus Pater Provincialis mandavit, ut recta se ad suam conferret cellam, „ nec cum aliquo loqueretur, sub pœna monotopii.

22. Quodsi reus esset, de fuga suspectus, posset statim ad monotopium mitti. Quodsi factum neget, adnotetur in Actis: Provincialis autem serio eum moneat, ut veritatem fateatur. Quosi negare pergeret, poterit Provincialis eum cogere sub censuris, ut veritatem fateatur, vel sub subtractione cibi, vel potus, aut triusque simul ad certum tempus, hoc est ad secundum examen, dando illi spatium sufficiens ad deliberandum de confessione facienda.

23. Antequam vero sententia condemnatoria ferri debeat, reus edocendus est de statu causæ suæ, de indiciis, de probationibus per depositiones testium (quorum tamen Nomina nunquam prodi debent) ut tempus habeat cogitandi, quomodo se defendat.

24. Si tamen reus aliunde in notitiam testium venisset, fas ipsi erit in progressu examinis detegere eorum occultos defectus veros ad reddendum invalidum eorum testimonium, dummodo id sit necessarium ad causæ justam defensionem, & evitandum malum, quod alias pateretur.

25. Debet dari reo etiam advocatus, ex Monachis tamen, si reus ipse postulaverit; Ipso vero non poscente, & criminalium judiciorum imperito, debet ipsi proponi aliquis idoneus ad ipsum defendendum, quia id jure naturali cavetur, ut si reus se solo non possit, defendat se omni meliori modo.

26. Hæc

26. Hæc autem reorum defensio ita a Viris doctis esse necessaria perhibetur, ut nec supremus Ordinis moderator eam denegare possit, nec ipse reus, quando agitur de graviori, & gravissima corporis pœna, aut infamia, possit eidem renuntiare, nisi forte, termino ad defendendum se a Judice statuto, reus sponte sua illi renuntiaret.

27. Cum autem vel Judices imponant reis, ut se Canonice purgent, vel rei ipsi juridice postulant, ut se Canonice purgare possint, agendum paucis censemus, etiam de purgatione Canonica.

§ IV.

De purgatione Canonica.

28. Cum purgatio Canonica indicitur ab ipsomet Judice, hoc fieri debet modo. Primum scilicet constare debet reum inquisitum laborare criminis infamia, vel accusatum ita defectu plenæ probationis remanere suspectum de crimine, ut immunis aliter ab eo nequeat judicari, nisi adhibita Canonica purgatione. Tandem dies ipsi præstituendus est in scriptis a Judice, quo coram judice comparendum sit ipsi cum quinque, vel sex compurgatoribus a se nominandis, qui sint probatæ vitæ, & morum inculpatorum, qui jurare possint, se credere dictum infamatum verum jurasse, vel crimen illud non admisisse. Tum debet Judex, reo purgatione acceptata comparente cum suis compurgatoribus coram se, suoque Notario, vel aliis testibus ad id assumptis, instruere compurgatores de causa, & crimine, de quo fuit reus diffamatus, hoc est, debet reddere ipsis perspectam originem, & fundamenta, ex quibus talis infamia contra ipsum exorta est, & cur ipsi purgatio Canonica indicta sit, quæ in eo consistit, ut ipse purgandus juret se tale crimen, de quo laborat infamia, non commisisse, & compurgatores etiam juramento adfirment, se credere, eum verum jurasse, vel crimen non perpetrasse.

29. Compurgatoribus paratis ad id præstandum, Judex præsentibus ad hoc assumptis testibus, & ipsis compurgatoribus exigit a purgando juramentum de dicenda veritate ad interrogationes: Quo præstito, interrogat: An tale furtum v. g. cujus fuit insimulatus, perpetravit? Respondet, non: Deinde interrogat: An non mandavit, aut consuluit, ut committetur? Purgandus respondet, non: Judex; An non faverit saltem furi, aut suo nomine factum, num ratum non habuerit? Purgandus, non: Judex: juret ergo super his: Purgandus: - „ Ego NN. Juro per Deum, & per Quatuor Sancta Evange„ lia, me tale furtum non commisisse, nec mandasse, nec consuluisse, nec „ favisse, nec meo nomine factum, ratum habuisse. „ - Si autem crimen fu„ erit Personale, ut est, blasphemia, lapsus carnis &c, sufficit dicere: „

„ Juro

„ Juro me tale crimen non commisisse . „ .

30. Quare sponsione accepta, Judex purgandum dimittit, ac post ejus discessum interrogat compurgatores, an bene omnia intellexerint, quæ purgandus juravit: Qui respondent: optimè intelleximus. Tum Judex omnes compurgatores dimittit, excepto uno, cui & juramentum defert de dicenda veritate super interrogandis, quo præstito: Interrogat. 1. An istum purgandum bene noscat, & quomodo, seu unde? Respondet optime novi, quia diu cum ipso habitavi, & observavi semper in pretio, & amore ipsi fuisse vitæ probitatem. 2. Interrogat: An amore inordinato, vel aliqua passione, aut promissione moveatur ad illum purgandum? Respondet: nihil me movet, nisi amor veritatis, & charitas ad tuendam innocentiam infamati. 3. Interrogat: An credat illum verum jurasse? Respondet: Credo: Quia ipsum semper habui in numero honestorum Virorum. Demittit tandem Judex ipsum, & vocat alium compurgatorem, quem pariter examinat, ut & reliquos alios.

31. Si purgatio Canonica fiat ad instantiam infamati, eodem fere modo peragitur, nisi quod compurgatorum minor esse possit numerus, imo quod sufficiant solum duo. Semper tamen purgatio debet esse publica, si publica fuit infamia delicti. Ità autem purgatus liber per sententiam Judicis debet declarari ab illa infamia, & infamatores puniri.

32. Forma sententiæ absolutoriæ pro Canónice purgato potest esse talis: „ In Nomine Domini Amen. Nos NN. Provincialis &c. ut supra: Visis, ac diligenter discussis omnibus, & singulis in causa coram Nobis actitata contra Patrem NN. signanter quod &c. (ponatur series delicti) cum nihil contra dictum Patrem NN. quod ejusmodi crimen sufficienter, multo minus efficaciter probaret, allatum esset, nisi gravis de ipso infamia, Canonicam ei purgationem indiximus; Qua cum rite secundum sanctiones Canonicas coram nobis purgatus esset, Deum habentes præ oculis, cui soli internorum patent arcana, prævia hac purgatione Canonica Rei, eundem innocentem declaramus, ac præsenti sententia ab omni culpa, & pœna absolvimus, absolutumque pronuntiamus, nec de jure ultra punibilem censemus, & pro absoluto, ac penitus libero omni loco, & tempore haberi volumus, ac mandamus, & causæ huic perpetuum silentium imponimus &c. Lata, lecta, & publicata fuit ista sententia in Monasterio Nostro N. Anno, Die, Mense, N. Patre N. & Patre N. Testibus ad hoc vocatis, & rogatis. Ita pronuntiavi Ego Pr: NN. Provincialis: Pr. NN. Secretarius.

§ V.
De Sententia a Judice ferenda.

33. Sententia

33. Sententia judicialis duplex est, alia interlocutoria, alia definitiva: Prior est, quæ profertur non super de causa principali, sed super aliquo incidenti, puta de repellendo accusatore, vel teste aliquo inhabili: Definitiva autem est, per quam definitur principalis quæstio & causa. Hæc etiam est duplex Condemnatoria, & absolutoria, Condemnatoria vocatur, qua reus legitime convictus ad justam pœnam condemnatur ob delictum ab ipso admissum. Absolutoria verò, qua reus accusatus, denuntiatus, aut inquisitus in judicio declaratur innocens, sive immunis a delicto.

34. Ad ferendam sententiam Condemnatoriam in criminalibus non sufficiunt quævis indicia, etiam violenta, & indubitata, sed requiritur, ut reus vel sit convictus, per testes, contestes omni exceptione majores, vel ipse suum crimen sit libere confessus in judicio.

35. Imo licet sit convictus, vel confessus, non debet Judex statim ferre in reum sententiam, sed primum eum debet vocare, ut, si quid pro sui defensione habeat, possit adducere. Debet autem benigne audiri, dum aliquid vel in sui defensionem, vel ad sui excusationem adducit. Quodsi nihil adduceret, procedatur ad sententiam.

36. In ferenda sententia Condemnatoria adtendendum est ad pœnas Legibus, & Constitutionibus Congregationis præscriptas. His vero deficientibus, procedendum, ut superius dictum est Cap: 2. Num: 10.

37. Potest Judex Regularis pœnas Constitutionibus æstimatas justa de causa moderari, præsertim si reus accusatus statim sponte confessus fuit crimen, & humiliter se subjecit correctioni: Jtem, si ex diminutione pœnæ certior speretur delinquentis emendatio. Denique minuendi pœnam causa justa est quævis circumstantia, ex qua delictum reddatur levius.

38. Ad audiendam sententiam citandus est semper reus, prælegi autem ipsa potest vel ab ipso Judice de jure communi, vel per Notarium de consuetudine. Non refert autem, an sententia a Judice Regulari feratur de die, vel de nocte, An die juridico, seu non feriato, an vero feriato: Item an sententia constet certis formulis v. g. in principio: In Nomine Domini: - & in fine: : Lecta publicata. - Nam hæc omnia sunt de apicibus juris, adeoque non stringunt Judices regulares. Debet autem Judex, & Conjudices Consultores, uti & judiciorum Notarius subscribere sententiam, non quidem ad ejus substantiam, quia etiam sine tali subscriptione valeret, sed ad faciliorem probationem, cujus causa etiam, sigillum Judicis solet apponi.

39. Formula sententiæ Condemnatoriæ poterit esse hujusmodi. „ Nos NN. „ Provinciæ N. Provincialis una cum suo Consultorio Judex Ordinarius. Vi-

„ sis a Nobis, ac diligenter discussis omnibus & singulis in Causa, vel Causis, „ coram Nobis actitatis contra NN. signanter de & super NN. (ponatur „ crimen, super quo factus fuit Processus) de quo præfatus NN. fuit accu- „ satus, vel denuntiatus, vel inquisitus, & mature consideratis testium de- „ positionibus contra prædictum NN. super memorato crimine, ipsoque ci „ tato, interrogato, & sufficienter audito in omnibus suis defensionibus, „ solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, „ quam in scriptis ferimus Christi Nomine invocato, sententiamus, declara- „ mus, pronuntiamus, & definimus prædictum NN. fuisse plene per testes in- „ tegros, atque incorruptos de crimine N. convictum: Ac proinde, ne deli- „ ctum maneat impunitum, ipsum juxta Constitutiones Congregationis Nostræ ad „ pœnam N. condemnandum esse judicavimus, prout de facto condemnamus. „ Atque sic dicimus, & sententiamus non solum hoc, sed alio meliori modo, „ via, & forma, quibus de jure possumus. & valemus. Datt. N. Anno, „ Mense, Die. Nos qui supra NN. Provincialis. - Tandem Consultores Conjudices subscribant similiter. „ Lecta & publicata per me infra scriptum „ Provinciæ N. Secretarium, in Monasterio N. Anno, Mense, Die ut supra Pr. „ NN. Secretarius, & Actuarius. „

40. Si reus delictum sponte sua confessus est, ponatur ut supra. - „ Di- „ cimus, pronuntiamus Pm. NN. commisisse crimen N. prout ipse ore pro- „ prio, & sponte sua confessus est. „ - Si vero circumstantia mereatur diminutionem, scribatur: - „ Quia vero sponte confessus est, & remisit se „ pietati Patris Provincialis, & Conjudicum, & suis defensionibus renunti- „ avit, ideo remittendum de rigore pœnæ in illum judicavimus, prout de „ facto judicamus. Ac proinde condemnamus illum solum in pœnam N. re- „ servantes Nobis Provinciali jus, & arbitrium talis pœnæ diuturnitatem mo- „ derandi, prout judicaverimus pro tempore salubriter expedire. Sic dicimus „ & sententiamus „ ut supra.

41. Si sententia Condemnatoria sit condenda in casu notorii: - „ In No- „ mine Domini Amen: &c. - Dicimus pronuntiamus, & declaramus notorium „ esse, quod NN. sit repertus de jure puniendus, & condemnandus, pro- „ pterea, quod notorie perpetravit &c. Idcirco condemnamus eum ad pœnam N. &c. Si vero in casu reperti in flagranti, data rei confessione, sive non: - „ Dicimus, pronuntiamus, & declaramus NN. reum repertum fuisse in fla- „ granti delicto (describatur cum suis circumstantiis) proinde esse puniendum „ ad præscriptum Epitimiorum, & statutorum Nostrorum &c. - „ Quapropter condemnamus ipsum ad pœnam N. &c.

42. Harum

42. Harum & aliarum sententiarum formas dabunt scriptores Regulares praxium huic foro usitatarum. Quæ tamen possunt, quibuscunque verbis fieri, dummodo substantialia, de quibus egimus, in iis exprimantur, puta in sententiis condemnatoriis. - Delictum, Condemnatio, & Pœna: - In absolutoriis - Delictum, & absolutio. Causa autem, seu motivum absolvendi, aut condemnandi utiliter quidem exprimitur, non tamen necessario, cum tacite insit, nec ullo jure præcipiatur exprimi, præsertim in judicio summario.

§ IV.

De Appellatione.

43. Non possunt nostri a sententia definitiva Superiorum appellare, si hæc contineat pœnam in numero Epitimiorum positam, ac per Constitutiones nostras æstimatam. Nam appellatio adinventa est ad tollendum illatum gravamen, quod non infertur Monacho, dum corrigitur, & punitur secundum Regulam, & Constitutionem, Quia ex vi Voti Obedientiæ, & Professionis ad ea se sponte obligavit.

44. Possunt tamen appellare, cum per definitivam pœna infligitur gravissima, hoc est, dum vel gravior imponitur, quam per Constitutiones taxata sit; vel tali subeunda decernitur modo, qui novam reo irrogat infamiam; vel denique dum infligitur non diminuta, si sunt in reo quædam circumstantiæ quæ delictum insigniter imminuunt.

45. Possunt etiam appellare a sententia Interloquutoria, dum per hanc pœna irrogatur irreparabilis, hoc est, quæ per sententiam Definitivam, ut vult Triden: reparari nequit: Ut si per talem sententiam vel testis adductus a reo in sui defensionem sine causa repelleretur, vel advocatus a Judice petitus denegaretur, vel reus carceri mancipari, aut torqueri juberetur &c.

46. Non possunt tamen appellare ab Epitimiis medicinalibus, & correctivis, cujusmodi sunt, quæ pro levibus, mediis, & gravibus culpis sunt præscripta, nisi Superior in iis assignandis excederet modum: Ut si pro pœna unius jejunii, infligeret pœnam duorum, vel trium jejuniorum: Sed & in hoc casu nonnisi iis adimpletis appellandum erit, ut volunt Decrett: Sæ. Congr:

47. Licet, de jure communi, reus intra decem dies a die latæ sententiæ appellare debeat, quia tamen per Clementt: 2dam. D. V. S. Appellationes dilatoriæ non sunt observandæ in judicio summario, poterit Judex spatium istud restringere ad duos, vel tres dies: Hi enim sufficiunt Viro Religioso ad deliberandum, num appellare velit, nisi causa gravissima aliud exigeret.

48. Appellaturus appellationis suæ causam adferre debet, si ab interloquutoria, vel a correctione in devolutivo appellatur, non vero si a definitiva;

Quia

Quia Judex pronuntiata definitiva, functus est officio suo, & nihil jam reliquum sibi habet, nisi exequendam curare sententiam, puta quoties appellatio talis non est, ut exequutionem suspendat sententiæ.

49. Appellatio ut valeat, gradatim facienda est, ita, ut semper ad immediatum Superiorem Judicis, a quo, appellatur, puta a Superiore ad Provincialem, a Provinciali ad Proto-Archimandritam, a Proto-Archimandrita, ad Metropolitanum, salva tamen semper Apostolicæ Nuntiataræ, & Ejusdem Sedis auctoritate.

50. Appellatione facta debet reus, vel eodem contextu, quo appellat, vel alio die, modo id fiat intra Triginta dies a die, quo habuit potestatem appellandi, petere a Judice, a quo, Litteras dimissorias accedendi Judicem, ad quem; Nam alias haberetur pro non appellante, & factæ appellationi renuntiasse præsumetur.

51. Porro Litteræ dimissoriæ, sive apostoli, ut in jure vocantur, alii sunt refutatorii - quibus Judex a quo significat se appellationi non detulisse: alii reverentiales - in quibus Judex ob solam reverentiam Superioris defert appellationi, alias deferre non deberet: Alii simpliciter - Dimissorii . - quibus Judex defert simpliciter appellationi, & appellantem ad Judicem Superiorem dimittit.

52. Judex, a quo, & si reum perperam appellare secum in animo reputaret (nisi appellatio notorie esset frivola) si reus tamen in appellatione, & petitione apostolorum persistat, eosque etiam, atque etiam instanter, instantius, instantissime petat, debet appellationem admittere, & apostolos saltem refutatorios dare.

53. Formulas appellationum, ut & apostolorum videsis in praxibus, nos eas missas facimus, ut ordini judiciario finem imponamus, quo utinam nunquam nostra opus habeat Congregatio.

CAPUT QUARTUM.

De Epitimiis, sive de Pœnis infligendis in Ordine Nostro.

§ I.

De culpis, & Epitimiis Levibus.

1. Leves culpæ sunt quotidianæ noxæ, quæ passim ex negligentia, passim ex levitate, & inconsiderantia admittuntur: ut intempestiva colloquia serere: ad Chorum, Refectionem, scholam, aliaque communia officia dato signo tardius accedere: In Ecclesia, Refectorio, & aliis locis publicis vagis occulis, aut motu irreligioso delinquere; Vestimentorum rationem non habere: Cellam

alternis saltem diebus verri non curare, in eadem confuse, incomposite, & sine ordine reculas collocare: aliorum Cellas sine petita, ac obtenta benedictione ingredi, & alia hujusmodi.

2. Pro supra dictis culpis, & similibus, juxta qualitatem culpæ Epitimia imponantur, servato, quam maxime fieri poterit, præscripto Regulæ Fus: 15. Possunt imponi quoque metaneæ communes, ita tamen, ut non excedant numerum 50. Precationes aliquæ in medio Refectorii, ut - Miserere mei Deus: - Parva mensa, & similia.

3. Quodsi quis in hujusmodi culpas sæpius relaberetur, nec se emendare curaret, poterunt pœnæ præscriptæ augeri, aut illæ, quæ ad mediarum classem pertinent, adhiberi.

§ II.

De Culpis & Epitimiis mediis.

4. Culpæ mediæ censentur: ab oratione mentali, aut aliqua notabili chori parte abesse: Egredi ante finem communis functionis sine Superioris licentia, & levi ex causa: Confessionem, aut Communionem designatis ad id diebus omittere: Ad præscriptum Tabulæ sacrificandi non statim dato signo, ad Ecclesiam se conferre. Rem Communem Monasterii, vel Ecclesiæ negligenter tractare, frangere, aut lacerare: In libris ad usum ex Bibliotheca acceptis paginas complicare, notas suas scribere: Altari præsertim majori debitam reverentiam non exhibere: contra victum communem leviter intra Monachos obmurmurare: Munuscula in esculentis, poculentis, aliisque minoris momenti rebus, inscio Superiore, admittere: habita egrediendi facultate; ultra tempus constitutum moras trahere, ad Monasterium redeundo Superiori, aut ipso impedito, Vicario non se sistere: Res aliquas ex communibus officinis, sine scitu Superioris, utendas accipere: Per easdem officinas divagari: Famulos, ex officio ad se non pertinentes, reprehendere, aut increpare: In Xysto sive pergula Monasterii clamores facere, aut cachinnari, pensum injuncti operis, sive cujuspiam manualis laboris, non persolvere, aut negligenter illud reddere: Sodales Monachos leviter convitiari, aut per risum, sive jocum leviorem, ludificari; Noctis silentium per colloquia violare, aut eodem tempore cellas aliorum sine urgenti causa ingredi: Prævertere tempus refectionis sine licentia, & necessitate, aut privatim, extra mensam communem comedere cibum, aut potum ab externis procurare &c. &c.

5. His & similibus culpis curandum est, ut Superioris arbitrio singulis peculiaria remedia applicentur. e. g. ob somnum a mediatione & matutino abfuit? prostratus humi in Refectorio sub centone cubet aliquamdiu - Fratrem convitio, vel joco imprudenter læsit? Eum placare osculo pedum studeat. Præter tempus

cibos sumpsit ? Postridie suo tempore jejunet. Procurare extra Monasterium cibum aut potum deprehensus est ? Obsonio certo per hebdomadam in mensa communi careat, & tamdiu etiam potu ejusdem speciei abstineat. Munuscula privatim admisit ? Ea communi usui addicat. Vagari observatus est ? Conclusus in circulo stet per tempus refectionis. Rem communem fregit ? Nixus genibus rei fractæ frusta elata manu spectanda exhibeat omnibus. Cachinnos edebat, vociferabatur, futiliter garriebat ? Cum pessulo ori obdito in Refectorio genuflectat aliquamdiu. Accepta facultate, non quo debuit, sed quo libuit, ivit ? Egrediendi e Monasterio per Mensem unum careat benedictione. Egressus, ad tempus constitutum non rediit, nec moræ suæ justam causam adtulit ? tot horis vel diebus, quot ultra tempus constitutum extra Monasterium moratus est, in Monotopio se contineat sine anachoresi tamen & obseratione, vel exercitiis vacet spiritualibus. Et sic alia commetienda erunt culpis Epitimia.

6. Potest etiam pro his, & similibus imponi publica sui in Refectorio accusatio, & veniæ ab omnibus petitio. Item fieri potest aliqua prudens publica in Refectorio ad confusionem, & erubescentiam injiciendam culpæ reprehensio, præmissa captiosa ex iis, qui dormitant in spiritualibus requisitione, quem fructum ex meditatione e. g. cæpissent, aut Communione, si eam omiserint: Pariter injungi potest publica in Refectorio operis manualis ab aliquo inobedienter neglecti concinnatio, vel ejusdem dormitanter concinnati nova de integro confectio. Possunt item juberi delinquentes, humi in Refectorio prostrati preces aliquas recitare; In parva mensa manducare; ultimum locum tenere: ad mensam præter ordinem ministrare, aut legere, & similia.

7. Quod si quis etiam atque etiam in easdem culpas recidere non vereretur, easdem etiam, atque etiam quadam proportione adauctas pœnas luat, quibus adjungi poterit pœna disciplinæ in Refectorio ad arbitrium Superioris, vel certus numerus metanearum ordinariarum initio cujusvis functionis communis a delinquente persolvendus.

§ III.

De Culpis, & Epitimiis Gravibus.

8. Gravis culpa est, quodlibet ex se lethale peccatum: ut rei Divinæ die festo non interesse: notabiliter sine causa, & cum scandalo missam omittere celebrare: jejunium, vel abstinentiam ex Ritu præceptam non servare: obscæna verba proferre cum scandalo: Divinæ scripturæ verbis abuti inter nugas: scandalose cum aliquo, & maxime cum Sæcularibus ad dedecus Religionis contendere, & rixari: alicui ex Sæcularibus, vel nostris opprobrium, vel nomenclaturam, quæ in deridiculum cedat, dicere, aut scribere aliquid sine vera necessitare

ſitate, juramento affirmare, aut negare: Alicui præteritam culpam, pro qua jam satisfecerit, exprobare: Gravi famam alicujus detrimento inter Fratres afficere, aut melevolos de eo sermones habere: Se de suis Natalibus insolenter jactare, ac ob id alios superbe deſpicere, aculeis vellicare, in contemptionem adducere: Monaſterio in quantitate, quæ ad mortale sufficiens eſt, damnum malitioſe cauſare, vel cum prævidetur, Superiorem, aut alium Officialem, ad quem pertinet, de eo non præmonere: Obſervantiam regularem frequenter, & quaſi ex uſu cum scandalo aliorum negligere: monentibus se fraterne, aut Paterne proterve obſiſtere, aut contumelias, probra, & convitia in eos effundere: Clam ad januam, vel feneſtram, & in fraudem sublegere sermonem aliorum, præſertim vero Superioris. Litteras a quocunque, cuicunque scriptas malitioſe intercipere, & legere: Immoderato potu mentem etiam abſque scandalo obruere: Æs alienum ad scutum unum, & amplius contrahere: Arma, aut tela aliqua, præſertim baculis recondita ſine licentia Superioris in Cella aſſervare: Inter sacrificandum a præſcripto Rubricarum Ritus noſtri diſcedere, aut aliquid præter illas de suo addere vel omittere &c. &c.

9. Pro hujuſmodi & ſimilibus culpis fiat acris, sapiens tamen, publica delicti reprehenſio cum irrogatione pœnæ alicujus majoris subeundæ: puta: Per subſtractionem cibi uſque ad panem, & aquam: Per flagellationem publicam, vel privatam sua manu: Per segregationem a Fratribus ad aliquot horas, ſive dies: Per ciborum in terra manducationem: Per suſpenſionem ad aliquod tempus a Divinis, vel a ferendo in Communitate suffragio: Per metaneas cruciformes: Per exercitationes spirituales, triduanas, vel octiduanas: Per impoſitionem officiorum abjectiorum: Per condemnationem ad induendam veſtem viliorem, aut de oſculandos pedes totius Communitatis: Per injunctionem petitionis veniæ delicti a læſo cum genuflexione, & publica eidem violatæ famæ reſtitutione: Præterea æs alienum contrahentibus detrahatur de veſtiario uſque ad plenam debiti satisfactionem: Arma aſſervantibus, eadem auferantur &c.

10. Quodſi quis etiam, atque etiam in eaſdem culpas relaberetur, eaſdem etiam atque etiam cum prudenti auctario pœnas luat.

11. Etiam ad gravem culpam reducitur, ſi quis tranſeundo per locum, in quo noſtri Ordinis exſtat Monaſterium, extra illud noctaverit, aut diu ibidem nulla de se data Superiori hujus loci notitia moratus fuerit, atque Superiori sui loci denuntiandus erit, ut ab eo jubeatur segregatus a reliquis triduum impendere spiritualibus exercitiis.

§ IV.

De Culpis & Epitimiis Gravioribus.

12. Gra-

12. Gravior culpa est, si quis enorme probrum, convitium, aut contumeliam alicui dixerit: Si Fratris bonum nomen apud externos sive Saeculares, sive Regulares obscuraverit, aut eum infamem reddiderit: Si falsum testimonium in judicio dixerit. Si quem Monachum graviter manibus, baculo, vel alio quopiam instrumento citra ferrum percusserit: Si quis Praecepto soli sibi, vel omnibus a Superiore imposito contumaciter contraiverit: Si quis furtum grave ex bonis Monasterii, vel aliis cum scandalo, aut iterato commiserit: Si quis contra sobrietatem publice pessimo exemplo peccaverit: Si quis, quae secreta Religionis, aut Monasterii esse oportebat, extraneis sive Saecularibus, sive Regularibus prodiderit, atque ea ratione detrimentum grave attulerit, vel dedecus aliquod Religioni, aut privatis inusserit: Si quis aliquod ex Votis solemnibus etiam sine scandalo violaverit. Superiorum litteras ad inferiores, & vicissim, inferiorum ad Superiores scriptas interceperit, legerit, aut malitiose impedierit, seu tardaverit, atque ita etiam cum Litteris Superioris loci, cui subditur, se gesserit: Si quis cum Superiore irreverenter contenderit, proterve ei contradixerit, verbis, aut signis quibuscunque ignonimiosis ipsum despexerit, aut quamcunque impiam contra ipsum seditionem, sive motum moliri ausus fuerit: Si quis famosum libellum scripserit in aliquem, & graviter Nomini ejus offecerit: Vel denique, quodcunque notorium peccatum mortale commiserit.

13. Hujusmodi autem sontes, prima die in publico refectorio post flagellationem ope alienae manus ministratam pane, & aqua affligantur. Deinde statim in Monotopium ablegentur, ubi per Mensem, vel per Menses pro qualitate delicti maneant, & sextis quibuscunque feriis panem sumant tantum, & aquam. Et si Sacerdotes fuerint, suspendantur pro eo tempore a Divinis; Si autem non Sacerdotes, a Sacra Sinaxi arceantur. Fratrum denique Communioni restituti, ultimum ubique locum teneant per Annum, & tam activi, quam passivi suffragii jure careant. Praeterea falsi testes, ac de falso crimine accusantes etiam poenam talionis subeant.

§ V.

De Culpis, & Epitimiis Gravissimis.

14. Gravissima culpa est quodvis crimen, quod per leges publicas poenam mortis, aut triremium meretur. Praeterea etiam ejusmodi culpa censetur, sigillum confessionis Sacramentalis violare: blasphemare: ferro aggredi aliquem, & vulnerare aut occidere: subscriptiones, Sigilla, Litteras, aut testimonia Episcoporum, Proto-Archimandritae, sive Provincialium confingere: Post lapsum gravem, & factam poenitentiam, iterum labi: De culpa graviori convictum poenam a Superiore impositam subire proterve recusare: Superiorem suum manibus,

aut

aut baculo percutere : Peccatum contra naturam admittere : Mulieres ad malum finem in Monasterium intromittere.

15. Hujusmodi delicta pœna monotopii ultra Annum, aut etiam perpetua, juxta meritum delicti vindicetur. Quo tempore ter singulis hebdomadis in pane & aqua quisque jejunabit, & disciplina semel per Psalmum Miserere, qualibet sexta feria ministerio manus alienæ, cædetur. Præterea hujusmodi delinquentes carebunt in perpetuum voce activa & passiva, & inhabiles ad omnia officia habebuntur.

16. Postremo Superiores nostros, cujuscumque gradus, & auctoritatis sint, perpetuo monitos esse volumus, ut in corrigendis peccatis, cum Officialibus, & Ex-Officialibus tum Ordinis, tum Provinciarum, cum Superioribus & Ex-Superioribus, Emeritis, & Benemeritis, tum denique cum Gravioribus, Discretioribus, & Senioribus Patribus aliter procedant, & aliter cum reliquis; Quandoquidem pœnæ, quæ pro reliquis medicinales sunt, pro Discretioribus graviores æstimari, iisque infamiam irrogare possunt : Unde si medicinaliter proceditur & cum Gravioribus agitur, a publice inferendis pœnitentiis abstinerer debent : nisi id ratio scandali, aut delicti gravitas postulet.

§ VI.

De Epitimio Monotopii.

17. Monotopium & locus ille, in quo Monachum a Fratribus segregatum vult seorsum agere S. Pater Noster.

18. Monotopium nulla ratione sit locus subterranèus, squallidus, sordidus, tenebricosus, ac talis, qui merum carcerem referat, sanitatique officiat; sed sit Cella Monastica, decens, lucida, ac commodis omnibus ad orandum, sedendum, & legendum, & scribendum instructa.

19. Monotopio, ob duplicem finem Monachus addici potest : scilicet : vel ad custodiam, vel ad pœnam; ad custodiam tunc addicitur, cum in eo obseratur ita, ut exire non possit. Quod fieri non debet, nisi vel cum processu contra reum inchoato, periculum èst fugæ, vel cum prudens suadet necessitas, ut Superior reum in flagrante repertum crimine, interim habeat in custodia, donec Provincialis certior de eo factus fuerit.

20. Periculi fugæ prudens suspicio ex duobus capi potest capitibus : 1mo. Ex conditione Personæ, ut si reus sit juvenis, levis, indevotus, dissolutus &c. Maxime autem, si extra judicialiter dixerit, se velle fugere, aut visus sit reculas suas componere, quasi iter meditans, & similia, quæ sunt indicia fugæ quæsitæ, vel etiam, si jam alias in fugam se dederit. 2do. Ex qualitate delicti, cum scilicet crimen grave est, & enorme, ob quod quis segregatus a Fratribus, merito ad Legum nostrárum præscriptum, diu solitarius in Monotopio degere deberet : Tunc enim

dubitari nequit, quin recta ratio suspicionem fugæ faciat.

21. Quare Superiores, ne suorum subditorum famam proterant, neve Deum offendant, caute omnia circumspiciant, aliterque judicent de sene, aliter de juvene: aliter de Patre gravi, qui nihil, nisi, quod honestum sit, expetit: Aliter de levi, qui parum abhorret sinistram de se famam: Aliter, cum delictum est minus, aliter cum gravius, & gravissimum.

22: Monotopium ad pœnam tunc adhibetur, cum quis per sententiam a Judice Legitimo latam a Fratribus segregari jubetur. Hinc in Monotopium nemo mitti potest, nisi probato delicto gravi, aut gravissimo; Cum segregatio in Basiliano Instituto specialis pœna sit, quæ non subsiat potestati Paternæ, quæ privata est, sed publicæ jurisdictionali, quam Prælatus exercet in suos subditos.

23. Istud tamen intelligendum est de segregatione Monotopica cum Anachoresi, & obseratione, cum scilicet Physica adimitur potestas ex Monotopio exeundi, & commercium habendi cum Fratribus: Nam cum non aufertur talis libertas, sed tantum restringitur moralis potestas, ne licite exire, & cum sodalibus sociare se possit, potest injungi talis segregatio etiam ex potestete privata, sive Paterna a Superiore loci, cum id culpa aliqua exigit media, aut gravis:

24. Juste segregatus tenetur in conscientia Monotopium incolere, nec fugere, cum justo Superioris Præcepto obedire teneatur. Præfectus autem, sive custos Monotopii peccat graviter, cum vel segregatum dimittit, vel defert ei alios cibos, aut potum iis diebus, quibus jejunare tenetur v. g. in pane, & aqua: Quia violat Præceptum in re gravi.

25. Verum quia solitarium vivere, carereque Communitatis fraternæ solatio, gravis pœna est, hinc dent operam Superiores, ut sic segregatos humaniter, & filiorum in morem tractent, ne afflictis afflictionem addere videantur.

26. Unde, nisi ob certas causas Visitatio prohibenda sit, ut inchoato Processu ad subordinationem testium devitandam, potest Superior aliquos Monachos designare, qui segregatos statis visitent temporibus, eosque in Domino consolentur, ac ad tolerantiam S. Pœnitentiæ eos inducant.

27. Caveant autem Superiores, ne segregatis cum Anachoresi Monachis Sacramentum Pœnitentiæ postulantibus unquam denegent; sciant enim se secus agendo peccare graviter, cum nimis crudele sit, hoc subdito suo afflicto solatium, & antidotum ad meritorie patiendum, denegare. Confessarius vero ad id munus designatus, det operam, ut summa charitate eorum confessiones excipiat, amaritudinem animæ, quantum in Domino poterit, leniat, & ad solidam vitæ emendationem disponat.

28. Eucharistiæ quoque Sacramentum, quamvis segregatis per leges nostras denegetur

denegetur, Festo tamen Paschatis iis petentibus non debêt denégari, non solum ratione Præcepti Ecclesiastici tunc obligantis, sed etiam ratione Festi omnium in orbe Christiano celeberrimi.

§ VII.

De Epitimio Ejectionis ex Religione.

29. Nullus Monachus Professus ejici potest, nisi ob solam causam incorrigibilitatis, quæ juxta jus Canonicum habetur tunc, cum quis ter convictus, ac judicialiter de tribus criminibus gravibus admonitus, & correctus, ad bonam frugem non se recipit.

30. Crimina gravia, & atrocia sunt illá, ob quæ ordo conturbatur, quæque gravem populo pariunt offensionem, sive scandalum, ut est furtum notabile, homicidium, scandalosus lapsus carnis, contumax inobedientia, apostasia, & alia id genus.

31. Parum autem refert, an tria illa crimina sint ejusdêm aut diversæ speciei: - *Arg: C. 35. de sentt: Excond: - Ibi - ad similia, vel pejora.* Cum non minus ordo turbatur, nec minus scandalum præbetur, dum quis plura diversæ speciei committit delicta, quam dum ejusdem. Imo nequior merito censetur ille, qui pluribus magnis sceleribus se adstringit, quam qui in idem peccatum recidere solet.

32. Porro post tria peccata punita, nullum aliud requiritur delictum novum ad hoc, ut quis in Monotopium mitti possit ad experimentum incorrigibilitatis capiendum; Cum sic quatuor nimirum committi deberet peccata, quod Leges non requirunt.

33. Non potest tamen tertio commisso crimine statim procedi ad probationem incorrigibilitatis, sed præmitti prius debet etiam hujus tertii peccati punitio, cum ex juris communis dispositione, ad hoc, ut Religiosus ejici possit, constare debeat ipsum ter deliquisse, & ter correctum, ac monitum fuisse. Hinc non nisi persoluta pro tertio crimine pœnitentia, processus dè incorrigibilitate inchoandus est.

34. Imo tria delicta, propter quæ punitus est, ac incorrigibilis censendus venit, debent quandam inter se moralem continuationem habere. Hinc, qui cum juvenis esset, apostatavit, peracta vero pro hoc crimine pœnitentia, per triennium, aut sexennium probe vixit, tandem rursus grave aliquod scelus admisit, & denuo punitus, rursus per triennium, laudabiliter se gessit, si tertio postea in peccatum labitur, & tertio pœnitentiam admittit, ac humiliter adimplet, non potest propter tria ista delicta in Monotopium ad probandam incorrigibilitatem mitti, quia singulas culpas probis moribus correxit, ita ut non ex obfirmatione in

malo

malo, sed ex fragilitate, (propter quam nemo incorrigibilis potest judicari) & sine morali continuatione, cecidisse dicendus sit; Nam licet illius voluntas mala fuerit, cum delinqueret, interrupta tamen fuit per actus pœnitentiæ, & emendationis, cui locum dedit.

35. Quare ne interdum errent Superiores, temporis spatium, intra quod delicta illa committuntur, & alia adjuncta observent. Et quamvis non possit determinari tempus pro morali continuatione delictorum, sed id ipsorum relinquatur arbitrio, spectatis circumstantiis, puta moribus vitæ, & conversationis delinquentis: Tamen qui post delictum commissum per triennium probe vivit, censetur violatam vindicasse famam, & correctus esse ita, ut ipsius delicta dici nequeant moraliter continuata ad effectum probandæ incorrigibilitatis.

36. Aliud est, si quis postquam scelus admisit, & punitus fuit, irreligiose viveret, chorum negligeret, crapulæ deditus esset, murmuraret, otio difflueret, inobediens foret, & post paucos menses novum delictum committeret, ac post punitionem eandem vitæ rationem teneret, exinde autem modico rursus interposito tempore, in tertium scelus laberetur: Tunc enim delicta illa dici possunt conjuncta inter se, & continuata in continuatione pravæ ipsius voluntatis, quæ se dat cognoscendam per malos delinquentis mores, & vitæ irreligiosæ genus.

37. Porro processum, sive judicium de incorrigibilitate instituere pertinet ad Provincialem, & sex alios Judices a Capitulo Provinciali electos & a Proto-Archimandrita confirmatos.

38. Judices incorrigibilium, ut vult Constitutio Innocentiana, debent esse Patres graves, hoc est: ut notant Doctores, non omnino in Religione Seniores, sed qui præstant scientia Canonica, & juridica circa processus criminales, cum causa ejectionis sit gravissima, & quæ magnam postulat cautionem, ne ullus defectus in Processu committatur.

39. Etsi a Capitulo Provinciali eligi debeant, possunt tamen eligi viva voce, cum hæc electio non sit talis, ut omnino per secreta suffragia fieri debeat.

40. Quia vero aliquo horum Patrum mortuo, nec Proto-Archimandrita, nec Provincialis potest in locum ejus alium substituere, idcirco Capitulum Provinciale dabit operam, ut electis sex istis Judicibus, duos insuper semper eligat Patres, qui, si quos e numero illo senario mori contigisset, vices Defunctorum supplere possent.

41. Judices dicti habent in judicio votum decisivum. Non est tamen necesse ad ejectionem, ut in eam omnia suffragia illorum conveniant, sed sufficit, si illam major pars ipsorum definiat.

42. Nequeunt tamen sua Vota dare per Litteras, cum, ut per se ipsos simul

ſimul congregatos id faciant, ipſa gravitas cauſæ poſtulet.

43. Praxis hujus judicii, conſiſtit in sequentibus: Conſtare primum debet: Religioſum ter graviter deliquiſſe, & ter monitum, ac correctum fuiſſe. 2. Re hac probata, reoque audito, Judicium pronuntiat sententiam interloquutoriam, quod reus ſit collocandus in Monotopio ad effectum probandæ per sex menſes incorrigibilitatis. 3. Eodem Decreto deſignat jejunia, atque pœnitentias, quibus reus in Monotopio conſtitutus probari debeat. Nam cum Pontifices generaliter dicant tales affligi debere jejunio & pœnitentiis, Judicum eſt determinare, tam jejunia, quot in hebdomada, & qualia eſſe debeant, quam pœnitentias, ut diſciplinas, cilicia, humicubationes &c. 4. Reo in Monotopium introducto cuſtos Monotopii diligenter obſervet, an jejunia, & pænitentias a Judicibus irrogatas obedienter adimpleat: Imo expedit, ut Superior quandoque ad segregatum mittat graves Viros, qui explorent intimos animi ejus senſus. Et quidem, ſi segregatus ægre ferat jejunia, & pœnitentias, vel propter illas in blaſphemias, imprecationes, & minas prorumpat, & multo magis, ſi finito segregationis tempore ipſe confiteatur se corrigi non poſſe, tunc ex his vel propria confeſſione, habendus eſt incorrigibilis. Si vero patienter Monotopii moleſtias cum pœnis ſuſtineat, interim præſumatur emendatus: Quæ præſumptio ceſſat, ſi Fratribus reſtitutus rurſus in grave delictum cadat, quia tunc apparet emendationem fuiſſe ſimulatam, non seriam, ac proinde, ſine iterata Monotopii probatione habendus eſt pro incorrigibili. 5. Imminente segregationis fine, Provincialis mittet graves Patres, qui segregatum interrogabunt, utrum velit in viam redire, qui ab illis, ſi fuerit repertus incorrectus, convocabit iterum sex suos Conjudices, & Proceſſum plene perficiet cum declaratione incorrigibilitatis, & infligendæ ejectionis. 6. Citatur tandem reus, ut ſi quam juſtam cauſam habeat, ob quam non ſit declarandus incorrigibilis, indicet. 7. Demum nulla juſta cauſa allegata fertur sententia definitiva ejectionis, & ad Proto-Archimandritam cum toto Proceſſu mittitur. 8. Proto-Archimandrita habita sententia ejectionis, sciat liberum ſibi eſſe; vel executioni eam mandari jubere, vel reum ulterius in Monotopio aſſervandum decernere. Nam cum Decreta Pontificia dicant, expleto probationis tempore, incorrigibilem - *ejci poſſe* - Notant poteſtatem, non autem obligationem expellendi.

44. Quia vero, cum ad ejectionem incorrigibilium proceditur, maxime circa eorum benevolam a locorum ordinariis receptionem oriri solent difficultates, votum totius Congregationis Noſtræ eſt, ut qui per sententiam Judicum incorrigibiles judicati sunt, in Monotopio perpetuo habitare a Proto-Archimandrita jubeantur: Tum ut evitentur hæ difficultates, tum ut melius conſulatur sa-

 luti

luti Fratrum miserorum, qui aliunde in Monotopio seorsum a reliquis constituti, nemini malo exemplo esse possunt, imo fiunt inhabiles ad scandala, quæ ejecti in sæculo dare possent; Tum quia aliis ita major incutitur metus, ne suo desint officio: Alias quippe contingere posset, ut Monachi Regularem pertæsi observantiam, studio se redderent incorrigibiles, quo ejici possent.

§ VIII.

De Epitimio Apostatarum, & Fugitivorum.

45. Apostata ille vere censetur, qui sine facultate Superiorum deserit Religionem animo nunquam redeundi, sive retineat, sive deponat Monasticum habitum. Fugitivus vero, qui quidem sine licentia recedit a Monasterio, sed animo iterum redeundi, sive id faciat habitu retento, sive dimisso.

46. Ex Præscripto Concilii Triden: hodie in numerum fugitivorum referuntur etiam illi, qui sine licentia excedunt e Monasterio, ideo ut mediatos seu majores adeant Superiores, sive demum Sacram ipsam Sedem Apostolicam.

47. Quia vero in Constitutione Sixti V. Incipitt: Cum de omnibus - & alia Incipitt: - ad Romanum spectat: - mentio fit gravaminum a Superiore illatorum, non autem injuste inferendorum, Communis Doctorum habet, Monachum non haberi pro fugitivo, qui ad majorem Superiorem abit, ut declinet gravamen notorie injustum, primo inferendum, & non reparabile. Hoc tamen casu est expediens, ut volens abire, hanc causam abeundi coram duobus Patribus gravibus exprimat.

48. Apostatæ & fugitivi ipso facto incurrunt excommunicationem, non tamen prius, quam habitum deposuerint. Si tamen retineant, & quamdiu illum retinent, nullam pœnam, de jure communi, incurrunt, ut est Communis Canonistarum contra aliquos, qui, *Constitt: 2- ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi in VI.* - extendunt ad fugitivos habitum retinentes; nam in dicta Constitutione, excommunicatio fertur tantum, qui fugiunt dimisso habitu, aut accedunt foris ad studia Litterarum sine licentia Superiorum. Quæ Constitutio, cum sit pœnalis, non est extendenda ad casum non expressum.

49. Quod attinet vero ad nostrum in tales Epitimium, statuimus, ut, si aliquis ex nostris, quod Deus avertat, sine sui Superioris licentia ab aliquo discesserit, vel fugerit Monasterio, ille vi e fuga retractus, pro prima vice, præsertim, si vestitum non dimiserit, per tres Menses, pro secunda per Quatuor in Monotopio conservetur, ac toto hoc tempore, bis in hebdomadam pœna jejunii in pane tantum, & aqua mulctetur: Pro tertia vero, volumus, ut servatis de jure servandis, cum eo, tanquam incorrigibili procedatur.

50. Cum sponte redeuntibus mitius agi volumus, ac pro prima vice volumus

lumus solum, ut spiritualibus decem dierum exercitiis excolantur, si tamen accidisset, ut quis iterum, ac tertio iret, & sponte rediret, pœnas in eum, quas in fugitivos, & apostatas primi generis constituimus, extendi volumus.

51. Præterea volumus, ut sponte redeuntes, ad aliquod tempus Superioribus visum, vi autem reducti priventur loco Professionis, sive vocationis per triennium, & nisi per dictum temporis intervallum religiose vixerint, ut inhabiles ad officia honorifica habeantur.

52. Fugitivi recurrentes ad Superiores mediatos sine licentia Immediati, si justam causam non reddiderint, arbitrio ejusdem Superioris, ad quem recurrunt, puniantur, & pro pœnis exsolvendis ad Monasterium e quo affugerant, vel ad aliud remittantur. Si autem aliquo diverterint, nec recta ad Superiorem profecti fuerint, pœnas apostatarum luant.

53. Si quis e Monasterio de nocte clam, & furtive egressus fuerit, habitumque dimiserit, præter excommunicationem Monotopio demandetur per dies Octo, si statim redierit, si vero vagaretur diutius, prout cum fugitivis cum illo procedendum.

54. Sciant autem Superiores se sub mortali ad id teneri, ut suos apostatas, & fugitivos requirant solicite annuatim, eosque ad Monasteria revocare studeant, cum id graviter præcipiant Gregorius IX. Urbanus VIII. & Innocentius XII. Vide Geraldum Pag: 395.



JNDEX CODICIS CONSTITUTIONUM.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023792

